
DE
POTESTATE
PONTIFICIS
ROM







XXXI
DVVAL

7

DE SVPREMA ROMANI PONTIFICIS IN ECCLESIAM POTESTATE

DISPVTATIO QVADRIPARTITA.

I. De natura & subiecto Potestatis Ecclesiasticæ.
II. De Pontificis in definiendo infallibilitate.
III. De Disciplina Ecclesiastica.
IV. De Pontificis & Concilij comparatione.

AVCTORE
ANDRÆA DVVALLIO, DOCTORE Sorbonico, & in Academia Parisiensi Regio Theologiæ professore.

Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.
Eccles. 10.

PARISIIS.
Excudeb. DIONYSIVS LANGLÆVS, viâ Iacobæâ, è regione insignis Diuæ Magdalenæ.

1614
Cum Approbatione Doctorum S. Theol.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO S. R. E. CARDINALI, D. D.

FRANCISCO DE IOYEVSE, EPISCOPO OSTIENSI, ET SACRI CARDInalium Collegij Decano.

ANDRÆAS DV VAL, DOCTOR SORBONICVS.

HYDRAM *errorum, quibus anonymus ille de Ecclesiastica & politica potestate libellus scatebat, vixdum breui elencho debellaueram (Illustrißime Cardinalis) cùm ecce de repente ex anguineo illo germine nouum erumpens caput, & schismaticæ doctrinæ pestilentem auram vndiquaque spirans eo vigore succreuit ac repullulauit, vt iam extinctum, orcóque damnatum libellum suscitauerit, & in lucem reuocauerit. Quidam enim Iurisconsultus nomine Vigorius, seu ipse Commentarij ad Responsionem synodalem*

auctor sit, seu ipsius nomine alius quispiam, huius libelli anonymi ab illustrissimo Cardinale Perronio necnon reuerendissimis Senonensis prouinciæ Antistitibus condenati defensionem pertinacissimè suscepit, homo minimè Theologus, & forensibus rixis ac litibus assuetus magis, quàm Ecclesiasticæ disciplinæ, sacriq; iuris peritus: quem ideò mirandum est non puduisse ei causæ patrocinari voluisse, quæ & pessima sit, omniúmq; iniustissima. Quid enim peius & iniustius quàm supremam Ecclesiæ dignitatem, sacratissimam veritatis arcem, pharum luminis Euangelici, Reipublicæ Christianæ summum Tribunal ausu nefario allatrare & conuellere: sed & cuius causæ tam iniustæ statum ipse ignorat, nodósque non videt, nedum possit explicare & definire. Sanè verò vt parentis iniuriam generosus filius depellit ac vindicat fortiùs quàm audit patienter: Sic & ego cùm primùm vidi ac perlegi Vigorij commentarium, in quo sacrosancta communis omnium Parentis dignitas vehementer imminuitur ac deteritur, vindicandi quãprimùm huius inexpiabilis sacrilegij filiali zelo accensus, apologeticam hanc dissertationem adornaui, sub vnius tui nominis splendidioribus & sanctioribus vexillis (illustrissime Cardinalis) qui sacri Cardinalium collegij decanus es, & à summo Pontifice, cuius hic causam defendo primus: Qui apud beatissimũ illum Patrem PAV-

LVM QVINTVM summam Christiani Imperij nunc fœlicißimè tenentem, Galliam nostram quæ his libellis non mediocriter succutitur, prudentißimè conseruas & protegis. Quem ipse Pontifex, Reges, Princîpes, Duces, quem boni omnes ob dissensionum grauissimarum compositos fluctus, ob vbique quæsitam sempérque inuentam pacem, ob clericorum religiosórumque ordinum reformationem, ob immensam erga xenodochia, sodalitates, templa bellorum incursionibus deuastata, liberalitatem, ob Ecclesiasticæ disciplinæ ingentem curam, sapientiam denique & vitæ probitatem vnicè suspiciunt, amant, venerantur: Cui tandem ego non Catholici tantùm Doctoris *titulo, sed & maximè humilis Diœcesani peculiari nexu reuerentiam & obsequium debeo sempiternum. Habe igitur à me (Cardinalis illustriss.) Sedis Apostolicæ defensionem, quam tibi vni voueo, cōsecróque, & in sacro sinu tuo repono, vt eam ab infestis auibus, & à virulentis schismaticorum & calumniatorum, quibus nostra hæc ætas infœliciter abundat, morsibus (si placet) defendas. Vale. E Sorbona, pridie Idus Ianuarias, anno Redemptionis humanæ decimo quarto supra millesimum & sexcentesimum.*

INDEX QVÆSTIONVM QVÆ IN hoc Tractatu in quatuor partes diuiso continentur.

PROOEMIVM

CENSVRÆ LIBRORVM EDmundi Richerij & Symonis Vigorij & huius fraudes & imposturæ deteguntur.

De concilio Basileensi & responsione Synodali.

De potestate Ecclesiastica. Pars prima.

De *infallibilitate supremi Pontificis.* Pars. II.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs *infrà scripti sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores fidem facimus ac profitemur vidisse, & ad amussim expendisse* Honorandi Magistri Andreæ du Val, in eadem facultate Doctoris Sorbonici, & Regij diuinarum litterarum Professoris Quadripartitam de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate Disputationẽ, *in qua nihil fidei Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ dissentaneum aut repugnans offendimus; immò plurima deprehendimus quæ Rempublicam Christianam aduersus ingruentes & infrementes huiusce formidolosissimæ tempestatis schismatum ac hæreseon procellas fœliciter præmuniunt, sartam tectamque defendunt. Vnde iuris vt fiat publici operæ pretium duximus, ad sanctissimi D. N. Papæ authoritatem tuendam, necnon ad summam Ecclesiæ cum eodem illo suo capite visibili Romano Pontifice vnionem arctissimè retinendam, cui aliter schismaticorum mala mens malusque animus malè & seditiosè consultum vellet; quorum grãdines & nimbos tanquam opportunissimus χαλαζόφυλαξ, author ille & doctor Sorbonicus, cuius operi subscribimus, procul à finibus Ecclesiæ Sanctæ Dei amandat, amolitur, & ablegat. E musæis nostris Lutetiæ Parisiorum 18. Calend. Febr. Anno salutis 1614.*

G. FROGER. F. ROCHE.

DE SVPREMA
ROMANI PONTIFICIS
IN ECCLESIAM POTESTATE
aduersus Vigorium ICtum,
Liber.

CENSVRÆ LIBRORVM EDMVN. RICHERII, & SIMONIS VIGORII referuntur, & huius nonnullæ fraudes & imposturæ deteguntur.

HENRICO MAGNO non ſine acerbiſſimo Gallorum omnium luctu, è viuis ſublato, orta eſt in Academia Pariſienſi, propter libellum quemdam anonymum, (ſed cuius author poſteà è ſuis latebris erupit, & innotuit) *De ſupremi Pontificis in Eccleſiam poteſtate* grauiſſima controuerſia, tanto diſſidentium animorum ardore & motu agitata, odióque partium ita implacabili, vt à probris & contumeliis quibus ſe mutuò proſcindebant, ad politica tribunalia ventum ſit: Eos verò qui prophanam & ſchiſmaticam libelli huius doctrinam ferre non poterant, de violatis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, déque nouis opinionum figmentis contra veteris Scholæ placita inuectis po-

ſtulatos grauiſſimè exercuerit. Atque vt ea res frangebat quorumdam animos, qui ſcilicet intelligebant quantum calamitatis, & periculi immineret eorum capitibus, qui libera ferrent ſuffragia, apertámque ſententiam dicerent: Sic & alios qui maiore veritatis defendendæ ſtudio ducebantur, altiùs erigebat: qui ideo à partibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ viriliter ſtantes, prætereaque veriti ne Eccleſia Gallicana à vero Eccleſiæ corpore, aut ab eius ſupremo capite horrendo ſchiſmate diuelleretur, contra anonymum illum libellum decretoria quaſi refutationum acerrimarum arma conſtantiſſimè ſumpſerunt, honorificum ſibi, & glorioſum fore arbitrati, ſi quam hoc nomine calumniam, contumeliámque paterentur: inter eos autem potiſſimùm claruerunt Gimontius, Durandus, Bellilocus, & Pelletarius, quorum caſtris ego veluti ſuccenturiatus vltro memet adiunxi, qui nimirum ſcriptis ſuis ſchiſmatica illa dogmata refutarunt, ſcholam Pariſienſem à calumniis authoris vindicarunt, & antiquos eiuſdem ſcholæ Doctores (de quibus tanquam ſuæ ſententiæ patronis gloriabatur) contrarium ſenſiſſe docuerunt, tantúmque profecerunt, vt vniuerſus Theologorum Pariſienſium ordo eorum ſcriptis tanquam diuiniore œſtro percitus, libellum hunc cēſura iam notaſſet, niſi authoris artibus retardatus & impeditus fuiſſet: Quod cùm primùm potuit ſatis ſupérque ſignificauit: Cùm enim authori pro geſtis rebus in magiſtratu, quem per aliquot annos in ſchola obierat, gratias pro more referret, libelli editionem de Eccleſiaſtica & politica poteſtate ſpe-

cialiter excepit : omnibus & ſingulis notum faciēs libellum hunc ſibi minimè placere, tineisque potiùs & blattis relinquendum, quàm in lucem eſſe proferendum.

Verùm, cùm neſcio quo fato libelli venenum latiùs ſerperet, multorúmque mentes erga Sedem Apoſtolicam non ita propenſas pertentaret, ac inficeret, diuina prouidente clementia factum fuit, vt Senonenſis prouinciæ ANTISTITES ſub illuſtriſſ. & reuer^mo Cardinali IACOBO DAVIO PERRONIO de litteris & Eccleſia meritiſſimo coacti, lecto relectoque libello, & eius doctrina attentiùs & diligentiùs examinata, libellum cenſura & damnatione dignum iudicauerint. Cuius cenſuræ iuſtiſſimum iudicium Sanct^mus D. N. PAVLVS V. vehementer approbauit, inter cetera hoc laudis elogium adiungēs, venerandos illos Antiſtites qui nunc viuunt ac præſunt (& vtinam diu) veterum Galliæ Epiſcoporum in retundendis erroribus & fugandis hæreticorum monſtris zelum imitatos fuiſſe: Quod cùm ægerrimè ferret libelli auctor anonymus, & de vindicta potiùs, quàm de emendatione cogitaret: atque adeo prælatorum vigilantiæ, pietati, ac iuſtitiæ clanculum & per cuniculos (vt aiunt) inſidiaretur, viſa hominis obfirmatione libellum eius tot tamque pernicioſas, erroneas, ſchiſmaticas, & vt verba ſonāt, hęreticas propoſitiones continentem magno bonorum omnium, id eſt, verè Catholicorū applauſu, & acclamatione condemnarunt: & ne quis poſthàc eum legere, retinere, aut attrectare præſumeret, ſeueriſſimè prohibuerunt: Cuius grauiſſimę cenſuræ

tam opportuno tempore & loco datæ formulam ne quis ſe neſcire cauſetur, ecce hîc deſcripſimus.

Cenſura Senonenſis prouinciæ libelli Edmundi Richerij.

Nos Iacobus miſeratione diuina ſanctæ Agnetis in agone ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Perronius nuncupatus, Archiepiſcopus Senonenſis, Galliarum & Germaniæ Primas, Henricus Pariſienſis, Franciſcus Antiſiodorenſis, Ioannes Meldenſis, Gabriel Aurelianenſis, Renatus Trecenſis, Euſtachius Niuernenſis, & Philippus Carnutenſis Epiſcopi prouincialiter congregati, vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Cùm nobis ex dignitatis & prouinciæ noſtræ munere, non magis incumbat fideles nobis ſubditos Christi veritatem docere, quàm ſedulò animaduertere & obſeruare, ne nouæ, erroneæ, & peruerſæ ſententiæ in eorum animos irrepant, & in Eccleſiæ perniciem impunè graſſentur, libellum cui abſque nomine authoris, & typographi titulus eſt, De Eccleſiaſt. & politica poteſtate *diligẽter lectum & expenſum cenſura & damnatione dignum iudicauimus, & declarauimus, & reipſa notamus & damnamus, ob multas quas continet propoſitiones, expoſitiones & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & vt ſonant hæreticas, iuribus tamen Regis quàm Eccleſiæ Gallicanæ, eiuſque immunitatibus, & libertatibus per nos non tactis. Quocirca omnibus Chriſtianis nobis ſubditis, quorũ ſalus noſtræ partem facit, eius libelli poſſeſſione, attrectatione, & lectione interdicimus, & à typographis & bibliopolis vendi, aut typis cudi prohibemus; qui ſecus fecerint, pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis obnoxios volumus, & denunciamus: præterea cunctis noſtrarum diœceſeon parœchis vt eis notum faciant, mandamus, atque iniungimus; in quorum præmiſſorum fidem & teſtimonium has præ-*

ſentes literas manibus noſtris ſubſcripſimus, ac per magiſtrum Ioannem Baudouin publicum authoritate Apoſtolica notarium iuratum, ac per nos in hac parte pro Secretario aſſumptum fieri & ſignari, ſigillorumque noſtrorum appenſione muniri fecimus. Actum Pariſiis in noſtra congregatione prouinciali ann. Dom. 1612. die Martis 9. menſis Martij.

Hanc verò cenſuram, eiuſque auctores, ac iudices, non vitæ duntaxat, morumque grauitate venerabiles, ſed etiam diuinioris ſapientiæ, ſcientiarumque luminibus illuſtriſſimos, tanti fecit reuerendiſſimus Archiepiſcopus Aquenſis, pietatis, & ſcientiæ fama clariſſimus, vt cùm peſtiferum hunc & infamem anonymi libellum in Aquenſem prouinciam commeaſſe, atq; inibi quorumdam manibus, nō ſine periculo, immo & piaculo verſari intellexiſſet, prouinciæ Epiſcopos ad Aquas ſextias congregauerit, & libellum cenſura pariter notauerit, quam & ipſe & congregati cum eo vigilantiſſimi Epiſcopi populo ſignificandam ſub hac verborum formula duxerunt.

Cenſura Aquenſis.

Non inuento huius cenſuræ autographo ex Gallico Latinam reddidi.

Nos Paulus Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Aquenſis Archiepiſcopus, Carolus Reienſis, Bartholomeus Foroiulienſis, & Tuſſanus Siſtaricenſis Epiſcopi prouincialiter congregati vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Viſo & examinato diligenter libello, cui titulus eſt De Eccleſiaſt. & polit. poteſt. *Pariſiis excuſſo ann. 1611. abſq; nomine authoris, & typographi, in quo multas deprehendimus propoſitiones, expoſitiones, allegationes & doctrinas falſas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, hæreticas & impietatē grauēq; errorem ſapientes: declaraui-*

mus & declaramus prædictũ librum dignũ condemnatione & censura, & vt talẽ notauimus & condẽnauimus, notamus & condẽnamus omnibus fidelibus nobis subditis, & quorũ salus nobis à Domino cõmissa est, libellũ prædictũ retinere, legere, aut eo vti; omnibus Typographis & Librariis eũ vendere, publicare, & retinere sub pœna excõmunicationis prohibentes: Insuper omnibus Prioribus, Parœchis, Rectoribus, & aliis curam animarum in nostra prouincia & diœcesibus habentibus mãdamus, quatenus hãc præsentẽ declarationem & censuram significent, & in portis Ecclesiarum eam appendant, populum sibi commissum sedulò monẽtes de hac nostra declaratione, censura, & condamnatione. In cuius rei fidem hisce præsentibus manu propria subscripsimus, & sigillis nostris muniuimus, & antisignari fecimus per magist. Brun, nostri Archiepiscopatus Notarium & Secretarium. Datum Aquis in nostra congregat. prouinciali, die Iouis 24. mensis Maij, an. sal. 1612.

Hac igitur diuina arte, ac cœlesti remedio cum pestilentis libelli aura crederetur euanuisse, & ad Inferos, vnde emerserat, remeasse, vt certè libelli auctores & fautores sese per annum, aut circiter prudentissimè continuerant: Ecce ausus est quidam Vigorius prodire in apertum, homo trium fortè rubricarum, quarum etsi verba teneat, vim tamen & sensum nũquam est assecutus; qui cùm Philosophię (sine qua nemo verè doctus est) sit ignarus, Theologiam verò ne à limine quidem salutauerit: Theologus tamẽ audire vult, & videri, & de Ecclesia, eiusque regimine, de Summo Pontifice, de Conciliis, eorumque auctoritate, rebusque aliis grauissimis ad fidem & mores pertinentibus scribere audet, & iudicare. Quis ferat?

Nauita de ventis, de bobus narret arator,
Enumeret miles vulnera, paſtor oues.

Audiat lites Vigorius, cauſas agat, ſi poteſt, legat Rubricas, in foro ambulet, diſcat iudiciorum ciuilium formulas, denique arma ſua tractet, bene erit; alioqui ſi aliò traducatur, ſi ad Theologiæ oracula, & ad Eccleſiæ leges & inſtituta diuertat, vereor ne ſe omnibus ridendum exhibeat, vt certè ſuo opere plurimũ ſe exhibuit, cũ ſine frõte & metu in Theologię ſacraria irruens, libelli anonymi, cuius tamen auctoré nominat Edmundum Richerium (nomen eius reticere decreueram) errores ſuſcipit defendendos in commentario, veriùs commẽto, ad Reſponſionem ſynodalem Concilij Baſileenſis, vbi magiſtro ſuo Richerio factus audacior, multa in ſummũ Pontificem debacchatur, déque eius corona, dignitate, & auctoritate longè plura detrahit, plurimáque minimè tribuenda impudentiſſimè attribuit.

Sed qui contra Richerij libellum Senonenſis prouinciæ reuerendiſſ. Epiſcopos diuino quodam iuſtæ ſeueritatis igne accenderat Spiritus Sãctus, illuſtriſſimos ſacræ congregationis Cardinales à Sanctiſſimo Dom. N. PAVLO V. ſanctaque Sede Apoſtolica, ad Indicem librorum, eorumdémque permiſſionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſſionem ſpecialiter deputatos incitauit, vt legitima ſua cenſura, à qua nullus eſt excipiendi locus, vtrumque libellum notarent, & in atrum librorum prohibitorum referrent decreto vbique locorum publicando: quod incipit *Cùm ſuperioribus diebus*, &c. vbi inter alios quoſpiam libros hi duo ex-

presse prohibentur.

Censura Congregationis Cardinalium Romæ.

Liber inscriptus de Ecclesiastica & politica potestate Parisiis anno 1611. absque nomine authoris. Item, *liber inscriptus, Ex responsione Synodali, data Basileæ oratoribus Domini Eugenij Papæ IV. in congregatione generali tertio nonas Septembris, millesimo quadringẽtesimo secundo, pars præcipua, & in eam commentarius, Coloniæ, sumptibus Theophili Franci 1612. absque nomine authoris,* qui tamen seipsum altero libellulo edito sub nomine Simonis Vigorij Iurisconsulti declarauit.

His ego armis tanquam scuto fidei, salutisque galea inexpugnabili munitus, & veluti circumuallatus, contra Vigorium securus & alacer in aciem descendo, eumque tribus lethalibus sagittis velut alterum Absalonem iam lethaliter vulneratum, vt ne effugium quidem deinceps speret, proprio gladio confodiam, vt iisdem armis quibus nos lacessebat, petebatque, ille ipse nostra manu (si fauet Christus) concidat & prosternatur: Qui porro si errorem agnoscere abnuat, eumque publice pro valuis Trecensis Ecclesię iuxta quam nunc vt accepimus, commoratur, abiurare aut detestari recusauerit, seriò certoque moneo eum tanquam ethnicum & publicanum in Ecclesia semper habendum Sed priusquam altius prouehar, & Vigoriani commentarij errores sigillatim excutiam, monita aliquot præmittere lubet ad lectorem, vt liberius nihilo retardata excurrat disputatio.

Primum est, quod Vigorius initio commentarij libellum suum examini & iudicio Ecclesię vniuersalis, sanctæ Sedis Apostolicæ; scholæ Parisiensis,

ſienſis, cuiuſlibet Eccleſiæ particularis, & Scholæ in nomine Chriſti congregatæ ſubiecerit: Quæquidem proteſtatio, licèt prima fronte humilem, ſummiſſumque animum, cuiuis Catholico apprimè neceſſarium, præ ſe ferat, Vigorij tamen arrogantiam, ſi attentiùs conſideretur, apertiſſimè manifeſtat. Etenim, cùm hæc conditio (in nomine Chriſti congregatæ) multiplicem ſenſum habeat: vel enim authoritatẽ Chriſti, vel gubernationem & afflatum eius interiorem, vel etiam inuocationem eiuſdem ſignificat: Hac ſane amphibologia & ambiguitate quæcumque examina, & iudicia, ſi ſuo ſcripto aduerſentur, eludet ac recuſabit: Dicetque inſtar hæreticorum Eccleſiæ perduellium, iudices qui ſua ſcripta cõdemnauerint, non in nomine Chriſti, ſed alterius fuiſſe congregatos, quod olim aduerſus Melchiadis iudicium proteſtati ſunt Donatiſtæ, quia ſcilicet ille, & qui cum eo Romæ de cauſa Cęciliani iudicauerant, nullam Chriſti authoritatem habebant, nec eius interiori afflatu, & gubernatione regebantur, cùm in idem Cæciliani crimen incidiſſent. Liceat verò ex Vigorio percunctari, cur ſe iudicibus ſubmittendo, huius in Chriſti nomine congregationis meminerit, & de quibus eam præcipue intelligendam ducat: primùm enim non poteſt eam de vniuerſali Eccleſia intelligere, hæc enim ſi quid agat aut decernat, ſemper in nomine Chriſti agit & decernit, eius quippe authoritate munitur; *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit*: afflatu atque directione, eiuſdem perpetuò gubernatur, iuxta illud, *Ego vobiſcum ſum vſque adconſummationem ſæculi*: Preces item Eccleſiæ, quibus

Quid ſit congregari in nomine Chriſti.

Auguſt. ep. ad Gloriũ, & ceteros Donat.

Luca 10.

Matth. vlt.

auxilium Christi solet inuocare, semper exaudiuntur: frustra ergo illud de Ecclesia Vniuersali intelligeret. Non potest etiam de Sede Apostolica hâc in Christi nomine congregationem intelligere; cùm enim hæc Sedes à Pontifice, prout agit vt Pōtifex, non differat: hic autem solus absque vlla aristocratica cōgregatione libros prohibere, canones edere, de rebus fidei & morum decernere possit, vt infra patebit, frustra in Sede Apostolica congregationem in nomine Christi requireret. Restat ergo vt de ecclesiis & scholis particularibus istud intelligat, itaut se obtemperaturum spondeat cuiuscumque ecclesiæ & scholæ particularis iudicio, dummodo in nomine Christi fuerit congregata, in quo si per nomen Christi authoritatem intelligat, benè loquitur, nec eius assertio alicuius erroris aut falsitatis argui debet; nulla enim schola errores fidei cōtrarios doctrinaliter (vt loquuntur) damnare audet, nisi priuilegio & indulto Apostolico muniatur: quod priuilegium in schola Parisiensi apprimè relucet; nullus enim, nisi ex sanctæ Sedis Apostolicæ licentia ad Lauream Doctoratus euehitur, sicut nec vllus ad Episcopatum assumitur, aut consecratur, nisi eiusdem Sedis beneficio aut gratia. Cúmque Episcopi tanquam veri, germanique Ecclesiæ Hierarchæ erroribus viam intercludere, & verum à falso discernere debeant, quippe quibus inferiorum purgatio, perfectio, & illuminatio, ex officio incumbat; certum est in iis Christi nomen & authoritatem ad examina & iudicia doctrinarum residere, non tantùm doctrinaliter (vt aiunt) sed iudicialiter, & pœnis quibusdam indictis contra peruicaces & refractarios;

quod nulli ſcholæ niſi fortè in ſuos & in quibuſdam caſibus conuenit; ſi verò per nomen Chriſti afflatum, & directionem illius interiorem, occultamque intelligat, idem cum Suenckfeldio, Caluino, & libertinis ſentit, qui fidem omniaque credenda referunt ad inſtinctum, afflatumque particularem Chriſti aut Spiritusſancti, quem ſe in cordibus experiri iactant: credibile autem eſt, valdéque probabile Vigorium per nomen Chriſti, hunc particularem afflatum intelligere, cùm non alia de cauſa iudicium Eccleſiæ Senonenſis contra libellum Richerij quem ſibi defendendum propoſuit, detrectet ac refugiat; quam quia etſi authoritate non caruerit, non tamen Chriſti directionem & afflatum habuit.

In confeſſione Geneuenſi, vbi loquitur de diſcretione librorum canonicorum ab apocryphis.

Quod certè vt ridiculum eſt, ita & falſiſſimum: Cùm enim vt in nomine Chriſti ineatur congregatio hæc quatuor præcipuè requirantur (quicquid reclament aduerſarij;) In congregante authoritas, in congregatis obedientia, in cauſa pietas, & in opere diligens perquiſitio, legitimaque procedendi forma: Si in particularibus eccleſiis quatuor hæ conditiones reperiũtur, illis profectò Spiritusſanctus aſſiſtet, & affulgebit: At prima cõditio Senonenſi congregationi non defuit, ſiquidem illuſtriſſ. Card. Perronius hanc congregationẽ indixit, quẽ cõſtat debita authoritate munitum fuiſſe: cùm Archiepiſcopi ſupra ſuffraganeos in his tribus, iure prouocationis, cogendi cõcilij prouincialis, & ex concilio Trid. ſeſſ. 23. cap. 18 inſtituendi puerorum ſeminaria authoritatem habeant. Secunda etiam conditio adfuit, cùm ad mandatũ Archiepiſc. cõprouinciales Epiſcopi, tẽpeſtate licèt pa-

rum commoda, expensisque maximis statim conuenerint, neque defuit etiam tertia. Quæ enim maior pietas esse potest, quàm arcē Ecclesiæ, quæ eo libello grauiter impetebatur, tueri? quàm dignitatem Ecclesiasticam tam hostiliter imminutā erigere? quàm iura summi Pontificis sarta tecta seruare? & ab horrendo schismate totam Ecclesiam liberare? Quod certè ni fecissent vigilantissimi Antistites illiusque auctoritatem cui totus commissus est mundus non defendissent, ab eo per quem totus factus est mundus damnationis sententiam subiissent. Nec denique quarta aberat, scil. diligens perquisitio & legitima procedendi forma; siquidem quater congregati sunt & toties singulas libri propositiones maturè examinarunt, tandemque inuocato diuino numine per Missam de Spiritu Sancto omnes zelo fidei, vnitatisque ecclesiæ amore inflammati, librum prædictum æquissima censura notarunt. Nemini itaque dubium esse potest quin Ecclesia Senonensis, in hoc tam laudabili negotio perficiendo, in nomine Christi fuerit congregata. Quod cùm Gimontius aduersus Richerium fusissimè pertractet, & cēsuræ huius grauissimæ æquitatem luculentissimè demonstret, in ea denuò demonstranda non est quod debeam immorari: Hæc autem idcirco placuit explicare, vt sciat Vigorius se in huius libelli Richeriani patrocinio ac defensione omnes Galliæ Episcopos, & præsertim Senonensem prouinciam grauiter offendisse.

Secundum monitum est eundem Vigorium, vt facilius & impunè sua commenta publicaret, erroresque suos & imposturas persuaderet, & falsitates pro

Catholicis dogmatibus, incautis indoctisque obtruderet, Responsionem Synodalem concilij Basileensis Eugenij quarti oratoribus datam de industria assumsisse, omniumque oculis statim initio suæ commentationis vulpina mente exposuisse: quippe qui non ignoraret concilium Basileense tanquam Galliæ Palladium, sacram anchoram, aramque tutissimam quibusdam Gallis reputari, eos imitatus, qui vt venena propinent securius, aromatum fragrantiam, saccari dulcedinem, odorumque sæpe miscent suauitatem. Sæpe enim sub dulci melle venena latent, & verissimè dictũ ab antiquis, vbi mel, ibi fel; vbi vber, ibi tuber; vbi rosa, ibi spina, & plerunque in molli ac viridante herba latet anguis. Sic sane hæresiarcharũ ingenium (quos imitatur Vigorius) comparatum est, qui toti ad dolos & fraudem nati errorum suorum impuros ac venenatos latices auratis poculis inclusos exhibent: Sic Arius symbolum fidei, vt filij consubstantialitatem vnà cũ patre euerteret prima fronte proposuit: sic Sabellius vnitatem Dei contra idololatras mirificè commẽdauit, vt diuinarum hypostaseon Trinitatem cautiùs destrueret: sic Berengarius virginitatem Mariæ laudibus extulit vt à fide augustissimi Eucharistię sacramenti Christianos abalienaret, sicque Lutherani & Caluinistæ nihil frequentius in ore habent quàm scripturam, Euãgelium, infinitum Christi meritorum pretium, Ecclesiæ reformationem, & id genus plurima specie recti tecta & obuelata, quibus quotidie plebeculam decipiunt; sic nuper Molinæus Iurisconsultus, cùm supremi Pontificis potestatem imminuere sibi proposuisset, Senatusconsultum Pa-

Cur Vigorius responsionem synodalem exponendam assumpsit.

Remūdus Rufus cōtra Molinæū suꝫ-ſantem.

riſienſem contra Petrum de Luna Anti-pontificem Auenioni ſedentem tanquam infamis ſui libelli pallium aſſumpſit, vt errores ſuos meliùs faciliúſque inſinuaret. Sed certè ſacco ſe (vt aiunt) madido contra imbrem ingruentem operuit Vigorius; neque enim Concilium Baſileenſe, nec reſponſio ſynodalis alicuius ſunt ponderis, vt ſequenti capite pluribus demonſtrabo. fuit enim concilium Baſileenſe ſeditioſa contra verum Pontificem Eugenium I V. coniuratio, potiuſque latrocinium quàm concilium, eiuſque acta demptis beneficiorum pragmaticis, reciſa damnataq; in Eccleſia ſemper fuerunt.

Neque vero tantùm hac ſynodalis reſponſionis exhibitione Vigorius doctrinæ ſuæ ſchiſmaticæ virus tegit & diſſimulat, ſed ſpecioſis quibuſdā rationibus, & argutiolis, tanto artificio, tantaque veriſimilitudine contextis illud porrigit, vt verum falſum, bonum malum, & malum bonū, lucem tenebras, & tenebras lucem putet (ni caueat) lector moderatus. In primis enim, ex eo quòd Chriſtus verum ſit & eſſentiale caput Eccleſiæ, perſuadere nititur ſummū Pontificem vel non eſſe caput Eccleſiæ, vel ſi ſit, non eſſentialiter, ſed accidentaliter duntaxat hanc capitis dignitatem ei conuenire.

Præterea ex eo quod Chriſtus (vt teſtatur Euangelium) Eccleſiæ perpetuò adſit, eiuſque curam gerat continuam, concludit Eccleſiam Pontifice viſibiliter pręſidente opus neceſſario non habere: & ex eo quod ſacratiſſima ſit conciliorum generalium authoritas, eorumque frequens celebratio fœcunda agri dominici irrigatio, regimen Ariſtocraticum Monarchico

præponderare, vtiliusque esse colligit: itemque ex eo quod authoritas conciliorum à Deo immediatè deriuetur, quamlibet aliam etiam Papalem ei obedire teneri, ait, summamque Pontificis in Ecclesiam non esse authoritatem, eiusque iura non adeò sacra & inuiolabilia esse quin à concilijs generalibus rescindi possint, & aboleri. Deniq; in mores summorum Pontificum ita debacchatur, vt plerosque faciat simoniacos, alios odijs, vindictæ, & inuidiæ valde obnoxios, alios vel dijs sacrificasse, vel idolorum sacrificia permisisse, eosdem denique contradicentia dixisse & decreuisse, vt certè parum absit, quin Apostolicam sedem cum Donatistis cathedram pestilentiæ, cum Valdensibus purpuratam meretricem, cum Vvicleffo Satanę synagogã, cum Caluinistis Antichristi solium, cum Berengario non Pontificem, sed pompificem, & Papas non Petri, sed Neronis successores appellet: ita cæsim punctimque Pontificum vitia & culpas, si quæ in moribus eis obrepserint, carpit & insectatur: quæ cùm in progressu disputationis sigillatim nobis sint refellenda; placuit tamen ante omnia infensissimum Sedi Apostolicæ Vigorij animum indicare, qui tamen se clarissimi Doctoris, & Archiepiscopi Vigorij Pontificiæ dignitati cùm viueret addictissimi nepotem vanissimè gloriatur. *At genus & proaui & quæ non fecimus ipsi* parum aut nihil prodesse solent.

Sed nec aliud fraudis genus possum præterire: videtur enim in fronte seu programmate quæstionis Catholicus, & cum Catholicis rectam fidem tenere, at in probationibus mentem suam aperit, & quid in pectore gerat manifestè prodit: Ideoque si posteriora

cum prioribus, ſeu probationes cum propoſitione coniungas, videbis hominem mentiri ſibi, & priorum dictorum plane immemorem: vnicum huius puerilis doli vel potius ſtuporis exemplum proferam: in programmate Romanum Pontificem Eccleſiæ vniuerſalis primatem agnoſcit, ſed mox dignitatem illam reliquis etiam Patriarchis conuenire affirmat in probationibus: cùm eiuſdem Eccleſiæ caput ſupremum eſſe ait, iſtud ſtatim vel ab Eccleſia ipſa, vel à concilijs, vel ab Imperatoribus, vel à conſuetudine, eum eſſe conſecutum ſcribit: ideoque quo iure illi conceſſa fuit hęc dignitas, eodem adimi poſſe contendit. Quis hominis leuitatem aut malignum ſtuporem non demiretur? aut quis tam apertam contradictionem in re grauiſſimi momenti æquo animo ferat? altera manu panem, altera verò lapidem, remedium hinc, illinc ſcorpionem porrigit, vt quod de Conſtantio Imperatore aduerſus Catholicos dolis malis, & arte Pelaſga, ſæuiente dixit olim beatiſſimus Hilarius, idem de Vigorio dici merito debeat, vt ſit Vigorius hoſtis blandiens, Chriſtum ſpecie religionis occidens, ſubrepat nomine blandientis, occidat ſpecie religionis, Chriſti fidem Chriſti mendax prædicator extinguat, contra Chriſtum Chriſti ſigna gerat, & de Euangelio contra Euangelium glorietur.

Hilarius lib. aduerſus Conſtantium.

Auguſt. epiſt. 62.

Tertium monitum eſt, eundem Vigorium perfricta fronte ſuos errores affinxiſſe patruo ſuo Simoni Vigorio inſigni Doctori & Archiepiſcopo Narbonenſi, eoque audacię & temeritatis deueniſſe, vt ſcholæ Pariſienſi per apparitorem ſignificare auſus ſit, ſe quæcũque ſcripſit, ex patrui ſui membranis, & manuſcriptis

ſcriptis excerpſiſſe,quaſi verò tantus tamque pius do-
ctor, qui tot homines à fide aberrantes in viam veri-
tatis, & Eccleſiæ caulas reduxerit, qui ſacris ſuis con-
cionibus vitiorum monſtra debellauerit, qui non ſo-
lùm vrbem Pariſienſem, ſed totam Galliam ab hære-
ticorum incendio liberauerit, indigniſſimi nepotis
ſui erroribus laborauerit, & hæreticus ipſe de ſede
Apoſtolica malè ſentiens, hæreticos ipſos de eadem
ſede peſſimè ſentientes conuerterit. Mihi ſanè inſi-
gnem hunc optimumque doctorem, ac ſuo merito
Archiepiſcopum videre, eiuſque conciones audire
nunquam licuit, quippe qui Pariſiis iam exceſſerat, &
apud Narbonenſes demorabatur cùm in academiam
ipſe primum veni: Illius tamen fama ſic iam percre-
bruerat, vt tanquam doctrinæ, & pietatis exemplar,
& Romanæ Eccleſiæ columen haberetur. Quod cer-
tè indicat ſatis doctiſſima illa diſſertatio quam cum
præcipuis hæreticæ prauitatis magiſtris magno Ca-
tholicorum omnium applauſu habuit, quæ typis
mandata multos in Eccleſia retinuit, alios verò ad
eam fœliciter reduxit, dicam tamē ingenuè, plures eo
tempore palam, & publicè affirmaſſe nonnullos ex
tanti Archiepiſcopi cognatione, de fide vt par erat
non ſentire, ideoque miratos eſſe quo pacto qui tam
multos ad Eccleſiam poſtliminio reducebat, ſuos
non reduxiſſet, & qui vbique errantes reuocabat, in
patria tamen ſua, id eſt, in cognatione pertinaces, &
obfirmatos experiretur. Vnde dubitare nemo debet
quin peruicax nepos patruo ſuo, vt faciliùs doctrinæ
ſuæ ſchiſmaticæ viam ſterneret, ſcripta ſua temere, &
mendaciter affinxiſſe, neque vllas contra Sedem Apo-

Defenditur Vigorius auunculus contra nepotem.

ſtolicam tabulas Archiepiſcopi Vigorij manu exaratas extare, præſertim cùm ex concionibus eius ab annis triginta & amplius editis contrarium manifeſtè conſtet: primùm enim quo pacto in illius manuſcriptis (ſed maleſcripta fecit, non manuſcripta inuenit nepos verè nepos) extaret ſummum Pontificem conciliis œcumenicis hactenus in Eccleſia celebratis minimè præfuiſſe, quod tamen nepos audacter aſtruit cap. 7. numero 14, cùm auunculus feria 6. poſt Dominicam paſſionis fol. 311. Cōcionū affirmet, Pontificem Romanum, aut eius legatos eis perpetuò præfuiſſe; ſic enim loquitur, à tempore Apoſtolorum, qui primitiuam credendi regulam tradiderunt, Profertote quæſo concilium, cui Papa per ſe aut per commiſſarios non præfuerit, illudque ex eo quod ante dixerat concludit, Petrum, nempe cuius Romani Pontifices in Eccleſiæ primatu ſunt ſucceſſores, concilio Hieroſolymitano præfuiſſe; in hoc enim (inquit) quæſtionem propoſuit & concluſit: quæ duo acta ſunt ſuperioris in concilio. Deinde an in membranis eiuſdem Archiepiſcopi extaret Principes concilijs generalibus præfuiſſe? (quod tamen affirmat nepos cap. 14. numero 2.) cùm eadem feria 6. fol. 312. grauiter inuehatur in hæreticos tanquam in principum adulatores, quod ipſi ijs perſuadere nitantur eorum eſſe, conciliis œcumenicis præſidere: quod exēplo Conſtantini refellit, de quo tria dicit. Primo concilio Nycæno non præfuiſſe, ſed legatos Papæ. Secundo, humili & infima ſede conſediſſe. Tertio, non niſi annuentibus Epiſcopis, id eſt, vt ipſemet explicat, *du conſentement des Eueſques,* conſediſſe.

Præterea an in Archiepiſcopi chartis extaret, Reges, & Principes de cauſis querelíſque Epiſcoporum & Sacerdotum poſſe cognoſcere? (quod numero 1. cap. 14. contendit nepos) cùm eadem concione hoc plane refellat idem Archiepiſcopus aſſumpto Conſtantini exemplo, qui libellum quendam querelarum aduerſus Epiſcopos igni tradidit, dicens, Vos eſtis Sacerdotes à Deo conſtituti, non meum eſt de vobis iudicare, qui poteſtatem habetis nosipſos iudicandi. Narratque ex Theodoreto lib. 1. cap. 7. Conſtantinum ſæpius dicere ſolitum, ſi viderem Sacerdotem ſcelus aliquod perpetrantem, veſte mea, ne ab aliis videretur, eum operirem. Item cùm Reges aut Imperatores (inquit) ſe negotiis Eccleſiaſticis immiſcere præſumpſerunt, grauiter ab antiquis Eccleſiæ patribus fuerunt obiurgati, profertq; illud D. Ambroſij ad Imperatorem Valẽtinianum: Quis abnuat in causâ fidei Epiſcopos ſolere de Chriſtianis Imperatoribus, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Pater tuus dicebat, non eſt meum iudicare inter Epiſcopos. Denique in Tridẽtinum concilium inſurgit nepos, impudenterque affirmat Spiritum ſanctum ei minimè præfuiſſe, cùm omnia ad arbitrium ſummi Pontificis in eo ſint definita, nullaque ſeſſio celebrata ſit, in qua de libertatibus, immunitatibus, & priuilegijs Eccleſiæ Gallicanæ detractum non fuerit. Audiamus patruum Sermone citato, qui ſub finem ægerrimè fert concilium Tridẽtinum in Gallia, nec recipi, nec publicari, eiuſque rei cauſam refert in Germanos, quorum offenſionem in eo recipiendo Galliæ Reges verebantur, prædicitque poſteritatem illud approbaturam, &

in eodem honore quo concilium Nycænum habituram. Fuit aliquãdo tempus(inquit)cùm Ecclesia toto orbe concilium Nycænum non recipiebat, tandem tamen reiecto Ariminensi, illud vbiq; locorum vnanimiter recepit; ita & concilium Tridentinum, licèt ad tempus in quibusdam locis non recipiatur. Sed excutiamus, quæso, quæ in patrocinium erroris sui ex sermonibus patrui eruit nepos, quæ quamuis inuitus & contra mentem eruerit, vt satis constat, nihilominus quia multorum oculi tenentur ne veritatem ipsam in concionibus contentam videant, oportet ea ipsa quę adducit paucis aperire & soluere.

Primum itaque testimonium, illudque validissimum (inquit) ad euertendam Papæ absolutam Monarchiã, quam plerique in Ecclesiam hodie inuehunt, extat feria tertia post primam Dominicam Quadrag. fol. 66. quo quidem improbat Pontificis super simonia dispensationes, quibus pensiones cõstitutas super beneficijs redimi permittit. *Tout est perdu par simonie, comme par ceux qui disent: Vien-ça, ie te resigneray mon benefice, & tu me feras tant de pension, & puis tu racheteras ceste pension.* Videat quæso lector, si doctor Vigorius, his verbis Pontificem feriat, ne verbum vllum de Pontifice facit, neque de dispensationibus Papæ, nihil de absoluta Pontificis Monarchia, odium certè plusquam vatinianum quo Pontificem nepos Vigorius prosequitur, eum ita obcæcauit, vt quæ auunculus minimè cogitauit, eum dixisse credat & scripsisse. Neque verò tantum in rebus Theologicis aberrat, sed etiam in rebus beneficiarijs iurisque Canonici notitia planè cæcutire demonstrat, licèt forum in

quo lites beneficiales maximè discutiuntur à viginti nouē annis adierit, causasque audierit. Sciat ergo patruum doctissimum inuehi duntaxat in eos, qui cum pacto redimendę pensionis beneficiū consequuntur aut resignant; hoc enim merè est simoniacum, nec à Pontifice vnquam permissum: non autem in eos qui pensionem beneficio tanquā onus aliquod impositū redimunt; hoc enim omninò licet, & sine Pontificis dispensatione, saltem in Gallia, vbi istud moribus est receptum; redimere enim pēsionem non est aliquod ius spiritale emere, sed potiùs onus tēporale debitū, nempe soluendi quotannis certam summā extinguere. Tolet.lib.5.c.72.Caiet.tom.1.opusc.3. respons.10. & passim Doctores in Clement.vn.de supplendis negligentiis. §. eadē quoque authoritate, sed præterea subdit nepos ex Quadragesimali patrui fol.57. Deus non est similis iis qui pecuniā pręhendunt, & dispensationem qua damnamur conferūt, quasi auunculus ordinarias Pontificum dispensationes, quæ erogata pecuniæ summa conferuntur, reprehendat, itaut Pontificem simoniam cōmittere persuadere velit, idque ex Scholæ Parisiensis decreto dicens: *Quæ doctrina confirmata fuit per Sorbonam, 8ª propositione censuræ cōtra Ioannem Sarrazin datæ, qui asserebat Papam simoniam canonicam non posse committere, cùm è contra Schola Parisiensis ita statuerit: Quicumque viator habens vsum rationis, cuiuscunque sit dignitatis, authoritatis, aut præeminentiæ, etiamsi Papalis existat, simoniam potest committere:* In quo non minùs imperitè quàm insolenter loquitur; neque enim vnquam patruus asseruit Pontificem simoniam canonicam posse committere, neque Schola Parisiensis in

censura sua istud edixit, sed tãtùm quemlibet viatorẽ cuiuscumque dignitatis, etiam Papalis simoniã posse committere: quod equidem de simonia iure diuino prohibita verum est, non tamen de ea quæ iure tantũ humano prohibetur; quia sicuti certum est Pontificẽ iure diuino maximè teneri, nec de eo cum aliquo posse dispensare, ita certum est iure humano & positiuo, cuius est præcipuus legislator, esse omninò solutum. Et quãuis prædictus Ioannes à schola Parisiensi damnatus asseruisset Summũ Pontificẽ non posse simoniã canonicã cõmittere, prudẽter tamen schola Parisiẽsis de simonia vniuersim in sua condẽnatione locuta est. Addendum verò est Pontificem, etsi simoniam iure diuino prohibitã committat, non tamen pœnas iuris proptereà incurrere, neque enim proptereà suspẽsus, excommunicatus, aut irregularis censetur, cùm eiusmodi pœnæ sint de iure positiuo, quo Pontifex tanquam Princeps minimè astringitur.

Secundum testimonium, ex fer. 3ª post Domin. 3ᵃᵐ fol. 168. depromitur, quo Pontificem fraternæ correctioni, immò & cẽsuræ Ecclesiasticæ esse obnoxiũ, ex patruo cõtendit, his verbis: *Cùm de correctione fraterna quæstio est, quiuis Christianus etiam Papa ei subiectus est in concilio Constantiensi & Basileensi, ad extinguendũ schisma quod tunc Ecclesiam propter depositionem Papæ qui præerat, neque bonus Christianus erat, diuexabat, definitũ est, Papam non solùm fraternæ correctioni, sed etiam censuræ Ecclesiasticæ subiectum esse.* Et quærenti quî istud fieri possit, cùm Papa sit omnium supremus? respondet, *hoc non obstante non desinere esse fratrem nostrum, nam quando orat, non minùs quàm reliqui dicit: Pater noster. Ex quo euidenter con-*

ſtat (ait nepos) *Patruum Concilium Papa ſuperius agnouiſſe, & Eccleſiæ regimen non abſolutè monarchicum, ſed ariſtocraticum exiſtimaſſe.* Reſpondeo, vt vt ſit, de Pontificis & concilij comparatione, meritò doctorem Vigoriũ agnouiſſe Papam obnoxiũ eſſe fraternæ correctioni. cũ enim hæc correptio ſit actus charitatis, quæ ad eos omnes extẽditur de quorũ emendatione non deſperatur, & nonnunquã contingat Papã in fide & moribus errare, manifeſtè cõſtat eũ fraternè moneri & corripi poſſe, ac debere; ita tamẽ vt hæc correptio modeſtiſſima quadã humilitate cõdiatur: quod ex cõcilio 8. can. 21 qui incipit Dominicum ſermonem, cuius pars habetur 22 diſt. capit. definiuimus, colligitur. *Vniuerſalis Synodus*, inquit, *cum conuenienti reuerẽtia quamlibet quæſtionem de Romanorum ſede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter ſententiam in Romanum Pontificem dicere.*

Secundò, bene etiam aſſeruit patruus, Papam, ſi nõ ſit bonus Chriſtianus (vt ipſe loquitur) cenſuræ Eccleſiaſticæ eſſe obnoxium, dummodo hac loquẽdi formula intelligat, ſi ſit hæreticus, aut à reliquo Eccleſiæ corpore ſchiſmate ſeparatus; tunc enim non tantùm fraternè moneri & corripi debet, ſed ſi pertinaciter errori aut ſchiſmati adhæreat, deponi, in ordinem redigi, & cenſuris innodari: quod à Cõcilio Conſtantienſi (propter horribile trium pontificum ſchiſma) & Baſileenſi (quicquid ſit de eius authoritate, de qua poſteà dicam) in quo Eugenius IV. hæreſeos accuſabatur, videtur fuiſſe determinatum.

Tertium feria 3ª Paſchæ fol. 416 declarat infallibilitatem in Eccleſia reſidere, & non in ſolo Romano

Pontifice: *Verbum*, inquit, & *Euangelium, germanum eius sensum & intelligentiam voco, & vbi eam reperiam, in iis quos Spiritum Sanctum habere constat, & quibus certum est Christum eum promisisse, non promisit cuilibet particulari, sed Apostolis & Ecclesiæ, iuxta illud: Ego rogabo Patrem meum & alium Paracletum dabit vobis. Hæc Ecclesia est columna veritatis, quæ falli nequit.* Respondeo nos infallibilitatẽ Pontifici non ita tribuere, vt eã Ecclesię diffusæ per Orbem siue in concilio coactæ denegemus. Hæc enĩ est firmamentum & columna veritatis, contra quam portæ Inferi non præualebunt: nõ tamen propterea desinit Pontifex quando ex Cathedra definit, eodem infallibilitatis priuilegio gaudere, idque ad maiorem Dei gloriam, qui non vnam fidei regulam, sed plures fidelibus reliquit. Ex quibus manifestissimum est, doctorem Vigorium Narbonensem Archiepiscopum cum indocto nepote nullo modo consensisse; sed fidẽ longè diuersam, quandiu vixit, coluisse & docuisse: quod cùm ab omnibus qui eum nouerunt cognitum sit, quid de nepote contrarium tenente sentiendum erit? qui in re tanti momenti patruo Religionis Catholicæ obseruantissimo contradicit, variáque eius testimonia prauè & perfidiosè in alienum sensum detorquet.

Quale iudicium de Concilio Basileensi, & Responsione synodali ferendum sit, tam in Ecclesia Vniuersali, quàm in Gallia.

DE Concilio Basileensi & synodali responsione, quibus tanquam præualido scuto omnes aduersariorum machinas retundere se putat

Vigorius

Vigorius, ante omnia nobis est differendum, an scilicet valida sint,& alicuius authoritatis. Cuius quæstionis solutio ex alterius profecto solutione dependet, An ipsum cõcilium fuerit œcumenicum & generale; hoc enim semel concesso iuxta opinionem quæ communiter Parisiensibus affingitur, sequetur statim illud esse validum, eiusque definitiones tanquam fidei diuinæ oracula ab omnibus esse recipiendas: illi enim confirmationem summi Pontificis, conciliis generalibus negant esse necessariam, cùm satis superque sua generalitate fulciri ea & corroborari putent. Ne igitur instar Vigorij res & documenta misceamus, aut absque ordine progrediamur, priùs de Concilio Basileensi, posterius verò de responsione synodali differemus.

Quare cõcilium Basileense fuerit indictum.

Quod itaque ad concilium Basileense spectat, sciendum est in primis illud ex concilij Constantiensis decreto à Martino v. Papa fuisse primùm indictum annis decem post absolutum Constantiense concilium: sed cùm immanis & pestifera lues Papiense cælum infestaret, neque citra periculum possent illic Patres cõmorari, eidem Martino Senas conciliũ transferre placuit. Cùm autem varij ex variis mundi partibus donis & largitionibus regis Aragoniæ Pontifici tunc maximè infensi Senas confluerent, & de Martino à sede Apostolica deturbando cogitarent, concilium antequã inchoaretur prudentissimè inhibuit;& ne quis calumniæ ei esset locus, aliud concilium post septem annos celebrandum Basileæ contra Bohemorum errores indixit, & Iulianum Cardinalem Cæsarinũ, qui eius nomine concilium haberet, & ad optatum exitum perduceret, deputauit. Sed ecce cùm ad celebrandum cõ-

cilium omnes se compararent, moritur Martinus, & in eius locum sufficitur Eugenius huius nominis IV. qui mox indictionem concilij, & legationem Iuliani speciali diplomate confirmauit, sicque anno 431° supra millesimum ab ipso Iuliano concilium hoc Basileense fuit inchoatum, cuius etsi principia laudabilia fuerit, posteriora tamen prioribus minimè responderunt, vt ex sequentibus manifestissimè constabit. Quæstio autem est, eaque non mediocris inter Parisienses, an œcumenicum censeri debeat, & an omnia quæ ad essentiã generalis concilij desiderantur, in eo reluceãt. Sanè verò authores qui eius acta literis consignarunt, illud tanquam generale nobis obtrudunt, vt Paulus Langius acerrimus illius propugnator in Chronico Citirensi, Æneas Syluius in historia quam de ipso scripsit, Guimer Senator Parisiensis in Pragmaticam Sanctionem statim initio; Card^is^ Bellarminus, qui illud inter generalia partim recepta, partim verò reprobata quæst. 2 disput. de conciliis enumerat: Et Binius in notis ad istud concilium, ea præsertim ratione ductus, quod duorum Pontificum, Martini scilicet, & Eugenij literis, præsidente Iuliano legato, fuerit conuocatũ & incœptum: desiit tamen (inquit) esse œcumenicũ, quãdo illicitã potestate vsurpata in Pontificem Romanũ sentẽtiam ferre præsumpsit. Verùm, quia hi authores quæstionem obiter & in trãscursu duntaxat attigerũt, eamque potiùs supposuerunt, quàm rationibus vltrò citróque deductis ex professo expenderunt, non verebor asserere concilium illud Basileense quouis modo & tempore spectatũ absolutè œcumenicũ non fuisse, sed tantùm secundùm quid, nempe ratione conuoca-

Cõcilium Basileense non fuit œcumenicũ nisi ratione conuocationis.

tionis à Pontifice solemniter indictæ.

Quod vt faciliùs demonstretur, scire oportet ad rationem concilij generalis quatuor esse necessaria (quo genere necessitatis dicetur posteà) primùm enim requiritur indictio & conuocatio generalis in maioribus & primariis totius Ecclesiæ prouinciis, idque authoritate Pontificis, cui hoc ex officio incũbit. Secundò, vt nullus Episcoporum vndecumque sit, & in quacũque terræ parte ac regione degat (dummodo cum summo Pontifice communionem habeat) ab eo excludatur. Tertiò, vt ex maiori Christiani orbis parte aliqui Episcopi concilio intersint: itaut si celebretur in Oriente, non sufficiant Orientales nisi cum iis Occidentales intersint, & è conuerso, si in Occidente nõ satis sint Occidentales nisi etiam adsint Orientales, quamuis necesse non sit si in Oriente concilium celebretur, tot esse occidentales quot orientales. hi enim possunt illis esse multò plures, sicut & è contrà, quãdo in Occidente celebratur concilium, vt videre est in concilio Nycæno in Oriente celebrato, vbi ex Occidente quinque duntaxat interfuerunt, duo ex Italia, vnus ex Gallia, vnus ex Hispania, & alius quispiam ex Africa.

Quatuor conditiones Concilii Generalis.

Quartò, vt in eo per se vel per legatos præsit Pontifex Romanus, quamuis communiter per se interesse non soleat, sed tantùm per legatos. Sunt qui quintam requirunt conditionem, præsentiam scilicet Patriarcharum Orientis, sed hæc nõ est necessaria saltem hoc tempore, quo vel in hæresim prolapsi sunt, vel saltem cum Sede Apostolica nullam amplius habent cõmunionem. Ex his autem quatuor conditionibus constat

primam non esse concilio essentialem, nec illud essentialiter constituere, sed tantum esse conditionem sine qua generale non foret. Primùm, quia est omnino extrinseca concilio, siquidem conuocatio illa multis annis præcedere interdum solet cōcilium. Sic enim plures anni à conuocatione Tridentini concilij vsque ad eius celebrationem & perfectionem effluxerunt. Secundo, aduentus Episcoporum ad concilium non potest concilium generale essentialiter constituere; nondum enim est nec potest eo tempore adhuc esse: Ergo multo minùs conuocatio & indictio illud essentialiter constituet, cùm hæc aduentum Episcoporum semper antecedat: est ergo tantùm conditio sine qua conciliū generale non foret, vt ex hoc solo manifestè constat, quod concilium Constantinopoli aduersus imagines celebratum, huius conditionis defectu à VII^a synodo Nissæ habita fuerit reprobatū, & ab Ecclesia explosū.

Prima conditio cōcilium essentialiter non cōstituit.

Secunda vero prorsus est essentialis; Si enim alicui Episcopo communionem cum sede Apostolica habenti liber ad concilium accessus denegaretur, absolutè dici non posset œcumenicū, quia tunc non omnes Episcopos Catholicos cōplecteretur, nec omnes ecclesias per vniuersum orbem diffusas repræsentaret.

Tertia similiter est essentialis: nec enim aliter dici potest œcumenicum, quàm quia orientalem & occidentalem Ecclesiam repræsentat, quod non nisi per Episcopos vtriusque Ecclesiæ oncilio præsentes fieri potest. Nec obstat quod concilium primum Constantinopolitanum hac tertia conditione caruerit, quippe cum ei duntaxat centum quinquaginta oriētales Episcopi interfuerint, quod tamen à fidelibus omnibus

tanquam generale & à D. Gregorio lib. 1. epist. 24. tanquam Euangelium suspicitur & adoratur. Ideo enim dicitur œcumenicum, quia id quod occidentalis, imo vniuersa Ecclesia cum Damaso Pontifice de Spiritus sancti diuinitate sentiendum esse decreuerat, paribus votis & vnanimi consensu omnes hi Orientales in congregatione Constantinopolitana approbauerunt, sicque ex Occidente & Oriente fuisse quodammodo congregatum legitime dicitur. Adde quod licèt cùm celebraretur, œcumenicum proprie non fuerit, quia tamen posteà authoritate Damasi à tota Ecclesia tanquã generale est habitum, non immeritò ab omnibus Christianis tale habetur & colitur Quarta denique est omniũ maximé essentialis, vt nẽpe conciliis generalibus per se vel per legatos præsideat Põtifex; aliàs enim futura sunt prorsus acephala, potiúsque latrocinia quàm concilia, cùm præcipuã & nobiliorem, cæterisque aliis præferendã Ecclesiæ partem minimé tunc repræsentent.

Conciliũ Basileense non fuit œcumenicum post reuocationem Eugenij IV.

Hinc facile est de concilio Basileensi ante & post reuocationem Eugenij IV[i] ferre iudicium. Quod enim post reuocationem non fuerit œcumenicum, manifestius est quàm vt probari debeat. Primùm, quia non amplius ei præerat Eugenius, cuius tamen præsidentia per se aut per legatos essentialiter erat necessaria. Sicut enim corpus humanum simul atque ab eo caput est amputatum non potest non interire, quippe cum eius influxum continuum necessariò postulet: sic Ecclesia vel conciliũ illam repræsentans, vbi capite destituitur, nullius est roboris & authoritatis: hoc quidem nunc tanquam certissimum supponimus, sed infra vberius

contra Vigorium demonſtrabitur. Secundò, Iulianus Cardinalis ab hac Eugenij reuocatione amplius Legatus dici nō potuit: quis enim neſcit poteſtatem legati eſſe ad nutum delegantis, & eam ſtatim à reuocatione prorſus euaneſcere? Tertio, poſtquam hæc concilij reuocatio ad notitiam Epiſcoporũ deueniſſet, maior pars à cōcilio ſeceſſit, ſoluſque Cardinalis Arelatenſis cum paucis Epiſcopis & ſacerdotibus, defectum poteſtatis, quo nullus eſt maior, patientibus remāſit, neq; vlli patebat ingreſſus niſi contra Eugenium, iuraque ſanctæ Sedis Apoſtolicæ palam proteſtaretur: aliàs nō ſolùm iure ſuffragij priuabatur, ſed etiam de vita periclitabatur, quod infrà ex Ænea Syluio cōſtabit, ſicque tunc cōcilio Baſileēſi tertia cōditio, quæ omnino eſsētialis eſt, deerat. Quarto, Baſileēſes eò tũc inſaniæ & impudentiæ deuenerant, vt Eugenium IV. pium Pōtificem nullius criminis, nedum hęreſeos, reum (niſi forte hæreſim dixeris iura à Chriſto ponticibus commiſſa, illæſa illibataque ſeruare) deponere præſumerēt, & Amedeum Ducem Sabaudiæ ſub infœlici Fœlicis V nomine in eius locum ſufficere non erubeſcerent: Quod quàm iniuſtum eſſet & iniquũ, declarabat ſatis aſperrimũ hoc ſcōma, quo Amedeum Eccleſia omnis tunc perſtringebat: BASILEA PEPERIT BASILISCVM. Neque vero iure dici poteſt Amedeum relicto ſęculo in eremum anteà ſeceſſiſſe, & ab eremo ad Pontificatus apicem inuitum & renitentem à Ludouico Arelatenſi, cæteriſque electoribus non tam electũ quàm raptum fuiſſe: licèt enim ſe eremitam externa quadam ſpecie profiteretur, cum tamen animum ereminticum nunquam habuiſſe, facile eſt oſtendere: tum

quia non ſolus,ſed cum aulicis familiaribus ad eremiticæ vitæ tædium leuandum in ſua qualicumque eremo demorabatur: tum quia etſi filium natu maiorem Liguriæ principem,minorem verò comitem Geneuẽſem creauiſſet, ſibi tamen Ducatum integrum Sabaudię reſeruauerat,quod à profeſſione monaſtica & eremitica omninò alienũ eſt: tum quia ad eum quotidie tanta ferculorum lautiſſimorum & delicatiſſimorum, vinique generoſiſſimi & ſuauiſſimi copia ad caſtrum vulgo *Ripalium*,quo tanquam eremo ſe continebat, ferebatur, vt ab eo tempore in Gallia prouerbium, *Faire ripaille*, natum ſit,quod eſt,genio liberius indulgere,& vino cibiſque ingurgitari:tum demum Amedeus, vt conſtat ex Francorum Annalibus, ambitionis, & nefariæ proditionis contra Carolum VII. Francorum Regem arguitur, & inclinante ætate de induſtria, non tam ſtudio vitæ ſolitariæ,quàm, vt ad ſupremum Pontificatum viam ſibi faciliùs ſterneret, in caſtro Ripalio , ſeſe ſimulata pietate continuit. Quarto hæc Baſileenſis ſynodus authoritate legitima tandem fuit reprobata, vt conſtat ex ſeſſione 2ª.concilij Lateranenſis, ſub Leone X. vbi conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis appellatur, quod ſaltem pro tempore Eugenij reuocationem ſubſequente vim habet.

Serran. in Carolo 7.

Sed placet concilij huius Baſileenſis ſtatum & progreſſum ex Æneа Syluio illius ſcriba diligentius exquirere,qui quamuis illius tanquam validi, & legitimi fuerit acerrimus propugnator: quod ſe feciſſe extremis ſuis annis tulit ægerrimè, vt liquet ex bulla retractationis quam ipſe motu proprio edidit: ex his ta-

men quæ de illius concilij historia scriptis consignauit quanti sit æstimandum facile est intelligere. narrat enim primùm, cùm conclusiones à Doctoribus longa concertatione discussæ, Nurimberga Basileam allatæ essent, vt per concilium confirmarentur, & tanquam fidei decreta vniuersis fidelibus proponerentur, tantum fuisse exortum tumultum, vt vicinus vicinum etiam proximè assidentẽ audire non posset, aliis pro cõclusionibus ad rauim vsque clamitãtibus, aliis verò pro Eugenio & Sede Apostolica fortiter constãterque dimicantibus: & tumultus quidem ab vtraque parte ciebatur: ne quis dicat ab Eugenianis solùm excitatũ fuisse. Sed loquentem Æneam audiamus: *Castellani* (inquit) *per quos intelligit qui ab Eugenij partibus stabant, quoniam negari sibi dilationem viderant, ne concordata duodecim virorum legerentur, strepitu & vociferatione obstabant, magno conatu studentes, vt lecturam concordatorum protestatio quam Panormitanus effecerat, præcederet, nec res sine violentia fuit, cùm nec mandata præsidentis (Ludouici scilicet Arelatensis) reciperentur, nec ordo in rebus agẽdis solitus custodiretur; erat enim vbique clamor, vbique strepitus, vbique iurgia effundebantur: nunc Panormitano, nunc Ludouico sermo erat, nulli tamen sine festinãtia loqui licuit: Episcopi cum Episcopis, inferiores cum inferioribus verbales habebant rixas, omniaque contentionibus & probris insonabant.* Neque vero cõuitiis se inuicem lacerarunt, sed (quod intolerabilius & sæuius est) nõnullos in discrimen capitis, præsertim Panormitanum & cęteros qui ab Eugenij partibus stabant, adducere nõ sunt veriti. *Quo verbo* (inquit Æneas) *velut cœlesti fulmine tacti Eugeniani, nempe vno impetu assurgentes, Liber-*

lib 1. pag. 32. editionis Basileensis.

tas, libertas, inquiunt, nobis eripitur, en quid eſt quod frangenda nobis capita Patriarcha minatur? Et paulò poſt: *Nequaquam Patriarchalis humilitas clamores extinxit, ſed quotieſcumque concordati legendi fiebat mentio, toties maior ſtrepitus, vociferatio, ac impedimentum extollebatur.* Et iterum: *Panormitanus verò altiſſimè clamãs, quoniam planè & moratè clamans exaudiebatur nemo.* Et ſub finem capitis: *Vt lectionem concordatorum hoſtes Eugenij impedirent, tantus* (inquit) *exortus eſt clamor, quantus ſolet in prælijs tubarũ clangor & equorum fremitus cum ſignis collatis duo inuicem concurrunt exercitus. Alij quod Panormitanus feciſſet execrantur, alij probant, faciuntque diuerſa ſtudia diuerſas contentiones.* Ex quibus liquidò conſtat Baſileenſem hanc congregationem, quam ad cœlum vſque attollit Vigorius, non concilium, ſed exercitum; non conſenſionem, ſed contentionem; non Eccleſiæ ſubſidium, ſed exitium, niſi Deus ſolita prouidentia ſuccurriſſet, extitiſſe. Nemo ergo mentis compos & iudicij illud verè œcumenicum putabit, ſed potiùs tanquam latrociniũ Epheſino peius exhorreſcet & execrabitur. Enim verò tantæne animis cæleſtibus iræ? fierine poteſt, vt in his diſſidiis ac tumultu, & in tanta animorum diſſenſione Spirituſſanctus affulſerit, cui in pace & ſilentio locus aperitur? An & Chriſtus qui duobus vel tribus in ſuo nomine congregatis affuturum ſe promiſit, huic ſeditioſo concilio intereſſe potuit, qui naſcendo pacem hominibus attulit, moriendo legauit, & reſurgendo mirificè commendauit?

Sed eſt quidpiam execrabilius ab eodem Ænea traditum, concluſiones nempe aduerſus Eugenium Nurimbergæ à Doctoribus diſcuſſas, per dolũ & fraudem

à Ludouico præside concilij (si tamen hoc nomine dignus sit appellari) confirmatas fuisse, quia scilicet præ clamoribus & strepitu aliter confirmari non poterant. *Erant,* inquit, *turbata omnia, nec vt solebant suis subsellijs Prælati insidebant, vt quemque trahebat affectio, illi Arelatensem, isti Panormitanum (hic pro Papa, ille pro concilio pugnabat) & quasi principem quique suum, vt exercitus Imperatorem ad hortabantur, iamque in vesperum dies ferebatur, cùm assurgentes ex locis Episcopi,* (quorum nomina recenset Æneas) *auribus Arelatensis imminebant, in tantumque illum premebant, vt nec vires animumque resumere paterentur. Ille autem Arelatensis, vt cognouit rem in periculo esse, nec rectam conclusioni viam patere, vtendum astu censuit: vt tumultum & rixas aliquantisper componeret, & cùm silentium hac fraude impetrasset, per fraudem etiam conclusiones confirmauit, fingens literas ex Gallia recens allatas, ex quibus acceperat multos hæreticos contra concilium Basileense Galliam infestare, & Eugenij partibus fauere, ijsque retundendis opportunum dixit esse remedium, hanc conclusionum confirmationem, sicque se ita concludere, in nomine Patris, Filij & Spiritussancti, statim affirmauit.* Astutiam hanc in homine Gallico ea die Italos superante multos esse demiratos, scribit Æneas: sed quis quæso hanc astutiam Spiritus sancti opus audebit appellare? cùm ipse sit spiritus disciplinæ, effugiens fictum, quique falli quia summè sapiens, & fallere quia summè bonus, ne quidem per potentiam extraordinariam, vt docent Theologi, aut vult, aut potest. Ex his apparet quo in prætio habendum sit concilium Basileense, postquam ab Eugenio speciali diplomate fuit dissolutum. Atenimuero, inquies, dis-

ſolutio concilij ab ipſo Eugenio fuit reuocata, vt ex variis eius ad varios Epiſtolis, & præſertim ad patres Baſileæ congregatos patet, vbi primùm concilium hoc generale appellat, illudque ex præſcripto Conſtantienſis concilij, pro extirpatione hæreſeon, pro reformatione Eccleſiæ, tam in capite quàm in membris, & pro pace populi Chriſtiani conuoçatum fuiſſe ſcribit, itemque à tempore ſuæ inchoationis legitimum progreſſum habuiſſe: Ideoque ſe quam meditatus antea fuerat diſſolutionem omninò reuocare, & quicquid ſuo nomine, contra concilij continuationem,&progreſſum geſtum fuerat irritum reddere. Reſpondeo primò ægrotaſſe Eugenium, cùm hæc ſcriberet,lectoque præ infirmitate decubuiſſe; tuncque à quibuſdam Cardinalibus, atque Andrea præſertim Venetorum oratore perterritū,& ni bullas adhæſionis concilio expediret, ſe ab eo omnes ſeceſſuros.Cùm ergo quæ vi metúſve cauſa fiunt nullius ſint roboris, ex his epiſtolis metu miniſque ab Eugenio extortis, nihil quicquam pro concilij Baſileenſis generalitate & auctoritate colligitur: hanc autem violentiam à viris grauibus & eruditis retectam fuiſſe author eſt Turrecremata. Reſp.2°. etiam ſi iſtud reſcriptum liberrimè ab Eugenio profectum eſſet, non tamen plus probaret,quàm concilium ſecundùm quid, ratione ſcilicet conuocationis, à communi Eccleſiæ capite factæ, eſſe œcumenicum,non tamen abſolutè, & eſſentialiter propter rationes ſuprà allatas:&id quidem dictum ſit pro tempore, quo concilium ab Eugenio fuit reuocatum.

Lib.ſummæ de Eccleſia cap centeſimo.

Iam ergo videndum eſt,an etiam priuſquam diſ-

solueretur generale dici poſſit, in quo quamuis maior ſit difficultas: cùm propter authores qui illud tanquam generale admittunt, tum propter bullas Eugenij, atque legationem Cardinalis Iuliani, & denique inchoationem illius; certius tamen eſt & probabilius concilij generalis rationem ſibi propriè non vendicare. Primùm quia ad rationem œcumenici concilij non tantùm requiritur, vt nullus Epiſcoporum, cum Sede Apoſtolica communionem habentium vndecunque ſit, excludatur: ſed etiam vt nonnullorum vtriuſque Eccleſiæ Orientalis nempè & Occidentalis præſentia fulciatur: præſertim vbi oriens à fide per hæreſim, aut Pontificis communione per ſchiſma non deflectit, ſicut eo tempore non deflexerat: at Baſileenſi concilio nullus Orientalium interfuit, nec intereſſe voluit, quod imprimis liquidò apparet ex Calcondila lib. 1°. Rerum Turcicarum. *Ambo igitur Pontifices, (Eugenius nimirum & Anti-Papa Felix) triremes inſtruunt, & Ioannem Biſantij Regem accerſunt; vterque enim ſub ſe cogi concilium, & religionis controuerſiam quæ cùm Græcis intercedebat definiri cupiebat: cùm ab vtroque veniſſent Triremes, Rex quidem benignis verbis & placitis concilij Baſileenſis legationem dimittebat dicens, ſe cum Romanis & Venetis, & cum reliqua Italia iam collocutum qui omnes ſe Romam proficiſci iubeant. Cùm ergo Biſantinos Sacerdotes & Græcorum ſapientiſsimos & doctiſſimos aſſumpſiſſet è portu ſtatim ſoluerunt, & cùm veniſſet ad Venetos ſtatim Ferrariam deductus eſt, vbi morari Pontificem Eugenium acceperat.* Ante vero hanc claſſem nullus Græcorum, & aliorum Orientalium in Occidentem, teſte Ænea, nauigauerat; cùm enim ex omnibus pro-

uinciis nonnulli ad Felicem eligendum aſſumpti in cõcilio Baſileenſi fuiſſent, nullus ex Græcia & Oriente aſſumptus legitur, quod tamẽ vt auctoritas, amplitudo,& generalitas concilij cunctis per Eccleſiam innoteſceret, nunquam fuiſſet prætermiſſum, maximè cùm ipſos Baſileenſes non lateret electionem ſuam vt ad Critolai lancem, à reliqua Eccleſia expendendam fore.

At dicet fortaſſe quiſpiam, præſentiam Orientalium Epiſcoporum conciliis generalibus non eſſe neceſſariam, alioqui nulla amplius generalia concilia cogerentur; cùm ipſi non amplius cum Romano Pontifice communionem habeant. Reſpondeo quatuor Patriarcharum Orientis præſentiam amplius non requiri, cùm iam hæreſi aut ſchiſmate teneantur, ſed neque etiam aliorum quorumlibet Epiſcoporum orientalium, quamuis nonnulli inter ipſos cum ſummo Pontifice conſentiant, quia vix ac ne vix quidem poteſt in eorum prouinciis concilij generalis indictio publicari, vel quia id Turcarum Imperator nunquam ferat, quippe cui ſemper ſuſpectus ſit Latinorum cum Orientalibus conuentus: vel quia cum hæc indictio mediantibus Patriarchis fieri debeat, nunquam ipſi propter ſuam hæreſim, ſuumque ſchiſma eam promulgari curarent, aut ſinerent. Licet igitur abſque Orientalibus œcumenicum nunc celebrari poſſit concilium; pro tempore tamen concilij Baſileenſis, Orientalium præſentia erat omninò neceſſaria, cùm nondum ab Eccleſia Romana deſciuiſſent, vt ex eo conſtat, quòd Florentiæ in Concilio œcumenico tempore Baſileenſis concilij, ab Eugenio

celebrato, vnà cum Ioanne Bisantij Imperatore interfuerint: Falsò ergo (inquies) inter cõditiones essentiales concilij generalis, hæc præsentia Orientalium & Occidentalium statuitur. Respondeo, vbi à fide aut communione Apostolica non deflexerunt, eorum præsentiam prorsus esse necessariam, vnde quia in Indiis, quarum maior pars nobis est Orientalis, viget Catholica fides, & Romanus Pontifex, tanquam supremum Ecclesiæ caput agnoscitur, si iam esset cócilium œcumenicum celebrandum, illud in Indiis indici & publicari deberet, & quosdam ex ipsa regione concilio interesse oporteret: sed cùm hæc Orientalium præsentia propter eorum hæresim destruat potiùs quàm construat concilium, sufficiet sanè si ex locis in quibus Catholica & vniuersalis Ecclesia floret, Episcopi in concilium conueniant: sic enim totam & vniuersalem Ecclesiam referunt, ideoque verè & propriè œcumenica est eorum congregatio.

Si celebrandum esset generale cõcilium, in Indiis indici deberet.

Secundò, eo tempore quo est inchoatum concilium Basileense, & habita prima & secunda sessio, paucissimi ex Occidente Prælati conuenerant: quod ex Bulla Eugenij ad concilium missa cõstat; refert enim octo penè mensibus post diem dictam qua omnes Basileam conuenire debuerant, Doctores nullos, paucos verò Prælatos, cum tribus tantùm Episcopis adfuisse, neque spem fuisse frequentiæ maioris, præsertim cum Austriæ & Burgundiæ Duces bello armisque inter se contenderent. Concilium ergo Basileense inchoationis suæ tempore œcumenicum propriè dici non potest, cùm scilicet tres tantùm Episcopi sine vllis Doctoribus interessent. Tertio, suspi-

cione non caret, cur cum in cæteris conciliis generalibus Episcopi, & patres soleant recenseri in hoc Basileensi nulla illorum fiat enumeratio; cõiectura enim non leuis est, toto tempore quo incepit & perseuerauit paucissimos Episcopos & patres duntaxat interfuisse: hinc est quod in Bulla confirmationis à Nicolao quinto facta de iis quæ de beneficiorum pragmaticis statuta fuerant, ne semel quidem fuerit nominatum generale. Vnde fit vt Binius & Bellarminus, cùm illud inter generalia recensent, ad generalem illius conuocationem duntaxat respiciant, quæ tamen conuocatio generalitatem secundùm quid, non propriam & absolutam, vt iam ostendimus, solùm arguit.

Secunda quæstio est, qualem vim habeant Basileensia decreta: an scilicet ea fide Catholica credenda sint: ea vero etiam ex Vigorij principiis facilè solui potest, & diiudicari: si enim ipsum absolutè & simpliciter non fuerit œcumenicum, sed tantùm secundùm quid, constat nullam illius definitionem vim fidei habere: siquidem solius est concilij absolutè, & essentialiter œcumenici, decreta fidei condere, quæ fideles in vniuersum obligent, cum ipsum solùm Ecclesiam, quæ est firmamentum & columna veritatis, repręsentet, secundò illius definitiones demptis nonnullis beneficiorum pragmaticis non fuerunt à Pontifice confirmatæ, & approbatæ: quæ tamen confirmatio ad vim fidei ita est necessaria, vt eius defectu fideles ad nulla quorumuis conciliorum decreta, tanquam de fide credenda obligentur, quod ex professo inferiùs ostendemus. Tertio Basileenses nunquã le-

gatos Sedis Apostolicæ pro authoritate,& reuerentia legatis eiusmodi ex antiquorum cõciliorum præscripto debita recipere noluerunt, ex bulla tertia Eugenij sess. 16ª, qua sub finem ipsos Basileenses obiurgat & reprehendit, quod legatos suos tanquam veros cõcilij præsides non agnouerint: ergo eorum decreta nullius sunt roboris; siquidem actione 6ª. concilij Calcedonensis ita scribitur, vt refert Isidorus libro conciliorum in omnibus Synodis apocrisarij Apostolici decreta, sententias, primo propter summam authoritatẽ sanctę eiusdẽ Sedis cõfirmabant, & subscribebãt, quia scilicet aliter robur habere non poterãt. Quarto cùm à cõcilio maior Episcoporum pars secessisset, ingens presbyterorum multitudo contra ius, fasque ad definiendum introducta est, cùm tamen presbyteri in conciliis œcumenicis citra priuilegium Sedis Apostolicæ deliberare, aut suffragio decisiuo gaudere nequeant, cùm hoc solis Episcopis de iure conueniat. Quinto, etiam inter eos qui Basileæ remanserant nullus intercessit consensus, qui tamen ad conclusionem tanquam de fide definiendam prorsus est necessarius. *Si enim* (vt author est Isidorus 6. Etymolog.) *non consentiant prælati in vnũ, quomodo vbi de fide agitur eorũ congregatio dici poterit cõciliũ, & ex cõcilio agere & decernere?* Quod autẽ nullus adfuerit consensus, patet ex iis quæ iã ex Ænea Syluio oculato teste protulimus. Et quod cũ viderẽt Basileenses multos prouinciarũ deputatos cum oratoribus Angliæ & Castiliæ breui ad conciliũ venturos definitiones cõtra Eugenium & sedis Apostolicæ iura præcipitãrunt, veriti ne illi (quod verum erat) definitionibus cõcilij refragarẽtur & obsisterẽt.

Sextò,

Sexto, præter ea quæ aduersus Eugenium & sedem Apostolicam decreuerunt, multa alia decreta condiderunt in quibus grauiter allucinati fuerunt: Primũ, excommunicando patres Ferrariæ ab Eugenio coactos: licèt enim concilium Ferrariense tanquam illegitimum censerent, tamen Patres qui authoritate Eugenij veri pontificis, nondumque ab eis depositi conuenerant, nullo anathemate feriri debuerunt, cùm authore prætore conuenirent. Deinde definiendo beatissimam Virginem à peccato originali immunẽ, nulliq; de cætero licitũ esse in contrarium prædicare, & docere, cùm tamẽ Sixtus IV^us capit. *alma mater*, opinionem hanc de immaculata conceptione liberam vnicuique reliquerit, cuius constitutionem concilium Tridentinum in omnibus approbauit. Adde, quod quidam aduertunt, concilium hoc sibi indulgentiarum plenariarum ius, & auctoritatem temerè arrogâsse; quarum concedendarum facultas soli Pontifici ex proprio iure conuenit, aut si cõcilio conueniat, ab eo non debet abesse Põtifex: sed quod nouam erroris circunstantiam arguit, quæstuosæ fuerunt illæ indulgentiæ, contra Lateranense, Lugdunense & Viennense concilia: si quidem iis duntaxat concessæ fuerunt qui quantum singulis septimanis sustentandæ familiæ impenderent pro Orientalium subsidiis contribuerent; Igitur tantùm abest vt nos in fide confirmet concilium Basileense, & in suis definitionibus vim fidei habeat: quin si in omnibus ei adhærere velimus, nos ad errorem & peccatum præcipites ferat. Dices, legatos Eugenij post reuocatam concilij dissolutionem istud concilium confirmasse:

Sess. 5. sub finem.

Zuares Bellarminus cap. 11. lib. 1. de indulgent.

antequam enim synodum ingrederentur se decreta concilij defensuros, eaque suo calculo approbaturos iurarunt: ergo cum concilia, vt infrà dicemus, pręsentia legatorum roborata (ex probabili quorundam sententia) sint infallibilia, immeritò sanè Basileenses definitiones tanquam erroneę cōdemnabuntur. Verùm hoc leuius est quàm quod peritum Theologum moueat. Primùm enim affirmant non pauci legatos metu perculsos grauissimo hanc confirmationem promisisse, pænè enim tunc videbantur in capitis discrimen adducti propter plebeiam multitudinem Eugenio, eiusque legatis & defensoribus infensissimam. Secundò legatorum confirmatio fideles ad credendum non obligat nisi legati Pontificis mentem & mandata ad amussim & distinctè explicent ac sequantur, vt infrà planiùs constabit ex concilio Calcedonensi, & 6ª. atque 7ª. synodo generali: At in concilio Basileensi tantum abest vt legati mentem & mandata Eugenij secuti fuerint (si tamen verum sit eos illius decreta confirmasse, quod falsi suspicione non caret) quin potius eis é diametro repugnarint, quippe cum Eugenius 2ª. & 3ª. bulla ad concilium scripta decretis illis, tanquam Sedis Apostolicæ iura violátibus apertissimè contradicat, & se potius vitam amissurum, quàm eiusmodi acta confirmaturũ, aut approbaturũ asserat. Instabis legatos à mēte, & mandatis Pontificis in hac decretorum confirmatione ne latum quidem vnguem recessisse: tum quia Eugenius ex sessione decima sexta Nonis Februarij habita postulatis synodi per literas amplissimè satisfecit. Synodus autem Basileensis non tantum ne concilium dissolueretur, po-

ſtulabat: ſed etiam ne eius decreta infirmarentur, ſed potius Eugenij authoritate roborarentur, tum etiam quia ipſemet Eugenius pollicetur ſe concilium qua poterit ope & fauore adiuturum; ſciebat autem ſe iam præcedentibus ſeſſionibus de Sedis Apoſtolicæ iuribus, & priuilegiis varia decreta edidiſſe. Reſp. primùm, etiam ſi in genere Eugenius concilium Baſileenſe vtcumque probauerit, eiuſque progreſſum, & continuationem confirmauerit, non tamen propterea (hoc enim minimè ſequitur) quælibet illius decreta ſpecialiter confirmauit, & approbauit, non magis quàm Leo I. qui quamuis agnouerit, & approbauerit concilium Epheſinum, tanquam ad extirpandas hæreſes congregatum, non tamen propterea quæuis illius decreta cenſetur ſpecialiter confirmaſſe, cùm aliqua in concilio Calcedonenſi reſcindi & abrogari curauerit, iuſſeritque. Vnde cum in concilio Florentino multi ab Eugenio quęrerent, an hęc Baſileenſia decreta ſuo calculo confirmaſſet? Reſpondit, *Nos quidem bene concilij progreſſum approbauimus, vt nempe eo quo ceperat pede progrederetur; non tamen eius decreta approbauimus, nec approbamus*, refert hoc Turrecremata, qui Florentiæ ex ore proprio Eugenij verba hæc accepit. Adde quod conciliorum decretorumque confirmatio non niſi maturè, conſulto, & præuio examine fieri ſolet, & debet, cuius rei vnicum exemplum proferemus, ex Ioanne Andrea, in Clementinam de Conſtitutionibus. cùm enim Clemens quintus decreta concilij Viennenſis confirmare inſtituiſſet, peritiores Canoniſtas & Theologos in concilium adhibuit, quorum opera nonnullas conſtitu-

Acta ipſius concilij.

Lib. 2. Summæ de Eccleſia ca. 110.

tiones tanquam nimium prolixas contraxit, alias tanquam non adeò accommodatas immutauit, aliquas verò quæ non ita tempori conueniebant reticuit: quæquidem omnia pro plenitudine suæ potestatis præstare potest summus Pontifex. Quare licet Eugenius hoc concilium Basileense, sessione decima sexta in genere, & vtcunque probauerit, non tamen sequitur illius definitiones approbasse & cõfirmasse: quod hinc etiam apertissimè constat, quod cùm Eugenius à legatis Basileensibus importuna prece fuisset rogatus, vt concilio subscriberet, eiusque decreta suâ syngraphâ communiret, semper tamen abnuerit, seque prorogationem & continuationem concilij adiuturum duntaxat dixerit. Cõcilium ergo Basileense eiusque decreta, nullam vim fidei habent, neque vllus in Ecclesia minus est Catholicus, quicquid contra nitatur Vigorius, si nullam illis fidem adhibeat.

Tertia quæstio, quo in honore ac pretio Galli concilium Basileense habuerint, plerique inter quos primas tenet Vigorius, Basileense concilium à maioribus nostris tanquam regni Gallici Palladium habitum fuisse prædicant, eiusque decreta tanti æstimata, ac si de cælo ad reformationem integræ Ecclesiæ delapsa essent. Verùm, licèt ex ante dictis manifestum sit, quid de concilio Basileensi candidiores verique Galli senserint, nec enim alia est fides Galliæ, & alia vniuersalis Ecclesiæ, cuius Gallia pars est, eaque nobilissima; Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma; Vnde cùm ab vniuersa Ecclesia explosum, & reiectum semper fuerit, exceptis iis quæ propter bonum pacis Nicolaus quintus approbanda censuit, non potuit non

eodẽ filo à Catholicis Gallis repudiari) licèt, inquam, illud cuique Catholico ſatis conſtet, aliquot tamen rationibus ab exemplo petitis idipſum lubet demonſtrare. Primùm enim Carolus VII. Rex Galliarum Baſileenſis concilij oſor fuit, quippe qui Eugenij depoſitioni, & Felicis quinti electioni palam & aperto Marte reſtiterit, miſſo Baſileam, & ad loca finitima numeroſo exercitu: ergo & Galli omnes concilium hoc contempſerunt, & deteſtati ſunt ſui Regis exemplo. Quod autem dixerit ſibi placere concilium, ſed ſibi electionem Amedei, & depoſitionem Eugenij diſplicere, id tantùm ore tenus, & ne tam grauiter patres, qui Baſileæ reſtabant offenderet, dixit cùm aliàs publicè proteſtatus ſit, concilium Eugenium deponere non potuiſſe, nec debuiſſe. Secundò, Ludouicus Arelatenſis ex Ænea Syluio, cùm haberetur ſeſſio trigeſima octaua coram tota ſynodo teſtatus eſt, multos concionatores, quos velut hæreticos notabat, pro Eugenio Pontifice totam Galliam peragrare, & populum Gallicum ſuis concionibus deprauare, quod cum abſque Regis & Magiſtratuũ conſenſu fieri non poſſet, manifeſtiſſimum ſanè eſt Regem regnique proceres ac magiſtratus, proindeque populum non tanti hoc concilium Baſileenſe feciſſe, vt multi noſtrâ ætate falſò ſibi aliiſque perſuadent, atque adeo maiores noſtros concilium Baſileenſe potiùs, vt equum Troianum, aut Seianum, quàm vt Galliæ Palladiũ habuiſſe. Tertiò iure cauetur, idque grauiſſimis pœnis ne cum generale concilium celebratur, vllum prouinciale ſex menſibus ante & poſt alicubi celebretur, qua de cauſa in Gallia de col-

Carol. VII. in exordio pragmatica ſanctionis Concilium Baſileenſe ſacroſanctũ & vniuerſale vocauit, quia tũc nondum ab Eugenio IV. defecerat; ſiquidem anno 38. ſupra milleſimum & quadringẽteſimum

Epiſt. ad Baſileẽſes

Biturigibus hãc ſanctionem examinandam curauit, & in ſenatu promulgari mandauit Nonis Iulij eiuſdẽ anni: poſt octodecim vero mẽſes, anno nempe 39. 15. Cal. Decẽbris Concilium Eugenium depoſuit, & Amedeum in eius locum ſuffecit, vnde ex hac Caroli nuncupatione duntaxat ſequitur eum Concilium prædictum cum adhuc Eugenio adhæreret probaſſe & coluiſſe.

loquio Poissiacensi, anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, tempore concilij Tridentini habito; variæ à plerisq; Doctoribus contra Regem Carolum huius nominis nonum, & reginam matrem cius iactæ sunt querimoniæ, non solum quia pro hæreticorum controuersiis componendis expectanda esset concilij Tridentini sententia, sed etiam quia nullum concilium prouinciale seu colloquium post indictum generale, aut incœptũ alicubi, esset celebrandum. Atqui Carolus septimus tempore concilij Basileensis, Biturigibus pro sanctione pragmatica cõuentum habuit Episcoporum. Quare aut congregationem Basileensem non putauit generalem Carolus VII. aut si putauerit, eam non magni fecit, qui scilicet Episcopos Galliæ, anno quadringentesimo trigesimo octauo, quo tempore tumultus & dissidia Basileæ super Eugenij depositione vigebant, Biturigas conuocauerit, atque inibi congregauerit. Hæc autem non eo animo scribo, vt concilium hoc Bituricense approbem, illud enim vt & Basileense inane ac irritum puto, cùm vtrunque sessione vndecima concilij Lateranensis sit condemnatum, sed tantùm vt Regem Carolum adeoque Gallos omnes ei subditos Basileensem hanc congregationem neglexisse demonstrem. Obiiciunt quidam Bituricense concilium ex consensu, &ad instantiam, vt loquuntur, patrum Basileensium fuisse celebratum. Sed hoc falsum; patres enim à Carolo VII. sanctionis pragmaticæ regulas vbique locorum sui regni seruari duntaxat petierunt, quas cùm prius enucleare & examinare Rex voluerit, non potuit non grauem Basileensibus iniuriam fa-

Ribadeneira in vita Lainis.

Concilíabulum Bituricense.

cere, quod quidem examen inter alios recésset Gaguinus in Carolo VII. *Apud Basileam*(inquit)*Eugenij IV. assensu congregato concilio ij quibus Ecclesiasticam tueri dignitatem mandatum erat, leges communi omnium sententia rite digestas sanxerunt, quas à Carolo admitti missis eius rei causa oratoribus petierunt.* Etpost quàm sanctionis huius pragmaticæ capita recensuit, subdit. *Hæc cùm Carolus satis enucleata digestaque esse comperisset, indicto apud Bituriges concilio Pragmaticam quam vocant Sanctionem tulit, eamque in Parlamenti Senatu promulgari mandauit, anno Christianæ salutis quadringentesimo trigesimo octauo, suprà millesimum Nonis Iullij.* Et quamuis Gaguinus pragmaticam hanc sanctionem authoritate concilij Basileensis factam referat, non tamen negat, imo apertè testatur eam fuisse à Carolo VII. & à regni prælatis & proceribus enucleatam & examinatam, neque tantùm examinatam, sed vt cõqueritur Behotius Theologus, contra Buthelerium celeberrimum Parisiensem Aduocatum, sanctioni Basileensi, per concilium Bituricense est detractum, cùm à priuilegio per concilium Basileense graduatis concesso resignationes simplices, siue ex causa permutationis in manibus collatorum ordinariorum factas patres Biturigibus coacti exceperint. Ex quo apparet hoc concilium, non ita sacrum sanctumque Gallis fuisse, quin eius sanctiones velut ad Lidium lapidem examinârint, & quod amplius est quædam mutauerint, quædam detraxerint. Quartò, cùm Carolus VII. à cepto, contra Basileenses & Germanos bello desistere noluerit, nisi priùs Amedeus Pontificatu se abdicaret, & Nicolao V. sese summitteret, facilè quilibet intelligere potest. Caro-

Tractatu de infirmis resignatibus.

lum VII. concilium Baſileenſe non deſpexiſſe modò, ſed etiam penitus fuiſſe execratum, ſaltem poſtquam Eugenium depoſuiſſet. Neque tantum Carolus ille noſter, ſed Rex etiam Angliæ, qui ad hoc gerendum bellum, vnà cùm Gallis militum magnas copias expediuerat, quique vrbes multas, & integras prouincias eo tempore in Gallia occupabat, concilium Baſileenſe reiecit. Addam Ludouicum Galliæ Regem huius nominis vndecimum epiſtola ad Pium II. ſummum Pontificem ſub finem ita loqui. *Itaque ſicut mandaſti pragmaticam ſanctionem, vt pote quæ ſchiſmatis tempore atque per ſeditionem mota ſit, à regno noſtro, noſtroque Viennenſi Delphinatu, & omni ditione noſtra per præſentes tollimus, deijcimus, ſtirpituſq; abrogamus*: apertè innuens Rex ille concilium Baſileenſe, in quo ſanctio pragmatica digeſta eſt, ſeditioſum, & ſchiſmaticũ fuiſſe, nullumque propterea robur in Eccleſia obtinere. Poſtremò illud idem ex euentibus ipſis quæ ſecuta ſunt liquidò declaratur, tametſi enim in rebus humanis ab euentu ius & æquitatem cauſæ metiri, aut colligere non liceat, effectus enim in caſu eſt, vt ait ille:

---- Careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putet.

Attamen in iis quæ ſunt fidei & ad neceſſariam Eccleſiæ gubernationem ſpectant, multum valet conſideratio eorum, quæ poſtea in Eccleſia contigerunt; Cùm enim ager Eccleſię conciliis, vt inquit reſponſio ſynodalis, tanquam aquis de cœlo defluentibus irrigetur & fœcundetur, vbi hęc fœcunditas & irrigatio non apparet, argumento eſt concilium non fuiſſe legitimum, nec Deo acceptum: atqui concilium Baſileenſe

leense ex laudabili principio, pessimum exitum habuit; si quidem præcipua eius acta omnino fuerunt irrita; depositio Eugenij, electio Amedei, omnes ferè illius constitutiones, paucis exceptis quas Nicolaus V. approbauit, & Pragmatica Sanctio, cui per concordata, & concilium Florentinum est derogatum: item quod de fide sit concilium esse suprà Papam, quam constitutionem nullus in toto orbe Catholicus amplectitur. Accedit quod vrbs Bituricensis, in qua concilium Basileense, eiusque sanctiones pragmaticæ receptæ, & approbatæ fuerant, paulò post vltricibus flammis absumpta fuerit, vt refert Chenutius in additionibus post chronologiam Archiepiscoporum Bituricensium. Nonnihil tamen difficultatis habet, quod Ludouicus Arelatensis Cardinalis splendore generis, doctrinæ magnitudine, vitæ sanctitate illustrissimus, & vt ait Vigorius, dono miraculorum, quibus ante, & post mortem claruit, admirabilis, animos Gallorum ad amplectendum Basileense concilium (cuius ipse, vt notat Æneas Syluius pars magna fuit) vehementer permouerit. Quomodo enim si congregatio Basileensis conciliabulum, & latrocinium fuerit, Deus Concilij præsidem dono miraculorum decorauit? Ego verò in natalium splendore & doctrinæ excellentia quæ in perditis, & desperatis hominibus, non raro inueniuntur parum moror. De vitæ autem sanctitate refert quidem Syluius, eum suprà modum sobrium, & abstemium fuisse, vt qui vesperi tantùm, cibum eumq; paucum sumeret, iniuriarum patientissimum, & vitæ suæ veluti prodigum: quippe qui Basileæ lue grassante, multósq; ex patribus interficiente

De Ludouico Arelatensi Præsidi concilij Basileensis.

intrepidus remanſerit, ſed hæc ſanctimoniam certò non arguunt, cùm in pleriſque Philoſophis à vera religione alieniſſimis, eadẽ immò maiora eluxerint profectò in virtutibus, & præſertim Chriſtiana charitate, pace & vnitate conſiſtit ſanctitas. *Adde Charitatem, & proſunt omnia; deme Charitatem, & nihil proſunt cætera.* Qua cùm Ludouicus ille Cardinalis non claruerit, ſed potiùs caruerit, vt qui rebellionem, inobediẽtiam, detractionem, & horrendum ſchiſma ſuâ præſentiâ magis quàm quiuis alius fouerit & promouerit, ſanctus profectò habẽdus non eſt. Quod ad miracula, Vigorius eum miraculis claruiſſe teſtatur. Habetur quidẽ in aduerſariis hiſtoriæ concilij Baſileenſis à Syluio deſcriptæ, Ludouicum Cardinalem ante & poſt mortem miraculis celebrem fuiſſe, ſed hęc annotatio falſi ſuſpicione nõ caret: aduerſaria ſiquidẽ huius hiſtoriæ à ſcriptore quodam Sedi Apoſtolicæ infenſo deſcripta ſunt, mirúmque eſt quod relatio hæc apud Æneã minimè extet, cùm in pleriſque ſuę hiſtoriæ locis hęc miraculorum coruſcatio ad probationem rerũ quas ipſe refert plurimùm faceret. Sed eſto claruerit miraculis, nunquid Caïphas cùm eſſet pontifex anni illius quo Chriſtus mortem ſubiit ſpiritu prophetico claruit? Nunquid Mathæi 7°. *Multi in die iudicij venient, dicentes, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia, eiecimus? linguis locuti ſumus?* quibus tamen reſpondebit Chriſtus, *Amen dico vobis, ego neſcio vos.* Vulgare eſt apud Theologos donum miraculorum eſſe gratiam gratis datam, quæ interdum non minùs peccatoribus, quàm iuſtis confertur, ideoque nihil quicquam pro Ludouici ſanctitate, aut quod ad rem

Auguſt. de Verb. Domini Serm. 50. cap. 2.

maximè facit pro concilij auctoritate efficere poterit, nisi priùs ostenderit Vigorius, hæc miracula in confirmationem concilij, eiusque decretorum ab eo patrata fuisse; sed quocunque se vertat hoc nunquam præstare poterit. Addo quod vix quisquam hactenus obseruauit iis temporibus quibus horrendum schisma trium se pro Pontificibus gerentium Ecclesiam turpiter dilacerabat, vnamquamque partem sanctos miraculis claros habuisse. Petrus de Luna, qui sibi Benedicti XIII nomen imposuerat, S. Vincentium Ferrariensem, occidentalis Ecclesiæ Taumaturgum, siue patratorem miraculorũ, vt sibi à concionibus & confessionibus esset subdolè asciuerat. Vrbano VI. Romę sedenti Catharinam Senensem maximum religionis Christianæ decus & ornamentum diuina prouiderat clementia; cuius consiliis & miraculis, contra Ecclesiæ Catholicæ perduelles mirum in modum se adiuntum reperit Vrbanus. Pro Clemente verò qui sedebat Auenioni, aderat diuinus ille adolescens Petrus de Luxemburgo Cardinalis, cuius mille nongenta, & sexaginta quatuor miracula non solùm numerata, verùm etiam ritè digesta, testata, & obsignata sunt, inter quæ duorum & quadraginta mortuorum suscitatio refertur, & tamen Benedictum & Clementem, tanquam certos Põtifices Ecclesia non agnouit, cum Constantiensi concilio in ordinem eos redegerit, & in eorum locum Martinum huius nominis quintum magno totius orbis Christiani applausu suffecerit. Quare Ludouici Arelatensis miracula, si quę fuissent, morari tamen aut mouere neminem meritò possunt ad Concilij Basileensis asserendam auctoritatem.

Quarta quæſtio eſt, quid ſentiendum ſit de Synodali Reſponſione, quâ tanquam obtento velo libelli ſui frontem callidè cautéque celauit, & communiuit Vigorius, vt liberiùs erraret, peccaretque tolerabiliùs contra ſedem Apoſtolicam. Ex his verò quæ iam attulimus rem totam diiudicare facilè eſt, certum enim eſt maioris non eſſe roboris, quàm ipſum Baſileenſe concilium, quod cùm nullam pro fide vim habere pluribus oſtenſum ſit, ſequitur manifeſtè reſponſionem hanc nullam pariter vim habere, quinimo & ſi concilium fuiſſet vndequaque legitimum, fideique decreta condidiſſet, non tamen propterea idem de hac ſynodali reſponſione iudicium eſſe deberet; multa enim ſunt in conciliis œcumenicis ab Eccleſia receptis quæ vim fidei non habent, & contra quæ licet vnicuiq; citra vllum erroris periculum opinari, immò verò audacter aſſerimus maximam partem actorum in conciliis ad fidem non pertinere. Cùm enim in conciliis præmitti ſoleant diſputationes, antequam de re aliqua decernatur, rationes, item teſtimonia, exempla, multaq; alia ad definitiones illuſtrandas & explicãdas referãtur, ea certè ad fidẽ pertinere, nemo eſt qui audeat affirmare. Quis enim, vt à diſputatione ordiamur, diſquiſitionẽ factam Hieroſolymis in Apoſtolorum concilio ſuper ceſſatione legalium dixerit eſſe de fide? aut etiam diſputationes, quæ quoties celebrantur concilia longo tempore à Doctoribus habentur? Item rationes quibus patres in decernendis concluſionibus nituntur? in 7ª. ſynodo quæ eſt ſecunda Nycæna definitum fuit, Angelos eſſe pingendos quia ſint corporei: attamen tantùm abeſt, vt hæc

definitionis ratio de fide ſit, quinimò temerarium eſſet hoc tempore affirmare Angelos eſſe corporeos. In concilio Eliberitano, & ſi iſtud non fuerit generale, prohibitum fuit ne in cœmeteriis cerei accenderentur, ne (dixerunt patres) animæ ſanctorum inquietentur, quam rationem quis non potiùs reiiciat quàm amplectatur? ſimile eſt iudicium eorum quæ explicandi, & illuſtrandi gratia in conciliis afferuntur. Capitulo firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica dicitur Angelos eſſe incorporeos: quia tamen hoc à concilio allatum eſt, vt Deum creatorem viſibilium & inuiſibilium apertiùs explicaret, non eſt de fide, Angelorum (vt ita dicam) incorporeitas. Sicut nec quod ibidem rurſus ſcribitur, Angelos & mundum fuiſſe concreatos: plerique enim etiam hoc tempore contrarium abſque vllo fidei diſpendio opinantur. Enimuerò in conciliis ea ad fidem propriè pertinent, quæ nuda conſtituũtur decreta, breuia, dilucida, nullis verborum ambagibus inuoluta, nulliſque rationibus innixa, immò non ſemper eiuſmodi decreta ad fidem pertinent, ſed ea ſola quæ tanquam de fide vniuerſis fidelibus ſub pœna anathematis communiter credenda proponuntur, aut cùm aliquid decreto apponitur ex quo facilè illud tanquam de fide definitum colligitur.

Reſpõſio ſynodalis nullam vim fidei habere poteſt.

Ex quibus intelligitur reſponſionem ſynodalem nullam vim fidei habere, diſputatio quippè eſt plena contentionis, & rationum quæ infenſum Eugenio Baſileenſium animum apertiſſimè prodit. Eſt etiam recriminatio, quâ Archiepiſcopo Tarentino Eugenij legato, qui multa in commendationem authoritatis

Pontificię attulerat, patres ipsi recriminati sunt, cumque contumeliosè exceperunt. Est etiam duntaxat explicatio, & illustratio authoritatis Ecclesiasticæ, per testimonia scripturæ, & patrum, vt ipsimet authores fatentur: aiunt enim se velle potestatem Ecclesiæ explicare, & aliquid illius referre: quibus tamen testimoniis in progressu disputationis responsuri sumus. Tantumque hîc lectorem monitum volumus, Responsionem hanc synodalem, nullam vim pro fide Catholica habere posse. Ideoque frustrà esse, nihilque egisse Vigorium, qui dum suis commentariis illustrandam assumpserit. Immo verò non tãtùm vim fidei non habet Responsio synodalis, sed quod ab omnibus animaduersum velim, supinis erroribus abundat. Primùm enim omissis quæ contra authoritatem Sedis Apostolicę profert, in quibus multa sunt reprehensione dignissima, & quæ sigillatim infrà refellemus, ita Scripturam Sacram definit, quam scilicèt sacram declarat Ecclesia, quæ definitio in multis peccat; tum quia æquè obscura est ac definitum, idem enim per idem fermè explicat: tum quia Scriptura Sacra prior est Ecclesiæ declaratione, nam ideo talem declarat Ecclesia, quia re ipsa talis est. Quatuordecim Epistolæ D. Pauli erant Scriptura Sacra, antequam tales ab Ecclesia declararentur, de Epistola ad Hębreos, de Apocalypsi, de libris Machabæorum, aliisq; libris Deutero canonicis in Ecclesia diu dubitatũ est: nunquid propterea Scriptura Sacra esse desinebant? & an post declarationem Ecclesiæ, à Spiritu sancto vel dictari, vel scriptoribus immediatè suggeri cœperunt? tum quia si ita esset, vt vult responsio, antiqui Cano-

nes,concilia generalia,imò etiam prouincialia multaque veterum patrum ſcripta ſacra & canonica Scriptura dici poſſent; quia ab omnibus fidelibus totáq; ideo Eccleſia ſacratiſſima nuncupantur, quod etiam dici poſſet de legibus Imperatoriis, quæ in iure ciuili ſacratiſſimę vocantur,quo quid eſſe poteſt abſurdius? tum demum quia ex Theologis aliter Scriptura Sacra definitur, vt nempè ſit quæ credendi canonem continet,& quæ à Spiritu ſancto dictante,aut ſuggerente manauit. Quo fit vt Eccleſiæ declaratio illi non ſit eſſentialis, ſed tantùm neceſſaria, vt de ea fidelibus conſtet, & vt contra proteruos, & hæreticos defendatur, & ab apocryphis ſecernatur. Secundò, peccat hæc Reſponſio quod pari ritu pariq; pietatis affectu conſuetudines Eccleſiæ, & Scripturam proſequendam aſſerat: ſanè verò ſi de traditionibus diuinis & Apoſtolicis,id intelligat, verum dicit,hoc enim ſtatuit concilium Tridentinum ſeſſione quarta; decreto de Canonicis Scripturis.Sed ſi de conſuetudinibus iis agit, quæ communiter per Eccleſiam obſeruantur, falſum dicit; conſuetudines enim etiam Eccleſiaſticæ ſæpius in deſuetudinem abeunt, & per legem contrariam,aut nouę alicuius introductionem ſæpiſſimè exoleſcunt & antiquantur: & quod ampliùs eſt interdum cum peccato introducuntur: quòd ſi ad alia non feſtinaret oratio, facilè eſſet variis exemplis demonſtrare, hæc autem à Scriptura Sacra longè abhorrent,neque enim abit in deſuetudinem, nec antiquatur,nec alia ſcriptura in eius locum tanquã diuina & canonica ſufficitur: neque in Eccleſiam cum peccato vnquam eſt introducta. Tertiò, ſimiliter peccat

responsio, nisi sana interpretatio afferatur: cùm eandem authoritatem statuit in repræsentante, nempe concilio, & repræsentato scilicet Ecclesiâ: & si enim non diffitear generale concilium Ecclesiam vniuersalem repræsentare, hoc enim expresse in concilio Constantiensi sess. 5. asseritur, eandem tamen vtriusque esse authoritatem vix possum adduci vt credam. Quamuis enim repræsentans & repræsentatũ fictione iuris eadem persona censeantur, vt proinde idem ius eadémque ratio vtrique competere credatur; argumẽtum tamen ab vno ad alterum pro ratione potestatis & honoris in multis claudicat & fallit. Imago prototypum repræsentat, imaginis tamen honor lõgè minor est quàm prototypi: legatus repræsentat principem à quo mittitur, non tamen idem honor legato ac principi tribuitur, nec eadẽ vtriusque est authoritas. Vnde legatus non Cardinalis, quamuis Papã repræsentet, beneficia tamen in sua prouincia conferre nequit, quæ tamen legitimè potest ipse repræsentatus, ext. de potestate legati. Sic vicarius generalis Episcopi personam refert, & tamen nequidem ex generali commissione potest in subditorum mores & vitam inquirere, aut animaduertere, cap. 2. de offic. vicarij in 6. neque etiam conferre indulgentias, ex communiori doctorum sententia: quæ tamen duo potest ipse repræsentatus. Item delegatus non potest subdelegare, quod tamen in dies facit repræsentatus, ext. de potestate iudicis delegati. Atque vt Vigorium Leguleium & forẽsem formularium ipso iuris ciuilis quasi bacillo & virgula in veritatis viam reducamus, licèt is cui pręses vices suas commisit, eius personam referat,

non

non tamen vel abolitionem poteſt concedere. l. 1. ff. ad ſenatuſcon. Turpill. vel manumiſſionibus, minorumve alienationibus authoritatem præſtare. l. 2. 3. & 4. ff. de offic. eius cui mand. vel tutores pupillis dare. l. 5. §. eodem. quæ tamen omnia facilè præſtat repręſentatus. Fallit ergo & fallitur Reſponſio cùm vniuerſim adſtruit eandem eſſe repræſentantis & repræſentati authoritatem: itemque cùm ait concilium œcumenicum, quoad authoritatem Eccleſiam repræſentare. nam licèt verum ſit concilium repræſentare Eccleſiã, particulare quidem particularem, & generale generalem, id tamen intelligi debet quoad vniuerſitatem membrorum, integritatemque corporis; quippe cùm cæteri ſacerdotes, clerici, ac laici vtriuſque ſexus, tanquam Eccleſiæ membra per ſuos paſtores in concilio legitimè repræſentantur: quoad authoritatem autem decidendi fidei controuerſias, cõdendi canones, fidelium mores reformandi, de regimine Eccleſiæ diſponendi, & in ſumma quoad ea quæ poteſtatem clauiũ reſpiciunt, concilium œcumenicum non tam repræſentat quàm conſtituit Eccleſiam. Eſt enim reipſa Eccleſia ſecũdùm authoritatem & poteſtatem clauium; ſi enim concilium ſecũdùm authoritatem repræſentaret Eccleſiam, cùm Eccleſia ſeorſim ſumpta à concilio nullos alios ſub ſe coërceat quàm Sacerdotes, clericos, & laïcos vtriuſque ſexus, ſequeretur in iis primariò & per ſe authoritatem Eccleſiaſticam reſidere, quod nemo citra hæreſim dixerit: tum quia ſacerdotes clericis & laïcis ſuperiores, nullam ex vi ordinationis ſuæ clauium poteſtatem habent; ſolùm enim (vt conſtanter docent Theologi) poteſtatem habent in

corpus Christi verum, nō autem in mysticum, qualis est Ecclesia: tum quia laïci maiori ex parte cerdones sunt, lanij, baiuli, & vilissimæ personæ, quibus authoritas Ecclesiastica minimè potest conuenire: ipsi enim pasci, & non pascere; discere, nō docere; obsequi, non imperare debent. Perperam ergo & falsò Responsio synodalis œcumenici concilij authoritatem ab Ecclesiæ repræsentatione desumpsit, cùm potiùs dicere debuisset concilium œcumenicum ratione authoritatis esse ipsammet Ecclesiam, cùm omnes Ecclesiæ Principes, Summum nempe Pontificem, Patriarchas, Primates, & Episcopos simul collectos suo ambitu complectatur: maximè verò quòd cùm maior sit repræsentati quàm repræsentantis authoritas, vt ex allatis exemplis liquidò constat, Ecclesia prout distincta à concilio, & prout sacerdotes, clericos & laïcos vtriusque sexus includit, maiori potestate & authoritate gauderet, ipsumque concilium generale emendare, & ad ordinem redigere posset: quod nemo sanæ mentis, ne quidem Vigorius affirmauerit.

DE POTESTATE ECCLESIÆ:
Disputatio aduersus Vigorij commentarium.

ETSI à plerisque Doctoribus, cùm antiquis tum recentioribus de Ecclesiæ potestate vberrimè sit disputatum, vt de hac nunc agere nouã sit Homerũ Illiadem texere; Nihilominus quoniam Augustinus vtile fore censuit diuersos de iisdem quæstionibus libros fieri, *diuerso stilo, non diuersa fide, vt veritas quidem ipsa ad omnes perueniat ad alios, sic, ad alios autem sic*, operæ pretium duxi in huiusce disputationis campum descendere, vt Gallia ab vno aut altero anno, schismaticorum quorumdam factionibus miserè iactata, in tuta, fidaque statione fœliciter conquiescat. In quatuor igitur partes vniuersa distribuetur disputatio. 1ª erit de potestate Ecclesiastica tam in se, quàm ratione subiecti in quo residet. 2ª, de Pontificis Romani, quatenus agit vt Pontifex, infallibilitate. 3ª. de disciplina Ecclesiastica. 4ª, de conciliorum authoritate, eorumdemque cum supremo Pontifice comparatione. Hæc enim sunt præcipua quæ libello suo conuellere conatur Vigorius: Quæ profectò vbi fuerint perfectè stabilita, luculenterque demonstrata, illius hominis ignorantia, & pseudo-theologia cuique innotescent, omnesque quam plumbeæ sint & pueriles illius argutiolæ, & quàm nullius in concludendo vigoris facilè intelligent.

Primo de Trinitate cap. 3.

PRIMA PARS.

De Poteſtate Eccleſiæ, tam in ſe, quàm ratione ſubiecti.

Quid, & quotuplex ſit poteſtas Eccleſiaſtica, & quomodo à Regia ciuiliq; differat.

QVÆSTIO I.

QVOD in omni diſputatione initio fieri conſueuit, vt nempe quid illud ſit de quo eſt quæſtio, explanetur, id in hac diſputatione magis oportere cenſeo. Poteſtas ergo in genere à Doctoribus definitur, Facultas ad exercendam operationem proximè deſtinata: quo ſenſu quælibet creatura, animata, aut inanimata, rationis capax, aut expers, poteſtate aliqua ſuo modo prædita eſt. Ignis vt calefacit, poteſtatem habet calefaciendi: Architectus qua parte domum conſtruit, poteſtatem ædificandi. De poteſtate ita latè ſumpta ſermo hîc non inſtituitur: ſed de alia magis ſpeciali, & quæ ſolius creaturæ rationalis eſt propria: definiturque Facultas propinqua, qua quis dignitatem & imperium in aliū poteſt exercere. Dicitur autem propinqua, quia remota ſeu obedientialis quibuſlibet creaturis etiam irrationabilibus & inanimatis conuenit. Nihil enim cogitari in vniuerſa rerum natura poteſt, quod ſuo Creatori ad omnia non obſequatur & deſeruiat. Sacramenta ſunt res corporeæ, & inanimatæ, quæ ſuam in homines poteſtatem exercent, quatenus à Deo ad producendam in animis gratiam aſſumun-

tur:Ignis inferni,quatenus tãquã instrumentũ diuinæ iustitiæ ad cruciãdas impiorũ animas à Deo eleuatur. Non ergo de hac remota, & obediẽtiali potestate hîc agimus,sed tantùm de propinqua.Secũdò dicitur qua quis dignitatẽ,& imperiũ habet in alios,quia talis potestas non solùm præeminentiam, sed etiam authoritatem in alios complectitur:est enim idem ac iurisdictio qua quis alteri ius dicit. Cùm autem duplex sit hæc iurisdictionis potestas, vna ciuilis & tẽporalis, quæ homines in ordine ad temporalem Reipublicæ pacem dirigit, altera verò Ecclesiastica quæ ad Deum & religionem ipsos homines dirigit: de priori nõ est hîc sermo, sed tantùm de posteriori quæ à Gersonio, & Almaïno definitur,Potestas Apostolis, discipulis, & eorum legitimis successoribus supernaturaliter, & specialiter tradita ad ædificationem Ecclesiæ militantis,secundùm leges Euangelicas,pro consecutione fœlicitatis æternæ. Vbi potestas loco generis ponitur,tum subiunguntur omnes illius causæ: Efficiens, quatenus dicitur à Christo deriuata; Formalis, prout eius exercitium, secundùm leges Euangelicas præscribitur;Materialis seu subiectiua,cùm dicitur Apostolis, discipulis, eorumque successoribus tradita; Finalis, pro consecutione nempè fœlicitatis æternæ: Modus denique quo est tradita supernaturaliter & specialiter. Verũ, licèt hęc definitio suis numeris absoluta videatur,non tamen vsque adeo arridet. Primùm enim non omnem potestatem Ecclesiasticam coërcet, sed tantùm eam quæ diuina est, & supernaturalis: præter hanc autem datur altera naturalis & humana, quâ ad cultum Ecclesiasticum Dei provt

De potestate Ecclesiast. considerat. 1.

De Suprema Potestate Ecclesiæ cap. 1.

naturaliter nobis innotescit disponimur: quamuis enim ad finem supernaturalem nō essemus destinati, neque lumen Euangelij nobis illuxisset, iure tamen naturę ductuque rationis Sacerdotibus, sacrificiis, aris, & templis Deum tanquam authorem & conseruatorem rerum omnium Ecclesiastico quodam modo colere debuissemus: & ad hunc ipsum cultum disponendum & exercendum potestate Ecclesiastica opus fuisset. Secundò, neque etiam omnem potestatem supernaturalem continet: nam in veteri lege erat Ecclesia ex Psal. 88°. vbi Synagoga Iudæorum appellatur Ecclesia Sanctorum, ergo etiam erat potestas Ecclesiastica, eaque ordinis supernaturalis & diuini, vt potè à Deo Moïsi tradita, quæ tamen à Christo secundùm leges Euangelicas non deriuabatur. Tertiò, neque potestatem Ecclesiasticam omnem nouæ legis complectitur, quandoquidem hæc finibus Euangelij non coërcetur, sed multò latiùs se extendit: multa quippe sunt in Ecclesia sola Sacerdotum potestate sancita & prohibita, quæ propterea dicuntur iuris canonici, & non Euangelici: multa item iuris naturalis, vt quæ de vsuris, de iureiurando, de furtis, de homicidio, de empto & vendito, commodato & locato, cæterisque id genus à conciliis, & Pontificibus sunt præscripta. Adde denique hanc Gersonij definitionem Lutheranorum dogmati aliquo pacto fauere, qui Ecclesiæ & Pontifici potestatem condendi leges canonicas, seu humanas denegant, voluntque iis tantùm executionem legum Euangelicarum ex officio incumbere. Quamobrem, cùm nimis angusta sit hæc definitio, neque potestatem Ecclesiasticam adamus-

ſim explicet, aliter nobis eſt aſſerenda, vt nempè ſit poteſtas lumine naturæ, vel fidei hominibus indita, ad Deum, tanquam ſupremum rerum omnium Dominum, iuxta vtriuſque luminis conuenientiam colendum. Sic enim omnem poteſtatem Eccleſiaſticam tam naturalis, quàm ſupernaturalis ordinis, tam veteris, quàm nouæ legis ſuo ambitu complectitur, neque cancellis & finibus Euangelij ita concluditur, quin alia multa per intellectum lumine naturæ, aut fidei illuſtratũ poſſit ſtatuere. Quæ definitio, quamuis ſatis perſpecta ſit, clarius tamen innoteſcet, ſi poteſtatem hanc Eccleſiaſticam, cum ciuili & politica conferamus, & in quo vtraque diſcrepet declaremus.

Definitio poteſtatis Eccleſiaſticæ.

Primum itaque illarũ diſcrimen eſt ex parte materiæ, quòd nempè Eccleſiaſtica in dono ſupernaturali, politica verò in naturali fundetur. Per donum ſupernaturale character baptiſmalis intelligitur: per naturale verò vel nobilitas, vel prudentia, vel hæreditaria ſucceſſio, vel denique populi electio. Vbi obiter notandum eſt, hoc primum diſcrimen ſolùm Eccleſiaſticæ poteſtati nouæ legis conuenire: in hac enim Sacerdotes ordinariè, & regulariter baptiſmi charactere debent inſigniri. Satis enim conſtat, eam, quæ eſt naturalis ordinis, & ſupernaturalis in veteri lege in hoc charactere nõ fundari: etſi enim in veteri lege Circunciſione opus haberent Sacerdotes, hæc tamen circunciſio nullum characterem ſupernaturalem, ſed tantùm materialẽ in parte circunciſa imprimebat: neque vllum ſupernaturale donum, qualis eſt gratia, conferebat, erat enim infirmum & egenum

In quibus differant poteſtas Eccleſiaſtica & Laica.

elementum Iudæos ad perfectum minimè adducens, vt testatur Apostolus cap. 10. Epistolæ ad Hæbreos. Secundum discrimen ex ratione finis petitur: Potestas enim Ecclesiastica, vel ad Dei cultum, vel ad alterius vitæ fœlicitatem: Ciuilis verò ad præsentis vitæ beatitudinem quæ in ciuium pace sita est, refertur. cùm enim potestas constituatur in Republica, vt homines prouocentur ad bonum, & arceantur à malo, iuxta illud 1. Petri 2. potestas est ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, & bona ad quæ homines promoueri debent, & mala à quibus deterreri non solùm sint supernaturalia, sed etiam temporalia & naturalia, vitaque fidelium in finem, & statum ciuilem & maximè in bona perpetua referatur, debuit vna potestas, scilicet Ecclesiastica de medijs ad æternam fœlicitatem statuere: altera vero nempe ciuilis de iis quæ ad temporalem conferunt leges sancire, & præscribere, quod elegãter describit Hugo Victorinus de Sacramẽtis, parte 2ª. *Duæ* (inquit) *sunt vitæ, vna terrena, & alia spiritalis: vt autem vtraque in iustitia seruetur, & vtilitas proueniat, vtique distributi sunt qui vtriusque bona secundùm necessitatem promoueant.*

Tertium discrimen sumitur ex parte causæ efficiẽtis, scilicet Dei vtramque potestatem instituentis, quòd Ecclesiastica à Deo sit immediatè, secularis verò mediante electione populi fiat, aut hæreditaria vigeat successione, qua de re (propter acerrimas huius tẽporis contentiones, quibus implacabili odio vtriusque partis doctores seipsos prosequuntur, conuiciisque mutuis proscindunt & lacerant) nihil quicquam definiemus, sed tantùm diuersas vltro citroque opinantium

tium

tium ſententias producemus) quod, inquam, ſecularis poteſtas à Deo ſit, nemo eſt qui in contrariũ citra hęreſim manifeſtam affirmet. Poſtquã enim ad Rom. 13° dixiſſet Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſiue Regi quaſi præcellẽti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis*; ſubdit: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Sapient. 6. *Data eſt nobis poteſtas à Deo, & virtus ab Altiſſimo, qui opera noſtra interrogabit*: quaſi apud ſolum DEUM Reges & Imperatores cauſam dicere pro ſua in temporalibus adminiſtratione debeãt. Et 23. quæſt. 4. dicitur à Deo conceſſa poteſtas Imperialis, & propter vindictam noxiorum gladius ei permiſſus. Nullum itaque dubium eſt, quin poteſtas ſecularis à Deo ſit, ſed difficultas eſt an mediatè vel immediatè. Plerique enim immediatam politicæ poteſtatis inſtitutionem ad Deum referunt, vt omnes ferè ciuilis iuris interpretes, ex Canoniſtis verò Hugo, quem refert Gloſſa in capitulum *Cauſam*, quæſt. 2ª. extra. qui filij ſunt legitimi. Albericus in Dictionario verbo, *Electio*. Michaël Vulcurnus libro De Regimine Mundi, parte 2ª. quæſt. 11ª. & ex Theologis Ioannes Pariſienſis Tractatu de poteſtate ſeculari & ſpirituali, per multa capita. Alij verò eam duntaxat à Deo mediatè profectam, & inſtitutam volunt, qui in duas claſſes diſtribuuntur: nonnulli enim volunt Regum & Imperatorum poteſtatem eſſe à Deo, mediante Pontificis ordinatione tacita, vel expreſſa: tacita reſpectu Regũ: expreſſa verò reſpectu Imperatorum, vt Auguſtinus Triumphus, Aluarus, Pelagius, Sylueſter, verbo *Papa*, quæſt. 10ª. & alij in capitulum Nouit. de Iudiciis. Alij denique

volunt inter Deum, & Principum poteſtatem intercedere electionem populi, aut hæreditariam ſucceſſionem. Sunt enim duo genera Principum; alios enim ſemper ſibi aſciſcit populus, alij verò hæreditaria ſucceſſione poteſtatem Regiam ſortiuntur. Verùm (vt iam dixi) lapidem húc mouere nunc non inſtitui: de ſpiritalibus enim, non de temporalibus diſſerere eſt animus. Dicam tamen obiter, electionem populi, aut hæreditariam ſucceſſionem (quæ in prima ſui origine à populo deriuatur) vel ordinationem & inaugurationem Pontificis, niſi aliud accedat (vt accidit in Regibus Siciliæ, & aliis Principibus Eccleſiæ vaſſallis) non impedire quo minùs dici poſſit poteſtatem ſecularem Regum & Principum à Deo eſſe immediatè (quod ad populum in officio continendum maximè cõfert, ne factionibus & rebellionibus à ſuo Rege legitimo deſciſcat. Cùm enim credit populus Regis ſui poteſtatem non à ſeipſo, ſed à Deo ſolo deriuari, eius dominationem multò tolerabiliùs ſuſtinet,, eiuſque mandatis promptiùs & faciliùs obtemperat. Ratio verò cur hæc dicantur non impedire quo minùs poteſtas Regis à Deo ſit immediatè, eſt à ſimili: ſicut enim ex electione Pontificis quæ fit per Cardinales totius Eccleſiæ nomine, non ſequitur Põtificem à Cardinalibus, vel ab Eccleſia ſuam mutuari poteſtatem, cùm à Chriſto ſolo eam accipiat, & ſit illius, non Eccleſiæ generalis vicarius, vt infrà contra Vigorium demõſtrabo: ita nec ex ordinatione Pontificis, aut electione populi, niſi, vt dixi, aliud interueniat, ſequitur Reges ab iis, & non à ſolo Deo ſuam tenere poteſtatem, ideóque deſignabunt quidem illi

electores personã regiam, cui tamen supremam politicam potestatem nullo intermedio Deus ipse conferet; addam præterea potestatem Regum & Imperatorum esse quoad debitum à Deo, idque in triplici genere causæ; efficientis, formalis, & finalis: non tamen semper quantum ad acquisitionem & vsum; Efficienter, quia ab ipso quælibet potestas deriuatur. *Per me Reges regnant, & legum latores iusta decernunt;* formaliter, propter ordinem inferiorum ad superiores, qui in quouis regno debet relucere: potissimùm verò ad Deum, qui est omnium superiorum supremus, & Rex regum, Dominusque dominantium: finaliter verò propter vltimam rerum actionumque omnium ad illum reductionem, nihil enim vnquam, siue in sacris, siue in prophanis, & ciuilibus perfectum est, si ad Deum à quo exiit, non referatur ac remeet. Quantum verò ad vsum & acquisitionem, constat principatum ac potestatem siue Ecclesiasticam siue secularem à Deo interdum non esse. Quidam enim Ecclesiasticas dignitates, imperium & regnum iniustissimè vsurpant, malisque artibus inuadunt, vt tyranni, & simoniaci.

Quartum discrimen est, quòd Ecclesiastica potestas, Regia & Imperiali sit nobilior; illa quippè Soli, hæc Lunæ solet comparari; hæc finibus huius vitæ coërcetur, illa vero ad alteram vitam saltem prout est supernaturalis, & nouæ legis, sese extendit: cùm gratiam, quæ semen est vitæ æternæ, & indulgentias quę tam viuis quàm mortuis prosunt, conferat: hæc præcepta quæ ad peccatũ obligent potest imponere, sed ab iis semel commissis in foro Dei nequit absoluere:

illa verò & conſcientiam legibus ſtringit, & cùm qui contra leges peccauerit, ab omni peccato in foro Dei (ſi modo pœniteat) abſoluit. Denique ſi hæc deliquerit, vi cenſurarum per Eccleſiaſticam poteſtatem ad officium reducitur, illa verò & ſi grauiter delinquat, ad officium per ſecularem poteſtatem reduci non poteſt, aut emendari; nec enim ſummus Pontifex in ſpiritalibus aut temporalibus à Regibus aut Imperatoribus dependet; Vt contra Marſilium de Padua & Ioannem de Ianduno definiuit Ioannes 22. Extrauagante ſpeciali, quam refert Turrecr. ſub finem libri 4. de Eccleſia: ideoque Eccleſiaſtica poteſtas, regia & ſeculari multo eſt nobilior & excellentior.

Poteſtas eccleſiaſt. clauis nomine inſignitur.

Cæterùm hæc poteſtas Eccleſiaſtica in Sacris literis metaphoricè Clauis dicitur. Mathæi 16°. *Dabo tibi claues regni cælorum: quodcunque ſolueris*, &c. quo nomine Chriſti poteſtas ſignificatur. Iſayæ 22°. *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius.* & Apoc. 3°. *Qui habet clauem domus Dauid, claudit, & nemo aperit.* Ideoque cùm Chriſti & Eccleſiæ poteſtas eodem nomine ſignificetur, ſignum eſt vtramque poteſtatem maximam affinitatem & ſimilitudinem habere, & earum alteram, ſcilicet Eccleſiaſticam, eſſe alterius vicariam, eique ſoli ſubordinatam. Quo loco admonuerim Vigorium in explicanda clauium ratione ſuam ignorantiam manifeſtè prodidiſſe: ait enim duplicem eſſe clauem, vnam quæ ſoluit, alteram vero quæ ligat, quã appellat cenſurã, *Cuius* (inquit) *duæ ſunt ſpecies, maior, & minor*: Secũdo clauẽ quæ ſoluit eſſe Chriſtum. *Clauis ſoluens* (inquit) *eſt Chriſtus: igitur qui eſt extra clauẽ eſt extra Chriſtum*, quod ſecundum à quo didicerit ne-

Cap. 11. num. 1.

ſcio, niſi fortè ab hæreticis, qui Chriſtum oſtium & clauem, cuius benefico cælum ingredimur paſſim aſſerunt. At quam grauiter allucinetur cum hæreticis hinc liquet, quod ſi Chriſtus eſſet clauis, cùm Mathęi 16°. claues Petro promiſit, ſequeretur ſeipſum ei promiſiſſe. & cùm Ioan. 20°. eas illi de facto contulit, ſequeretur ſeipſum ei contuliſſe, quod eſt abſurdiſſimum. idem enim fuiſſet concedens & conceſſum, promittens & promiſſum, offerens & oblatum, quod quamuis in Euchariſtia, quam Deus memoriam mirabilium ſuorum fecit, verum ſit, aliis tamen quàm Euchariſtiæ abſque vllo Scripturæ, aut Patrum teſtimonio tribuere, non poteſt non eſſe temerarium; & quāuis Chriſtus non minus clauis, quàm oſtium dici poſſit, vtrumq; enim eſt metaphoricū (quod propter analogiam ipſi poteſt competere) nihilominus cum propriè caſtigatè & ad normā loqui debeat Theologus, & à vocibus inuſitatis, præſertim vbi de fide agitur abſtinere, non poteſt non vehementer errâſſe Theologaſter Vigorius, cùm Chriſtum clauem ſine ratione, & teſte auſus eſt appellare. Errat pręterea cùm cenſuram generatim ſumptam in minorem & maiorem diuidit; vſurpat enim contra ſententiam omnium Theologorum, cenſuram pro excommunicatione, quæ tamen multò latiùs patet, cum interdictum etiam, ſuſpenſionem, & irregularitatem quę pro peccato infligitur ſuo ambitu contineat. Dicendum itaque eſt clauem eſſe duplicem, vt & poteſtatem Eccleſiaſticam: vna enim dicitur ordinis (quæ eſt character ſupernaturalis, Epiſcopis, Sacerdotibus, aliiſq; miniſtris alteri mancipatis ex vi Sacramenti ordinis

Vigorius rationem, & naturam clauium Eccleſiæ nunquam intellexit.

Duplex eſt clauis, vna ordinis, altera iuriſdictionis.

collatus) talis eſt poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, ordinandi miniſtros, & omnia Sacramenta atque ſacramentalia conferendi & adminiſtrandi ſi Sacramentum pœnitentiæ excipias quod ex natura ſua præter poteſtatem Ordinis aliam adhuc poteſtatem requirit. Eſt enim iudicium in quo peccator confeſſione peracta à Sacerdote abſoluitur aut ligatur: Altera verò clauis eſt iuriſdictionis, quæ maximè propriè clauis dicitur, & quæ per voluntatem & inſtitutionem ſuperioris alicui confertur: idemque eſt ac dominium: quod enim eſt dominium in temporalibus, illud in ſpiritalibus eſt iuriſdictio. ſicut enim quis per dominium habet ius vtendi rebus in ſuum & aliorum commodum: ita per iuriſdictionem habet ius regendi homines ad illorum & Reipublicæ vtilitatem.

Extenditur autem poteſtas iuriſdictionis ad varios actus, ex quibus illius natura facilè poteſt intelligi. Primùm enim illius eſt condere leges Eccleſiaſticas quæ in conſcientia obligent, etiamſi nihil includant iuris diuini. Act. 1°. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis.* & ibidem, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Ioan. 20°. *Sicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos.* Luc. 10°. *Qui vos audit me audit*, id eſt, qui vobis obedit, ad Heb. 13. *obedite præpoſitis veſtris.* Quę poteſtas in veteri lege etiá vigebat. Matthęi 23. *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſei, quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite.* & Deuteron. 17°. *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, decreto iudicis morietur homo ille.* Ratio vero manifeſta eſt, quia non poteſt intelligi

authoritas iurifdictionis, abfque poteftate imperandi & obligandi. Nam fi obligare non poteft Ecclefia, præcipere quoq; non poteft, cùm præcipere fit obligare: at fi non præcipit Ecclefia, tantùm confulit. Igitur erit inftar confiliarij feu aduocati, quem conftat nulla iurifdictione gaudere: quod contra teftimonia allata & inferius afferenda apertiffimè pugnat. Præterea hæc poteftas ad regendam Ecclefiam prorfus eft neceffaria, tum quia nulla extat Reipublicæ forma abfque poteftate præcipiendi, tum quia Chriftus non omnia præcepit quæ ad Ecclefiæ regimen erant neceffaria, fed tantùm fundamenta iecit, quæ in fide & Sacramentis fita funt, reliqua vero more principum fuis vicariis inftituenda & ordinanda reliquit. Actus vero poteftatis Ecclefiafticæ in variis rerum generibus verfantur, vt in decretis & decretalibus videre eft. Primò circa decentem Sacramentorum adminiftrationem & fufceptionem, circa ordinum & matrimoniorum impedimenta, circa cultum Dei & Sanctorum, vt circa fefta, ieiunia, officium diuinum, circa varias peccatorum pœnas, vt patet ex canonibus pœnitentialibus, circa teftamenta & legata ob pias caufas, circa varios contractus, vt cambia & vfuras. Secundò, extendit fe poteftas Ecclefiæ ad abrogationem legum ciuilium, vbi vel faluti animarum aduerfari, vel iufta ratione carere videntur, vt patet ex capitulo *Quoniam*. de præfcriptione: vbi Innocentius III. abrogat legem ciuilem quæ habetur codice de præfcriptione 30ª. vel 40ª. annorum etiam malæ fidei & capitulo *Super illa*, de fecundis nuptiis, vbi Vrbanus III. abrogat legem illam ciuilem quæ habetur lege 1. ff. de

his qui notantur infamia: & lege 1ª.Codice de secundis nuptiis, quæ iubet viduam esse infamem, si nupserit intra annum obitus sui viri. Tertiò, extendit se ad irrogationem variarum pœnarum, tam in foro conscientiæ, quàm externo: vt sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum priuatio; quod colligitur tum ex locis scripturæ iam allatis, cùm ex praxi Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum semper vim habuit: aduerte tamen Ecclesiam in actus internos directam non habere potestatem, id est, eos non posse per se præcipere, aut castigare, sed tantùm in externos; indirectè tamē quatenus necessarij sunt ad externos actus debitè exercendos, potest eos præcipere, aut prohibere. Sicuti dum obligat ad confessionem, consequenter etiam ad dolorem de peccatis, cùm ad officij recitationem, simul etiam ad attentionem animi, cùm ad professionem externam religionis, ad actum etiam interiorem obligat: siquidem hi omnes actus exteriores ritè decenterque sine interioribus exerceri nequeunt. Ratio autem cur hanc sibi potestatem non vendicet Ecclesia, est, quia non conueniebat Ecclesiam, potestatem habere actus imperandi & puniendi, qui eius notitiam omninò subterfugiunt, & ab eo solo qui corda & renes scrutatur, cognoscuntur: ideoque illius potestas alioqui diuina, humanis tamen modis cum hominibus sit concessa, exerceri debet quoad ea scilicet quæ humano modo cognoscuntur, & de quibus facilè potest iudicare can. *Erubescat*, dist. 32ª. vbi Vrbanus II. Ecclesiam de occultis non iudicare expressè definit, quia *secretorum*

Deus

Deus est cognitor & iudex. 2. *quæst.* 4. *can. consuluisti.* vbi Stephanus ait, *occulta illi esse relinquenda, qui solus nouit corda filiorum.* Si tamen signo aliquo prodantur actus hi interiores, possunt tūc ab Ecclesia puniri; sic enim hæretici occultissimi excommunicatione feriuntur, qui signo aliquo externo, licèt à nemine cognito, hęresim produnt: crimen enim tunc tale est vt ab Ecclesia cognosci possit, & per accidens est quod non cognoscatur; vnde per legem quæ pœnam latæ sententiæ continet, tā Ecclesiastica quàm sæculari potestate puniri possunt. Quartò extenditur ad determinandū infallibiliter de rebus fidei & morum. Ioan. 20. *Pasce oues meas.* Lucæ 10: *Qui vos audit, me audit.* & prioris ad Timoth. 3. *Ecclesia est firmamentum & columna veritatis.* Hæc enim potestas ad bonum Ecclesiæ spiritale omninò requiritur, ne circumferamur omni vento doctrinæ, sicuti paruuli fluctuantes. Vnde etiam in veteri Testamento eadem potestas viguit. Exod. 18. dicitur Moses fuisse populo in his quæ ad Deum pertinent. Deuteron. 17. *Si iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende, &c.* Item, *Si aliquid ambiguum & difficile oriatur inter causam & causam,* &c. & Matth. 23. *Super cathedram Moïsi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Huc refertur Sanctorum apotheosis & religiosorum ordinum confirmatio, in quibus Ecclesia errare non potest, alioqui ipsa deciperetur, læderetur, & ludibrio haberetur; cùm enim religiosum ordinem cōfirmat, eum tanquam perfectionis statum omnium fidelium oculis proponit, & cum pios iustosque in catalogum sanctorum refert, decernit eos à fidelibus inuocari posse: quòd si eam falli tunc & errare

contingeret, magnum Ecclesia detrimentum & iniuriam pateretur.

Est verò notatu dignissimum, potestatem determinandi res fidei ad iurisdictionem propriè non spectare, quia etiam Prophetarum iudicium, etsi nulla iurisdictione gauderent, erat infallibile: authoritas tamen proponendi fidelibus, & obligãdi ad credendum, est potestas iurisdictionis, quæ cùm nõ possit absque infallibili iudicio cõsistere, potestas hæc infallibiliter de fide & moribus decernendi ad iurisdictionem dicitur aliquo pacto pertinere. Quinto, extenditur potestas Ecclesiastica ad dispensandum de toto iure Ecclesiastico, quia eiusdem est potestatis ius aliquod condere, & illud vel in toto, vel ex parte abrogare. A potestate autem Ecclesiæ, quæ in prælatis, & præsertim in Supremo omnium, nempe Romano Põtifice residet, ius positiuum, seu Ecclesiasticum proficiscitur: Neque solùm de ipso iure dispensare potest, sed etiam ob grauem causam potest de nonnullis actibus iuris diuini dispensare, vt in votis, iuramentis, matrimonio rato non consummato. Sciendum enim est quædam esse de iure diuino, ad quæ immediatè à Deo astringimur, qualia sunt baptismus, pœnitentia, fides, spes, charitas, & in his Ecclesiæ dispẽsatio locũ non habet: alia verò quorum vinculum est quidem immediatè à Deo, non tamen applicatio ad hanc aut illam personam, sed arbitrio cuiusque relinquitur, vt se illis adstringat, vel non, vt cùm quis iurat, vouet, & matrimonium contrahit, certum enim est vincula illa à voluntate & beneplacito iurantium, vouentium & contrahẽtium quoad applicationem dependere. Quam-

uis autem iure diuino teneantur hæc adimplere, in iis tamen pro causæ grauitate potest nonnunquam Ecclesia dispensare: necessaria autem est hæc in Ecclesia potestas, quia multi sunt qui parum prudenter & considerate sese obligant, & impedimenta plurima circa obligationis executionem solent contingere: vnde vel aliquod bonum impediretur, vel maximum malum nasceretur, nisi vincula ista ab Ecclesia soluerentur. Sexto, extenditur potestas Ecclesiastica ad absoluendum extra sacramentum à pœna temporali, cui iure diuino vnusquisque remissa culpa obnoxius est. *Ne culpa putaretur & parua,* inquit Augustinus, *si cùm ea finiretur & pœna, prolixiorem Deus voluit esse pœnam, quàm culpam; temporaliter enim hominem detinet pœna, quem iam reum ad damnationem non detinet culpa.* Hæc autem pœnarum temporalium relaxatio fit per indulgentias, quæ etsi ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum depromãtur, sunt tamen actus iurisdictionis & absolutionis veluti iudiciariæ, vt tradunt Theologi disputatione de indulgentiis. Septimo extenditur ad Euangelium vbique terrarum promulgandum, & ad ea omnia præstanda quæ ad hunc finem sunt necessaria. Vt si infideles iniuriâ afficerent Prædicatores fidei, vel nollent illos ad Euangelij promulgationẽ admittere, posset Ecclesia per principes Christianos hanc iniuriam vindicare, & infideles ad concionatores admittendos cogere, quamuis hoc facere non semper expediat, ne religio Christiana infidelibus & Paganis odiosa reddatur. Alij sunt actus huius potestatis Ecclesiasticæ, quos breuitatis causa prætermitto, præsertim cùm de his nulla mihi cum

Tract. 124. in Ioan.

Vigorio intercedat dissertatio. hos autem explicare volui, vt amplitudinem potestatis Ecclesiasticę respectu rerum spiritalium quasi in tabella depictam subiicerem.

Vtrùm potestas Ecclesiastica suprema, sit monarchica?

QVÆSTIO II.

VT liberiùs & faciliùs excurrat hęc disputatio, certa primùm ab incertis lubet secernere. Certum itaque in primis est in Ecclesia regimen aliquod esse admittendum, aliàs enim Ecclesia disgregatio potiùs foret quàm congregatio, latrocinium quàm regnum, & confusio Babylonica, quàm recta quædam ordinatio. Act. 20°. *Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ad Heb. 13°. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Cantic. 6° Ecclesia comparatur cum acie castrorum ordinata, in qua regimen ad obtinendam victoriam prorsus est necessarium. Secundò, certum est ex omnibus regendi formis, Dimocratica nempe, Aristocratica, & Monarchica, excellentiorem, suauiorem, & securiorem esse Monarchicam, quod lumine naturæ cuique est exploratum. Primò ratione ordinis, qui perfectiùs tunc elucet, cùm solus ille cui cura omnium incumbit, præest, reliqui verò subsunt; quàm cùm vel omnes præsunt & nullus subiicitur, vt in Democratia: vel cum multi, nempe optimates dominantur, vt in Aristocratia. Licèt enim aliquis ordo in hoc regimine reluceat, cùm populus optimatibus subiiciatur, nullus tamen ordo est inter optimates, cùm sint omninò pares, neque vnus in al-

In Ecclesia regimen aliquod esse admittendum.

Regimen Monarchicum omnium excellentissimum.

terum poteſtatem habeat. Secundò ratione aſſecutionis finis, pacis ſcilicet & concordiæ, quæ tunc facilè conciliatur quando omnes idem volunt, idem nolunt: hoc autem fit ſuauiſſimè cum ab vnius voluntate & arbitrio omnes dependent. Tertio ratione facilitatis gubernandi: faciliùs enim ab vno, quàm à multis ciuitas regitur. nam ex Ariſtotele 8. Ethic. cap. 10. facilius eſt vnum virtute excellere, quàm plures; & faciliùs populus vni quàm multis (quorum ſtudia plerumque in diuerſa feruntur) obtemperat. Monarchicum ergo regimen omnium optimum eſt, & excellentiſſimum: ita tamen vt (ne in tyrannidem degeneret) illud Ariſtocratia conueniat temperari: princeps enim vbique præſens adeſſe non poteſt, nec omnium ſubditorum rebus prouidere: quo fit vt Reipublicę maior ſit ſecuritas ſi vnà cum rege prudẽtiſſimis etiam optimatibus pro regimine locus aliquis concedatur, dummodo primas & præcipuas gubernandi partes Principi tribuamus, & poteſtas optimatum à rege dependeat. Tertio certum eſt non ideo dici Monarchiam Ariſtocratia temperari debere, quod Monarcha abſque optimatum conſilio nihil præſtare poſſit, ſed quòd eorum ſententiam in rebus grauioribus audire & ſequi debeat, quod perperã falſo, & iniurioſe in Monarchico Eccleſiæ regimine aſtruere conantur Richerius & Vigorius. Monarchiam enim euertunt, qui Regi ad regendi officia conſortes tribuunt, neque profectò verè Monarcha, aut ſolus Dominus dici poteſt, qui de rebus ſubditorum abſque optimatibus non valet decernere.

Regimen Monarchicum Ariſtocratia debet tẽperari.

In quo conſiſtat illud Ariſtocraticum temperamentum.

------ omniſque poteſtas

Lucan. 1. Pharſ.

Impatiens conſortis erit ------
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Dicitur ergo tunc Monarchicum regimen ariſtocratico temperari, cùm princeps qui ſolus res ad regnũ & ſubditos omnes ac ſingulos pertinẽtes gerere non poteſt, optimates creat, quibus in ſolidum, rerum quarum curam illis tradit, adminiſtratio competat; ita tamen vt non aliunde quàm à principe hanc habeant poteſtatem, & ab eo ſi quando muneri ſuo deſint, corripiantur, & in ordinem reducantur. Quartò, certum eſt inter Catholicos regimen Eccleſiæ primo & per ſe eſſe Monarchicum. Nemo enim ambigit quin ex tribus gubernandi rationibus meliorem, & excellentiorem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquerit: quippe quæ illius ſponſa ſit, & pro qua ſemetipſum morti crudeliſſimę, & omnium maximè ignominioſę tradiderit, 4°. ad Epheſios: & Apoc. 20°. Quare cum gubernandi ratio optima ſit Monarchica, eam ſine dubio Chriſtus aſcendens in cælum, Eccleſiæ ſuæ relictis cæteris cõtulit; qua cauſa eſt cur in ſacris literis, per ea quæ ſtatum habent monarchicum ſoleat ſignificari, Daniel. 2° comparatur regno: Cantic. 4° exercitui ordinato, Cantic. 7° corpori humano. 1. ad Timoth. 3. Domui: 1. Petri 3. Naui: & Ioan. 20. ouili: quæ omnia ab vno Supremo moderatore gubernantur. Neque eſt quod reſpondeas Eccleſiam his merito comparari, quod Regem vnum & caput ſcilicet Chriſtum agnoſcat, à quo vſque ad ſeculi conſummationem regitur. Cùm enim Chriſtus ſit inuiſibilis, & in Eccleſiam duntaxat inuiſibiliter influat, præter Chriſtum viſibilem aliquem Paſtorem deſiderat Eccleſia,

Regimen Eccleſiæ primo & per ſe eſt Monarchicum.

ipſi Chriſto ſubordinatũ, & ad quem in dubiis confugiat, atque ab eodem cõtrouerſiarũ omniũ iudicia expectet, ſicut & leges quibus viuat,& gubernetur,& ea ſola cauſa eſt ob quam hæreticos ſtudia in contraria ferri ſemper videamus, quòd ſcilicet nullum eiuſmodi viſibilem rectorem, aut moderatorem agnoſcant. Accedit quòd Eccleſia veteris teſtamẽti ab vnico ſummo Sacerdote fuerit gubernata, quod etſi fateatur Caluinus 4°. Inſtit. cap. 6°.negare tamen videtur Vigorius, qui locum Deuteron. 17. ex quo veteris legis Monarchiam omnes docti & Catholici colligunt, ignoranter, aut perfidioſè deprauauit. Suſtulit enim nomen Sacerdotis in ſingulari, tantúmque de Sacerdotibus in plurali mentionem fecit,contra germanum Scripturæ textum, & contra doctiſſimum Theodoretum; cuius expoſitionem cùm omnes ad vnum ſequantur,placet hoc loco referre. *Si iudicando* (inquit)*non poſſis inueſtigare verum,aut probare ſit ne corpus leproſum, neque diſcernere poſſis an vitiligo ſit an lepra, ne damnaueris,neque iudices ex coniectura, ſed ad locum diuinum confuge, & Sacerdoti rem expone, aut ei cui totũ deducendi populi cura commiſſa fuerit; & quod ille iuſſerit exequere. Quod ſi quis inflatus ſuperbiâ reſponſis Pontificis, aut iudicis obtemperare noluerit, morte mulctetur, & ſit alterius vtilitatis exemplar.* Hæc notet Vigorius,neque amplius ſenſum Scripturæ aliò detorqueat,aut (quod deterius eſt) eius verba immutando,peruertat. Sed ad ſtatum Eccleſiæ Monarchicum redeamus: Nónne Eccleſia Militans, 2. Apoc. inſtar triumphantis Eccleſiæ eſt,& quędam eius imago? in qua ſcilicet triumphante præter Deum & Chriſtum, præſidet primus

Angelus, qui Apoc.12.ante lapſum erat Lucifer, poſtea verò Michaël:igitur & in militante præter Deum & Chriſtum, aliquis Monarcha erit admittendus. Prę- terea Eccleſia militans, eadem ſemper abſque vlla ſui variatione, ab initio mundi ad hæc vſque tempora perſeuerat, ſaltem quoad ſubſtantiam, licèt ratione quarundam circunſtantiarum mutata ſit: Atqui in lege naturæ per Seth, Noë, & Abraham, quorum fuit de ſacrificiis & cultu Dei decernere; in ſcripta per Moyſen & ſummos Sacerdotes, & in lege Euangelica tempore Chriſti per Chriſtum Monarchicè eſt gubernata: igitur & nunc eodem modo regi debet, ne formam regiminis eſſentialiter mutatam fateamur, quod tamen ad Reipublicæ ſubſtantiam eſſentialiter ſpectare nemo eſt qui neſciat. Hoc ſanè affirmāt Doctores omnes, quorum teſtimonia cùm nimis operoſum eſſet ſigillatim proferre, ea tantùm quæ ſunt Pariſienſium (licet eorum aliqui à partibus conciliorum generalium ſuprà Pontifices ſteterint) proferemus. Alliacenſis ex magno collegij Nauarrę magiſtro Cardinalis & Archiepiſcopi Cameracenſis tractatu de origine Eccleſiaſticæ poteſtatis concluſ.2. *Ideò Dominus hoc præuidens (nempe ſchiſma & diſſenſionem) contulit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis authoritatem diſponendi miniſtros Eccleſiæ, & determinandi eorũ iuriſdictionem, dicens, Paſce oues meas, id eſt, ſis paſtor & prælatus generalis ad quẽ pertinet diſpoſitio & regimen regale ouium & ouilis.* Ioan. Gerſonis Cancellarij Pariſien. de poteſtate Eccleſię cõſid. 10. *Plenitudo legis Eccleſiaſticæ ſic propriè ſumptæ non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in vnico ſummo Pontifice formaliter & ſubiectiuè; alioqui Eccleſiaſticũ regimen non eſſet monarchicum,*

narchicũ, & habere posset multiplex caput ex æquo, ꝙ apertè est hæreticum. Et lib. de auferibilit. Papæ, consid. 8. *nullam aliam politiam (in Ecclesia) instituit Christus, immutabiliter præter monarchicam & quodammodo regalem; & oppositum sentientes, quod videlicet fas est esse plures Papas, aut quod quilibet Episcopus in sua diœcesi est Papa, vel pastor supremus æqualis Papæ Romano, errant in fide, & vnitate Ecclesiæ contra articulum hunc* Et vnam sanctam Ecclesiam. *Et si pertinaces maneant, iudicandi sunt hæretici, sicut Marsilius de Padua, & quidam alij.* Ergo Gersonio regimen Ecclesiæ ita est monarchicum, vt illi immutabiliter conueniat. Almaini de suprema potestate Ecclesiastica cap. 4. *Christus fuit sapientissimus, quia plenus sapientia, & quòd instituerit optimam politiam, sed optima politia debet regi regimine regali, vt dicit Arist. in Politicis; itaut vnus sit qui in quemque habeat potestatem, & nemo in eum; Ergo verisimile est quod in spiritalibus Christus instituerit superiorem, qui habeat quẽlibet coërcere, & nullus eũ.* Idem docet Ioannes de Cellaia in 4. dist. 24. qu. 4. & 7. Hoc autem ita certum est, vt à quoquam citra fidei iacturam negari non possit. Ezechielis enim 34. de fidelibus in noua lege longè ante fuerat prænuntiatũ: *Suscitabo super eos Pastorem vnum.* & 37. *erit vnus Pastor omnium vestrum.* & Ioan. 10. Postquam Christus de filiis Israël locutus esset, subiunxit, *alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnũ ouile & vnus Pastor.* Quibus accedit plurium conciliorum definitio, & vnanimis veterum patrum, omniumque Christianorum consensus. Cui resistere ex Augustino Epist. 118. ad Ianuarium, *insolentissimæ est insaniæ.* Dices idem debere esse iudicium seruata pro-

portione rerum huius ſæculi & rerum Eccleſiæ: at non expedit vnicum Monarcham toti mundo præfici, quia minora & pauciora regna melius ab vno reguntur, quàm maiora & plura. *Fœliciores*(inquit Auguſtinus 4. De Ciuit.cap.15.) *eſſent res humanæ, ſi omnia regna eſſent parua, & concordi vicinitate lætantia.* Ergo nec Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ vnicum Monarcham expedit præſidere. Reſpondetur vtriuſque regiminis diſparem eſſe rationem; nec enim orbis terræ debet, aut poteſt eſſe vnum regnum quod iiſdem legibus & moribus regatur. Hi enim pro varietate non modo regnorum, ſed & prouinciarum, immo & vrbium ita diuerſi ſunt, vt iidem vbique eſſe non poſſint: At verò in Eccleſia eædē leges, eædem traditiones ſaltem ab Apoſtolis, & conciliis generalibus latæ & introductæ, eadem fides, eadem deniq; Sacramenta vigere poſſunt & debent, aliàs vnitas Eccleſiæ funditùs deſtrueretur. Quo fit vt ab vno ſupremo moderatore qui horum omnium curam gerat gubernari commodiſſimè poſſit & debeat, præſertim, cùm in Scripturis, vt iam diximus, Eccleſia ipſa vnū regnum, vna ciuitas, vnum ouile, & vna domus appelletur, quæ abſque vnitate Regis, Rectoris, Paſtoris, & œconomi non ſubſiſtunt. Quinto, certum eſt Monarchicum illud regimen eſſe Ariſtocratia aliqua temperatum: ita vt non ſolùm ab vno moderatore, ſed etiam ab optimatibus, nempe Epiſcopis, res Eccleſiæ debeant in ſolidum adminiſtrari, idque iure diuino & inſtitutione Chriſti, qui vnamquamque poteſtatem ad Eccleſiæ regimen neceſſariam inſtituit; Pontificiam, quæ ſuprema eſt; Epiſcopalem, quæ media; &

Regimen Eccleſiæ Monarchicum Ariſtocratia temperatur.

Presbyteralem, quæ infima. Sicut enim Christus dixit Petro, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* & Ioan. 20. *pasce oues meas.* ita dixit Ioan. 20. Apostolis, qui Episcopos præfigurabant: *Sicut misit me viuens Pater, ita & ego mitto vos.* & Lucæ 10. *Designauit & alios septuaginta duos, & misit eos binos ante faciem suam.* His autem septuaginta discipulis succedunt parœchi, qui in partem solicitudinis, & Ecclesiæ regiminis pro modulo suo vocantur. Cùm enim Ecclesia per totum orbem esset disseminanda, & Pontifex vbique locorum præsens esse non posset, nec omnibus & singulis Ecclesiæ negotiis per se intendere: id enim Deo & Christo propter potestatem, quam vocant excellentiæ solùm conuenit: consentaneum fuit per regiones & ciuitates sub vno Supremo moderatore optimates constitui, qui ab illo vno dependerent, & ab eodem, si quando peccarent, emendarentur. Dices fortè, per vicarios ad nutum ipsius Pontificis res Ecclesiæ posse commodè administrari, quemadmodum Rex per gubernatores, præfectos, & inferiores dinastas toti regno sufficienter prouidet; at verò vicarij longè ab optimatibus & personis Aristocraticis differunt, cùm sint ad nutum superioris, nec in solidum rempublicam administrant. Respondeo Episcopos & parœchos, non esse Pontificis Vicarios, nec ad nutum illius suis Ecclesiis præfici, sed in solidum & titulariter (vt loquuntur) eas tenere & regere, quod inter alios eleganter declarat Cyprianus tractatu de simplicitate Clericorum: & habetur 24. quæst. 1. can. loquitur. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus, quam vnitatem firmiter tenere & vindicare maximè nos*

Episcopi qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum & indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei vnitatem perfida præuaricatione corrumpat, Episcopatus vnus est cuius à singulis in solidum pars tenetur, Ecclesia vna est quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Capitulo *inter corporalia. de translatione*, dicitur species coniugij inter Episcopum & Ecclesiam suam intercedere, in cuius signum quando consecratur, annulo instar coniugum ornatur, & oppigneratur. Vir autem ita per matrimonium vxori coniungitur, vt non ad alterutrius nutum duret coniunctio, sed in solidum & ad vitam. Ergo inter Episcopum & Ecclesiam cui præficitur, idem est vinculum, præsertim cum istud moraliter sit omninò necessarium: quæ enim ad alterius nutum tenentur, vt plurimum contemnuntur: quæ verò in solidum & ad vitam, impensius ac diligentius curantur: Adde si optimates Ecclesiæ solum essent Pontificis Vicarij, facilè illius potestas in tyrannidem degeneraret, non minùs quàm Monarchia principum temporalium vbi Aristocraticum deest temperamentum, ideoque quamuis absolutè res Ecclesiæ per Pontificis Vicarios administrari possent, cùm tamen multò sit decentius & vtilius, immò vt ostendimus, quadamtenus necessarium, per ministros in solidum eam administrari, credendum est Christum formam hanc regiminis suæ Ecclesiæ reliquisse, iuxta vulgatam Augustini regulam: *Quicquid tibi vera ratione occurrerit, id credas fecisse Deum.* Neque tamen propterea status Ecclesiæ Monarchicus labefactatur non secus atque regnum multitudine principum & optimatum

Lib. 3. de lib. arbitrio ca. 5.

qui ſuos in ſolidum tenent principatus, quinimmo Monarchiam tuentur & conſeruant, cùm ſemper Regi tanquam ſupremo Domino pareant, eiuſque iuſſa exequantur; & ſi quid in adminiſtratione deliquerint, aut feloniæ, vt aiunt, rei ſint, ab eo puniantur. Vnde cùm Epiſcopi ſemper ſubiecti maneant ſummo Pontifici, & illorum poteſtas ab eodem Pontifice tanquam à fonte, capite & radice dependeat, ſtatum Eccleſiæ Monarchicum minimè deſtruunt. & hæc quidem certa ſunt apud omnes.

Sed de qualitate Eccleſiaſticæ Monarchiæ, an abſoluta ſit, nec ne, non mediocris eſt difficultas. Vigorius enim audacter negat rationem Eccleſiaſticæ Monarchiæ eſſe abſolutam & independentem, quippè quæ canonibus conciliorum cùm generalium, tùm prouincialium, ſi modo principes authores habuerint, ſubdita ſit, & ab iis in agendo & gubernando dependeat. *Gloſſa* (inquit) *in extrauag. cum com. de dolo & contumacia. in fine. Duplex eſt principatus, deſpoticus, & politicus. Primus eſt Domini ad ſeruum, qui non habet ius reſiſtendi, eo quod ſeruus eſt Domini totaliter. Secundus eſt principatus liberorum, qui habent ius in aliquo reſiſtendi: talis eſt principatus Eccleſiæ circa ſubditos, ſiquidem non eſt veriſimile, quòd principatus Eccleſiæ ſit deſpoticus: non enim ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. vnde Papa dicitur diſpenſare vt cum filijs, non cũ ſubditis, vt princeps. capitul. Per venerabilem. extra. qui filij ſunt legitimi: & ideo ei non eſt obediendum, quando timemus ne ex eo multa mala proueniant: vel quod ex eo ſcandalizetur Eccleſia. Notat Innocentius cap. Inquiſitionis. ex. de ſent excommunicationis.* Aitque Vigorius pag. 21. *Multùm inter ſe diſtare Monarchiam*

Cap. 3. Pag. 27.

Quo ſenſu poteſtas Eccleſiæ ſit abſolutè Monarchica.

Ecclesiasticam & politicam, quod Rex potestatem habeat vitæ & necis in subditos, & quod ei placuit, legis habeat vigorem; & etiam si in leges pronunciet, ius tamen dicere censeatur; at hoc in Pontifice vsus quotidianus & ius canonicum repugnant: Pontifex non habet potestatem absolutam vitæ & necis spiritualis in Christianos; propterea quod vsus clauium regulatur secundùm canones; Nec omnis qui est excommunicatus à Papa, est excommunicatus in cælo. Hæc Vigorius, in quibus multa sunt animaduersione dignissima, & quæ multò acriorem censuram quàm Senonensem aut Ecclesiæ Romanæ postulant: statum enim Monarchicum ipsius Ecclesiæ solo penitus adæquant. Sed ordine agamus, & ne quis primùm æquiuoquo huius nominis (absolutum) laboret, paucis illud placet exponere.

Sciendum ergo est apud Philosophos absolutum opponi relatiuo, seu conditionato; ideoque naturam eius ex definitione respectiui facilè constare. Respectiuum itaque est, cuius esse est ad aliud, seu cuius natura in ordine, & dependentia ab altero consistit: quo fit vt absolutum sit id cuius esse non est ad aliud, seu quod ab altero non dependet. Et quemadmodum respectiuum est duplex, secundùm esse (vt loquuntur Philosophi) cuius tota natura est ad aliud; alterum verò secundùm dici, quod præter ordinem & respectum ad alterum, aliquid absoluti & independentis includit (non sunt hæc exemplis vt potè apud Philosophos tritissima, illustranda.) Sic etiam duplex est absolutum, vnum simpliciter, quod in se suisque actionibus independenter subsistit & operatur: alterum secundùm quid, quod in nonnullis actibus de-

pendet ab alio, in aliis verò minimè. Poteſtas ergo reſpectiua ea erit quæ in ſuis actibus, quales ſunt præcipere, prohibere, punire, permittere, & compenſare, ab altero, vt à comitiis generalibus, vel ab optimatibus dependet: abſoluta verò quæ talem non habet dependentiam, ſed ſe ſola citra reſpectum ad alterum poteſt hos omnes actus exercere, idque ſecundùm magis & minus; eſt enim aliqua poteſtas abſoluta, quę ſe ſola aliquos actus exercet, verbi gratia, compenſare. Nullus enim eſt princeps qui ſe ſolo non poſſit ſubditum pro rebus præclarè geſtis compenſare: alios verò non ſemper poteſt, vt leges ferre, vniuerſos ſubditos obſtringentes, ſed vel à comitiis regni generalibus, vel à regni ſui proceribus & optimatibus dependet. Cardo igitur totius controuerſiæ in eo poſitus eſt, an in actibus Eccleſiaſticis præcipuis, & quæ ad ſtatum Eccleſiæ vniuerſaliter ſpectant, poteſtas illius ſuprema ab aliquo dependeat, vel an ſe ſolâ abſque alterius dependentia, hos actus poſſit exercere. Si enim hoc præſtet, conſequens eſt eſſe abſolutam & independentem; ſin minùs, reſpectiuam, conditionatam, ſeu dependentem. Nos vero conſtanter aſſerimus Monarchiam Eccleſiaſticam non eſſe ſimpliciter abſolutam, ſed certis legibus aut finibus concluſam, & limitatam. Primùm enim, nihil quicquam poteſt contra ius naturæ: Quæ enim ex ſe & ſuapte natura bona ſunt, vel mala, non poteſt Eccleſia ſiue Pontifex quocunque modo immutare: ita vt bonum ex ſe, malum reddat; & è contra. Secundo, nihil poteſt contra ius diuinum, in Euangelio exaratum, aut contra fidem ſcripto vel verbo traditam, qualia ſunt

Monarchia Eccleſiaſtica non eſt ſimpliciter abſoluta.

Sanctorum inuocatio, imaginum veneratio, pro viuis & deffunctis Missæ celebratio, & quæcunque à conciliis generalibus aduersus hæreses sunt definita. quo sensu intelligitur illud Zozimi. *Canon. contra statuta, 25. quæst. 1. Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare nec huius quidem Sedis potest authoritas; apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerētiam.* Potest quidem Pontifex vtrūque ius diuinum & naturale interpretari, restringendo, ampliando, & declarādo in certis quibusdam casibus non obligare, sed de illo minimè dispensare potest. Vbi obiter notabit lector, non omnia quæ ab Apostolis sancita sunt ad ius diuinum pertinere: exem. causa, bigamum non esse ordinandū, 1. ad Timoth. 3. nec homicidam, aut criminosum. & Act. 15 abstinendum esse à sanguine & suffocato. de quibus potestas Ecclesiastica legitimè dispensat, cùm sint solius iuris Ecclesiastici, & ab Apostolis tanquam Episcopis & pastoribus, non vt Euāgelij præconibus promanarint. Tertio, non potest suprema illa potestas statum Ecclesiasticum in toto, aut in parte immutare, nedum euertere: ver. gr. vni eidemque sexcenta beneficia conferre, pueros ad Episcopatum promouere, ritus etiam generaliter per Ecclesiam ab omni æuo inuiolabiliter obseruatos abolere, & nudam tantùm sacramentorum substantiam fidelibus relinquere. Sic enim Ecclesiæ dignitas & splendor maximè minueretur, & ad certissimum exitium deuolueretur. Petrus de Luna pseudopontifex sub nomine Benedicti XIII sedens Auenioni, tempore schismatis Sacerdotium vacans, vt habet Senatusconsultum Parisiense, nulli dabat,

dabat, nec dari patiebatur, ſed fructus harum Eccleſiarum vacantium percipiebat, in quo meritò damnatus fuit, & denegata ei obedientia, non ſolùm quòd ſchiſmaticus eſſet, (hunc enim initio pro vero Pontifice tota agnoſcebat Gallia) ſed quod de Eccleſiaſticis beneficiis, cōtra ius faſque in detrimentum Eccleſiæ ſtatuere præſumeret. Clariſſimū igitur eſt poteſtatem Eccleſiaſticam legum quarūdam cancellis eſſe concluſam, nec eſſe ſimpliciter abſolutam.

Remundus Rufus, contra Molinæum ſub finem, vbi refert Senatuſconſultū Pariſiēſe aduerſus Petrum de Luna.

Nihilominus contra Vigorium conſtanter aſſerimus eſſe abſolutam ſecundùm quid, & æqualem pro rebus ſpiritalibus, poteſtati Monarchicæ Regum & Imperatorum in rebus ciuilibus. Hoc autem potiſſimum relucet in diſpoſitione totius iuris Eccleſiaſtici, dummodo per illius abrogationem & diſpenſationem ſtatus Eccleſiæ nō peruertatur, aut decoloretur. Poteſtas enim Eccleſiæ eſt ad ædificationē, nō ad deſtructionem. Primùm enim ſupremus Eccleſiæ Paſtor Regis & Principis nomine legitimè poteſt inſigniri. De Petro ſic canit Eccleſia. *Simon Petre, antequā de naui vocarem te, noui te, & ſuper plebem meam principem te conſtitui.* De Apoſtolis Eccleſiæ rectoribus, & qui eadem cum Petro, tanquam à Chriſto immediatè miſſi, poteſtate fruebantur, Pſal. 44. ſcribitur, *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* & rurſus de Petro: *Tu es Paſtor ouium, Princeps Apoſtolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi:* & hæc ratio maximi eſt momenti; neque enim in Eccleſia aliter creditur quàm canitur: atque, vt ait Chryſoſtomus, legem credendi facit lex precandi. vnde cùm Chriſtus dixit Petro, Ioannis vltimo, *Paſce oues meas*, non tantùm eſt vſus

verbo βόσκε, quod conductum significat, sed etiam ποιμαῖνε, quod authoritatem & iurisdictionem sonat: iuxta illud Homeri de Agamemnone Rege, ποίμενα τῶν λαῶν. Vnde Augustinus in hunc Psalmi versiculum, *Delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Filiæ (inquit) Apostolorum, filiæ regum sunt; & quamuis supremi Ecclesiæ pastores ad exemplum humilitatis, & ad vitandam inanem gloriam & ambitiosam suæ potestatis iactantiam, nec Reges nec Principes vocari voluerint; sed serui seruorum Dei, dispensatores & ministri, præsertim cùm Christus eos ad hanc sui demissionem verbo & exemplo inuitârit Lucæ 22. non tamen propterea colligi potest eos Monarchicam, & seruata proportione potestati Regiæ similem authoritatem non habere.

Ceterùm, quia sunt nonnulli Reges, qui absque generalibus comitiis, vel consilio procerum regni nullas leges condere, nullaque tributa aut vectigalia queunt exigere, vt Reges Arragoniæ; alij verò qui inconsultis optimatibus regnique proceribus, hæc omnia legitimè præstant: Et si quando optimatum consilio vtãtur, id quidem ad melius esse (vt loquuntur) faciũt, non ex necessitate, & ad simpliciter, vt Reges Galliæ, quorum edicta licèt iuxta receptam Galliæ consuetudinem approbari siue verificari soleant, ab ista tamen approbatione seu verificatione suam vim nullomodo mutuantur, cùm sit tantùm conditio eo fine requisita, vt de Regis voluntate, & intentione vniuerso populo constet. Cùm, inquam, Reges sint in duplici differentia, asserendum est Ecclesiæ Monarchiam in spiritualibus, & Ecclesiasticis

eiusdem esse rationis cuius est Monarchia Regum posterioris generis: Enimuero sicut Reges isti, etsi nihil contra ius naturæ, & generalem Imperij sui statum moliri ac præstare possint, vt innocentes pro arbitrio morti addicere, ciuium bona diripere, in alienos thalamos irruere; nihilominus quoad res ciuiles, & administratioñe regni à nullo quàm à Deo dependent, neque vlli alteri de factis suis rationem reddere tenentur: Ita supremus Ecclesiæ Monarcha, etsi legibus diuinis, & naturalibus sit subiectus, statumque Ecclesiæ generalem conuellere, aut deterere non debeat, in illius tamen potestate est ius Ecclesiasticum, aut in parte, aut in totum abrogare, & de eo cum fidelibus, vt visum fuerit dispensare. Peccabit forsan istud præstando, vt etiam Rex qui legibus ciuilibus etiam à seipso constitutis non obtemperat, sed interim factum eius vim & robur obtinere non desinet. Secundò, quemadmodum Reges secundi generis inconsultis proceribus, & non conuocatis generalibus comitiis leges edicunt quibus subditos in conscientia obligant: sic Ecclesiasticus princeps leges Ecclesiasticas absque conciliis prouincialibus & generalibus sancire, & fideles ad earum obseruationem pœnis etiã adhibitis adigere iustè potest, quod infra specialiter aduersus Vigoriũ docebimus. Tertiò sicut in regno Galliæ, quilibet optimates suam à Rege, & non ab alio potestatem accipiunt; hoc enim ad essentialem Monarchiæ rationem requiritur; sic in Ecclesia Episcoporum & Patriarcharũ potestas à supremo Monarcha Christi vicario dependet, quod variis argumentis confirmatur: Primum enim illud expressè

docuit Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ: *Loquitur* (inquit) *Dominus ad Petrum, & ei post resurrectionem* dicit, *Pasce oues meas, & quamuis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, quando dicit: Sicut misit me viuens pater, ita & ego mitto vos; tamen vt vnitatem manifestaret vnam cathedram constituit.* Per subiectionem videlicet omnium ad vnam, & rursus ab eodem idem supremus Ecclesiæ Monarcha capiti, radici, fonti, & Soli comparatur: à capite in reliqua membra virtus deriuatur, à radice in ramos vigor & alimentum diffunditur, à fonte riui defluunt, à Sole manant radij: ita & à supremo Monarcha reliquorum optimatum potestas manat & deriuatur. Deinde primùm in vnoquoque genere est causa & mensura cæterorum: at nemo citra hæresim vnquam negabit supremũ Monarchã primũ esse in Ecclesia: quis enim prior primo posset esse & superior supremo? igitur in eo residebit potestatis Ecclesiasticæ plenitudo, vt ad alios pro vniuscuiusq; modulo deriuetur. Numer. *11. De spiritu Moysi aufertur, & datur septuaginta Senioribus.* hoc autẽ imminutionẽ & diuisionem spiritus Mosis non significat, sic enim parum immo nihil ad regendum populum profuisset, sed deriuationem potestatis illorum à potestate Mosis, quæ plenitudine maxima à Deo erat cumulata. Item si Episcopi immediatè à Christo, seu quod idem est, iure diuino sua iurisdictione gauderent, ea esset in omnibus æqualis, nec in vno magis, quàm in altero coarctata, non minùs quàm potestas ordinis quæ à Christo, ex vi Sacramenti Sacerdotibus confertur, æqualis est in omnibus, nec magis aut minùs in vno quàm in altero: at

Potestas Prælatorũ immediatè deriuatur à summo Pontifice.

non omnibus prælatis æqualis eſt in Eccleſia iuriſdictio; ſunt enim Epiſcopi ſupra parœchos, ſupra Epiſcopos Archiepiſcopi, & ſupra hos primates, à quibus ad Monarcham tanquam omnium ſupremũ fas eſt prouocare. Denique poteſt Eccleſiæ Monarcha ex cauſa rationabili iuriſdictionem inferiorum prælatorum augere, vel minuere, vel etiam aufferre; quod certè nunquam præſtaret, ſi inferiorũ poteſtas ſolum à Chriſto & iure diuino, non autẽ ab illo penderet. Sicut enim nõ poteſt Eccleſiaſticus Monarcha aliquid à Chriſto inſtitutum mutare aut impedire, ex. gr. quominus ſacerdos ritè conſecratus Euchariſtiam non conficiat: ſic ſi poteſtas iuriſdictionis prælatorũ à Chriſto tantùm manaret, prorſus eſſet immutabilis, nec à Põtifice poſſet imminui & aufferri: Manat ergo immediatè ab ipſo monarcha, mediatè autẽ à Chriſto dependet, & hoc diſertiſſimè docẽt Patres. Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſui ad Pontificatum: *Si quid Chriſtus commune cum eo*, nempe Petro, *voluit aliis eſſe principibus*, ſcil. Apoſtolis, *nunquam niſi per ipſum dedit quicquid aliis non negauit*. & epiſt. 62. ad Viennenſes: *in beatiſſimo Petro & Apoſtolorum omnium ſummo, ſui muneris ſacramentum principaliter collocauit, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in omne corpus diffunderet*. 22. diſt. can. omnes. ex Nicolao I. *Romana Eccleſia omnes alias inſtituit*. can. ex illis. diſtin. 8. ex Clemente. *Quæ enim, quæſo, ſunt Eccleſiæ, quas Petrus per ſe aut per alios nõ fundauit?* Innocentius I. epiſt. ad concilium Mileuit. *Arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros nõniſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis & honoris authorem deferre debere*. Cur autẽ Epiſcopos vocat fratres ſi ab eo conſtituantur, & iuriſdi-

ctionem accipiant, hæc causa est; vocat quidem eos fratres propter ordinis potestatẽ, ipsi cum omnibus Episcopis æqualem; nec enim character Pontificis maior est aut amplior charactere reliquorum prælatorum, quoad iurisdictionem tamen nõ sunt eius fratres, sed potiùs filij, seu subditi; à quo (vt ait Gerson.) *regulari habent, corrigi, & emendari, si quando peccent*, vt & Galliæ proceres vbi officio suo desunt à Rege Galliæ castigantur.

De Potest. Ecclesi.

Quartò, Reges posterioris generis vrgẽtibus regni negotiis, generalia nonnumquam indicunt comitia, quibus ipsi per se, vel per deputatos præsunt; tempore verò horum comitiorum generaliũ non minùs sunt Regni Monarchæ quàm anteà: immò tunc clarius & splendidiùs maiestas eorum relucet. sunt enim veluti Sol in medio planetarum, cùm scilicet sedẽt in regali solio, vultu suo (vt inquit Salomon) dissipantes omne malũ: Sic summus Ecclesiæ Monarcha, grassante hæresi aut schismate, aut Ecclesia quomodocumque afflicta & periclitante, cogit generalia concilia, eiusque solius est ea cogere, nisi in casibus quos infrà recensebimus, iisque per se vel per legatos præest: quo tẽpore nemo monarchiam eius deperditam aut imminutam affirmabit, aliàs illius statum funditùs euerterent generalia concilia, atque etiam (quod est cõtra naturam Ecclesiæ, quæ vsque ad sæculi consummationem in eodem statu vi promissionis Christi consistet ac perseuerabit) formam Ecclesiastici regiminis immutarẽt. nam tunc non esset ampliùs monarchica, sed aristocratica, quod hæreticum est & schismaticum. Hîc nõ disputo de supremi monarchæ cum conciliis genera-

Solius est supremi Pontificis cogere generalia concilia.

libus comparatione; hanc enim diſputationem quæ maximas ſemper in Eccleſia turbas excitauit, ad calcẽ libri reſeruamus, in qua mentem noſtram ſine cuiuſquam offenſione candidè & ingenuè aperiemus, ſed tantùm propoſitum eſt oſtendere celebrationem conciliorum generalium, de Eccleſiaſtica Monarchia non magis detrahere quàm de Regum Monarchia detrahat generalium ordinum conuocatio. Dicam tamen in tranſcurſu, Vigorium, & ſimilis farinæ homines cùm Monarchiam Eccleſiæ vſque adeò imminuunt, ac deprimunt, magnam Eccleſiæ iniuriam facere: ab eo enim tempore, quo propter nouas quorundam opiniones concilia generalia ſuſpecta eſſe cœperunt Pontificibus, ea ipſi indicere & congregare abnuerunt, quod deflet Victoria relectione 4ª, 20ª propoſitione, ſub finem. Quintò, regibus poſterioris generis non conuenit dominium deſpoticum, vt falsò & aſſentatoris inſtar contendit Vigorius. Etſi enim Regis Galliæ regnum atque dominiũ omninò ſit independens & abſolutum, nulloq; modo precarium, neque aliter quàm per Dei gratiam, mediante paternâ ſucceſſione quæſitum; non tamen nobis deſpoticè & heriliter dominatur; non enim Gallia Regis ſui ſerua eſt, ſed tantùm ei ſubdita: ſic etiam licèt principatus Eccleſiæ non ſit deſpoticus, nec cum Chriſtianis, tanquam cum ſeruis & mancipiis ſe gerat ſupremus illius monarcha, nihilominus Eccleſiaſticus principatus dici non deſinet, vel abſolutus, eo ſenſu quem expoſuimus, vel æquè perfectè Monarchicus ac Regis Galliæ principatus.

Cur raro cogantur concilia generalia.

Principatus Eccleſiæ nõ eſt deſpoticus.

Sed vrget Vigorius, capitul. Per venerabilem: ex.

Cap. 3. pag. 27.

qui filij ſunt legitimi. Papa diſpenſat cum Chriſtianis, vt pater cum filiis, non vt cum ſubditis vt princeps. Eſto, hoc illius Monarchiá potius adſtruit quàm deſtruit: Ariſtoteles enim lib. 3. cap. 14. Politicor. genus hoc Monarchiæ præcipuè commendat, cùm is penes quem eſt ſumma rerum, patremfamilias imitatur, & ſubditos loco filiorum habet. *Quemadmodum* (inquit) *rei familiaris tuendæ procuratio, regnum quoddam domus eſt, ſic ciuitatis aut gentis vnius, aut plurium tuendarum atque adminiſtrandarum ratio, eſt regnum:* Quo etiam loco meminit alterius cuiuſdam Monarchiæ, in qua omnia per vim & tyrannidem exercentur, quæ olim apud Barbaros, vt nunc apud Turcas, erat in vſu. Hæc autem herili & deſpotico dominio in qua ſubditi habentur vt ſerui, eſt finitima. Vnde non poteſt Vigorius non eſſe veræ ac perfectioris Monarchiæ hoſtis, ipſiſque regibus valde iniurioſus, qui eos heriliter ſubditis imperare ac dominari auſus eſt affirmare. Sed maiore adhuc audacia inſoleſcit cùm ait Regem habere poteſtatem vitæ, & necis in ſubditos, qualem iure ſcripto Domini habent in ſeruos. Ecquis enim in Gallia crudeliſſimũ, hoc veréque barbarum dogma ęquo animo ferat? Enimvero princeps pater eſt veluti patriæ, ciuiumque cuſtos, vitæ fortunarumque eorũ; quippe qui de cuiuſquam bonis ad libitum minimè ſtatuere poſſit, cùm ſit duntaxat iuris naturalis vindex, & propugnator, quod ſanè poteſtatem arbitrariam vitæ & necis (qualem regibus videtur tribuere Vigorius) procul à Reipublicæ ſtatu arcet & amandat. Vnde quiſquis Regum eſſet, qui homines voluntate, non ratione, neq; ex iuſtitiæ legibus morti adiudicaret,

Reges nõ habẽt vitę neciſq; poteſtatẽ in ſubditos.

adiudicaret, non per Deum, ſanguinem de manu hominum ſeuerè & ſollicitè requirentem, & vindicantem: ſed per dæmonem infenſiſſimum generis humani hoſtem regnare cenſeretur. Apage, apage, hos aſſentatores, crudeliſſimas Reipublicæ peſtes, quorum lingua, vt inquit ille, plus nocet quàm perſecutoris haſta; & qui profectò rabioſorum canum more, cùm adblandiri videntur, morſum interea infigunt inſanabilem. Neque eſt quod dicat Vigorius ſe abſolutam vitæ necíſque poteſtatem regibus non tribuere, ſed conditionatam duntaxat & veluti reſpectiuam, provt nempe crimina ſubditorum exigũt: hoc enim apertum eſt effugium, & ſubdola fallaxque interpretatio: ſiquidem cùm in mortem corpoream multò plus principi tribuat, quàm Pontifici in mortem ſpiritalem, quæ per excommunicationem infligitur, Pontifex autem pro criminis ratione poſſit quoſlibet Chriſtianos anathemate ferire, manifeſtè conſtat eum regibus palpum obtrudere, crudeliterque iis aſſentari, & abſolutam principibus ſubditos interficiendi poteſtatem tribuere: mirum autem eſt, quòd principibus hanc poteſtatem tribuat, Pontifici verò reſpectu necis ſpiritalis, deneget: Cùm enim à morte ſpiritali poſſit quis per pœnitentiam & ſatisfactionem reſurgere, accedente abſolutione prælati, à morte autem corporea, tanquam à merâ priuatione non detur regreſſus, magis erat conſentaneum abſolutam necis ſpiritualis poteſtatem, ſupremo Eccleſiæ Monarchæ tribuere, quàm principi temporali, corporeæ. Nos verò vtrique, vtriuſque mortis abſolutam poteſtatem meritò denegamus, & vt princeps non poteſt

ſubditum abſque cauſa neci adiudicare; ita nec Ecclesiæ Monarcha aliquem ſine cauſa excõmunicationis lethali gladio percutere. Inſtat Vigorius: Plerũq; excommunicatus in terra per Pontificem, in cœlo coram Deo liber eſt, & ab omni vinculo ſolutus. can. de illicita excommunicatione, qu. 3. At is quem Princeps neci tradidit, abſolutè & coram Deo, & coram hominibus eſt mortuus: igitur hic abſoluta in mortem corpoream poteſtate gaudebit, Pontifex verò minimè in mortem ſpiritalem. Verùm, quàm inepta ſit & puerilis hæc argumentandi formula, nemo eſt qui non videat: primũ etiam ſi ex actu ſeu effectu, vt docent Philoſophi, poteſtas phyſica rectè inferatur, malè tamen legitima & ſecundùm rectam rationem, de qua ſola hîc eſt ſermo: alioqui Caïn qui occidit Abel legitimam & iuſtam in fratris vitam, poteſtatem habuiſſet: Vnde quamuis princeps morti adiudicando ſubditũ, realiter in cœlo & in terra eũ de medio tollat; non tamen propterea ſequitur eũ abſolutè legitimã in eius vitam, poteſtatem habere, ſed tantùm phyſicam & tyrannicam, ſi contra ius eum occidi mandauerit. Secundò, eſto excommunicatus ab Eccleſiâ plerunque ſolutus in cœlo ſit, & occiſus à principe abſolutè mortuus; non tamen propterea minor eſt poteſtas Pontificis ad excommunicandum, quàm principis ad occidendum, quia neutrius actus ſi ſit iniuſtus, & illegitimus, à Deo in cælo acceptatur: Immò ſanguis iuſti & innocentis effuſus à principe, adhuc cenſetur viuere, & ad Deum pro vindicta indies clamare: ſicut viuit adhuc ſpiritaliter apud Deum, qui eſt in terrâ iniuſtè à Pontifice excommunicatus: quò fit, vt con-

tra Vigorium ſtatuendum ſit poteſtatem regiam non ita eſſe abſolutam, quin legibus vel ſaltem recta ratione coërceatur, quod etiam de ſupremi Eccleſiæ moderatoris poteſtate volumus intelligi, quæ iure diuino & naturali, vt ſuprà oſtendimus, coërcetur: & quiſquis aliter hac in re de Rege, aliter de ſummo Pontifice ſentit, malè ſentit, & impium veréque tyrannicum dogma inuehit.

Concludamus ergo viſibilem Eccleſiæ Monarchiam à Chriſto inſtitutam monarchiæ ſummorum Principum & Imperatorum æqualem eſſe, tantúmque ratione obiecti à ſe inuicem diſcriminari: quod illa in ſpiritalibus, hæc verò in temporalibus occupetur; illa ſalutem animæ, hæc verò pacem & tranquillitatem ciuium procuret. Quod autem vulgo ex canone refertur, nõ abſolutâ poteſtate regi Eccleſiam, hoc tantùm arguit illius adminiſtrationem iure naturæ diuino à Chriſto inſtituto, & ab Apoſtolis promulgato coërceri, nec non canonibus fidei quos concilia generalia aut particularia cum ſummo Pontifice ſanxerunt: itemque aliquo pacto iure poſitiuo & canonico, quatenus ſi illud nollet obſeruare ſupremus monarcha, grauiſſimè peccaret; quamuis illius dicta factaque contra ius illud poſitiuum vim ſuam ſemper retinerent.

Cuinam ſuprema Eccleſiæ poteſtas conueniat?

QVÆSTIO III.

CVM poteſtas ſuprema Eccleſiæ, nomine Clauium in Euangelio ſignificetur, cui claues datæ ſunt à Chriſto, huic etiam data eſt ſuprema in Eccleſiam poteſtas. Vigorius & Richerius libris hac de re editis, non vni, ſed vnitati; id eſt, non Pontifici, ſed Eccleſiæ datas eſſe pugnaciſſime contendunt. Vbi nequis in limine offendat monuerim inprimis nomen Eccleſiæ ab iis ſumi, quatenus à ſingularibus perſonis abſtrahit, & diſtinguitur, eo modo quo à Philoſophis & Theologis rerum naturæ ſeorſim à ſingularibus abſtractæ conſiderantur; vel clariùs eo modo, quo in ciuilibus ſuprema poteſtas dicitur eſſe in Republica, nullum illius ciuem particulariter deſignando. Sed hæc opinio tanquam erronea & hęretica iuremerito condemnatur. Primùm enim non poteſt aliqua poteſtas dici commiſſa alicui communitati, cuius melior pars non eſt illius capax, ſed in Eccleſia multi ſunt qui poteſtatis Eccleſiaſticæ nullomodo ſunt capaces, vt pueri & mulieres: itemque cerdones, lanij, baiuli, & viliſſimæ quælibet perſonę, quas (quandiu in tali ſtatu manent) præ imperitia & officij vilitate iniuſtũ eſſet & ſtultum ad aliquem poteſtatis Eccleſiaſticæ gradum euehere, aut ab ipſis poteſtatem illam in Pontificem, Epiſcopos & Sacerdotes deriuari. Secundò, ſi poteſtas Eccleſiaſtica Eccleſiæ communitati competeret, vel iure diuino, vel naturali, vel humano illi conueniret: atqui nullo tali iure conuenit; non humano & natu-

Non Eccleſiæ, ſed Petro & Apoſtolis claues ſunt à Chriſto collatæ.

rali,ſiquidem poteſtas Eccleſiaſtica vtriuſq; iuris limites longè ſuperat, non ſolùm ex parte finis qui eſt ſupernaturalis, ſed etiam ratione effectus ; hic enim eſt peccatorũ remiſſio, collatio gratiæ, animarũ ab igne purgatorio liberatio, & reliqua id genus, quæ ſatis cõſtat captum facultatemque naturalem & humanam multis partibus excedere. Quod autem ei iure diuino non conueniat, patet: Chriſtus enim illius iuris author, non Eccleſiæ communitatem, ſed Apoſtolos, & præſertim Petrum ad apicem illius poteſtatis euexit. ad Colocen. 2. *Ipſe dedit Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Tertiò, confert Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 3. Eccleſiam cum familia. Cui, inquit, qui præeſſe neſcit, Eccleſiæ Dei præeſſe nequit. At in familia ſiue cõmunitate domeſtica, poteſtas & authoritas regendi non eſt penes familiam, ſed penes patrem, & poſt eum penes œconomum; ita & in Eccleſia poteſtas non penes communitatẽ, ſed penes Chriſtum tanquã patrem, & Prælatum tãquam diſpenſatorem, reſidet. Quis enim dicat cum Epiſcopus vel parœchus peccata remittit, eſſe Eccleſię communitatem, ſeu fideles omnes qui peccata remittant? Quartò prælati, & præſertim ſummus Pontifex eſſent vicarij Eccleſiæ, non Chriſti: niſi fortè mediatè, cùm poteſtas clauium iuxta Richerium primariò, eſſentialiter, & principaliter in Eccleſiæ communitate ſita ſit, & ab ea in alios deriuetur. At hoc (vt infrà declarabimus) aduerſatur antiquorum ſententiæ & placitis qui ſemper ſummum Pontificem Chriſti Vicarium nuncuparunt, & agnouerunt: itemque ora-

tioni quam Ecclesia in præfatione Missæ Apostolorum canit. *Vt ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse Pastores.*

Quartò, potestas Ecclesiastica in veteri lege penes totam communitatem Israëliticam non residebat, sed tantùm penes tribum Leuiticam, Deuteron. 10. *Ex eo tempore iugiter separauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine eius, vsque ad præsentem diem: quamobrem non habuit Leui partem, nec possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est.* Atqui potestas Ecclesiastica nouæ legis multò est sublimior & excellentior, tantúmque eam dignitate vincit quantùm lux vmbram, & veritas figuram, non igitur Ecclesiæ communitati, sed certis personis vt Prælatis & Pontifici eam Christus communicauit. Cæterùm quia Prælati dupliciter spectari possunt, vel vt sunt diffusi per orbem, quo modo certum est supremam clauium potestatem iis non conuenire, & si enim in sua diœcesi leges condant, sententias ferant, excommunicationes decernant, non tamen supremo & monarchico modo; licet enim ab iis ad summum Pontificem prouocare, contrarium autem, authore Gersonio, est Marsilianum dogma: vel spectantur prout in vnum coëunt, & hoc rursus dupliciter; nam vel congregantur in concilio generali, & hoc sensu vltima parte lib. de clauibus respectu cōcilij, disserere statuimus: vel in concilio particulari ex optimatibus, nēpe Episcopis coacto, quo sensu hîc quæstio instituitur, an cōmunitati claues ita sint datæ, vt supremo Ecclesiæ Monarchæ aliter quàm huic aristocratico cōcilio

non coueniant. Vigorius & Richerius affirmant nihil posse pontificem absque optimatũ concilio, siue pro cõdemnatione hæreseon, vt apparet in hæresi Macedonij, quæ à Liberio in concilio Romano; Petri Antiocheni, quæ à Felice III°; Pauli Pirrhi Sergij, quæ ab Agatone Iconoclasta, tum à Gregorio III° Focij & Gregorij Siracusani à Nicolao I°, & Adriano; Berengarij à Leone IX. in conciliis particularibus ex Episcopis comprouincialibus coactis dãnatæ sunt, siue pro Ecclesiæ moribus & ritibus instituendis, aut reformãdis, vt pro trãslatione Sabbathi in diem Dominicum, pro Paschate celebrando Dominica prima, post decimam quartam Lunam ab æquinoctio Verno, quod à Victore in concilio particulari Romano est sancitum: ideoque non vni, sed vnitati; non Pontifici, sed concilio Aristocratico, datæ sunt Ecclesiæ claues. Verùm contraria sententia non solum longè præstat, sed meo iudicio absolutè tenenda est; nempe vni ac summo soli Pontifici, non autem aggregationi ex ipso, & optimatibus supremas Ecclesiæ claues esse à Christo concessas: quod facilè demonstrabo, si priùs Ecclesiæ statum Christi & Apostolorum tempore, tum verò post ipsos Apostolos, & qualis nũc in Ecclesia perseuerat, distinguamus. Constat enim in primis Christum non collectiuè, sed seorsim Apostolis, & quidem personæ D. Petri, tanquam omnium supremæ claues contulisse, & id quidem patet ex Euangelij locis duobus illustrissimis, in quorum vno Christus claues Petro promittit, in altero vero re ipsa confert. Matthæi 16. *Beatus es Simon Bariona, &c. & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Eccle-*

ſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris, ſolutum. Vbi duo extant metaphorica nomina, Petra & clauis, quæ ſupremam in perſona Petri poteſtatem aptiſſimè ſignificant: quod enim in ædificio eſt petra ſeu fundamentum, hoc in corpore eſt caput, in ciuitate gubernator, Rex in regno, pater familias in domo, & nauta in naui: Sicut enim petra fundamentali totum nititur ædificium; ſic ciuitas, regnum, domus, & nauis gubernatore, Rege, patre, & nauclero ſtat, nititurq;. Deinde is cui ciuitatis claues tribuuntur Domin⁹ & ſuperior vel inſtituitur, vel declaratur; vt ſcilicet quos ingreſſu dignos repererit, admittat: alios verò excludat. Quod autẽ de perſona Petri, verba hæc ſint intelligenda, clarius eſt quàm vt probari debeat; tot enim iudiciis & circonſtantiis perſonã hanc Chriſtus delineauit, vt pluribus & melioribus notarij ſuis codidicillis, publiciſque inſtrumentis aliquem deſcribere non ſoleant. Primùm enim Petrus nomine proprio Simonis exprimitur: Deinde ſubditur nomen Patris, nempe Iona, vel Ioanna. & poſteà additur, Tu es Petrus, tandemque ſubiungitur, Super hanc Petram: pronomen autem hanc cùm ad proximum & immediatum referatur, ſatis arguit Chriſtum de Petro ipſo, de quo proximè egerat, loqui. Proximè enim dixerat Chriſtus, Tu es Petrus, ſeu Petra; hæc enim duo idem ſunt: idemq; eſt, ac ſi dixiſſet Syriacè, qua lingua Chriſtum loquutum eſſe conſtat, Tu es Cepha, & ſuper hoc Cepha: vel Latinè, Tu es Petra, & ſuper hanc Petram: Maluit tamen Latinus interpres, nomen Petra fœmi-

fœmininũ in masculinum mutare, quod virili personæ, nempè D. Petro aptius conueniret: quæ licet sint valde perspicua, instat tamen Vigorius, verba Christi non de persona Petri singulariter, sed vt Ecclesiam repræsentabat, intelligenda esse, ideoque cũ Petro duntaxat, tanquam signo & figuræ Ecclesiæ, Christus claues concesserit; apertè, inquit, colligitur eas priùs, essentialiùs & principaliùs Ecclesiæ, quàm Petro concessisse, quod leuissimis aliquot coniecturis persuadere conatur: tum quia quando Dominus *hominem formauit ex limo terræ, inspirauit in faciem eius, & factus est homo in animam viuentem*, licèt dictum sit inspirasse in faciẽ: nihilominus totum corpus viuificum fuit, & anima totum corpus occupauit. Ita cum dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, hoc toti Ecclesiæ conuenit; tum quia in fine capitis in quo dixerat, *Tu es Petrus*, subiungitur: *Et præcepit discipulis ne cui dicerent, quia ipse esset Christus*: tum quia non solùm Petrum, sed Apostolos omnes interrogauit, dicens: Vos autem quem me esse dicitis? igitur non suo nomine, sed Apostolorum omnium, qui tunc Ecclesiam componebant, Petrus respondit; ac proinde *cùm in mercedem responsionis claues acceperit, eas non suo quidem, sed Apostolorum omnium, seu totius Ecclesiæ nomine accepit.* Tertiò, non minùs est dictum Petro, *Dabo tibi claues Regni cœlorum, quodcumque solueris*: quàm, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.* At potestas soluẽdi non minùs reliquis Apostolis, quàm Petro conuenit: Ergo & verba hæc, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, de Apostolis pariter intelligentur. Vnde cap. Quod-

Cap. 6. pag. 56.

Gen. 2.

Cap. 6. num. 1.

cumque 24. quæst. 1. quod est Augustini, expressè definitur non esse dicta soli Petro, sed Ecclesiæ: *Si hoc* (inquit Augustinus) *Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia, id est, non soluit, nec ligat: at Ecclesia id facit; cùm enim,* inquit, *excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus.* 24. quæst. 1. can. Loquitur: *Non vnus, sed vnitas, nempe Ecclesia, claues accepit, nec vnicus est sacerdos, sed vnicum sacerdotium in multos diuisum.* Vnde Hieron. lib. 1. aduerſ. Iouinianum: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* & quæst. 8. ad Hedibiam: *Apostoli Petræ vocabulum acceperunt.* cui consentit Origen. tract. 1. in Matth. *Episcopi vtũtur eo dicto, sicut Petrus, & claues à Seruatore receperunt.* Basilius de vita solit. cap. 23. *Hoc ab ipso Christo docemur, qui Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se cõstituit: Petre,* inquit, *amas me plus his? pasce oues meas, & consequenter omnibus pastoribus eandem potestatem tribuit, cuius signum est quod omnes ex æquo ligant & absoluunt.* Glossa ordinaria, *quæ in schola,* inquit Vigorius, *authoritatiuè allegatur, in 16. Matthæi: Habẽt quidem eandem potestatẽ Apostoli, quibus post resurrectionem ait Christus, Accipite Spiritum Sanctũ, quorum remiseritis peccata, remittentur; & quorum retinueritis, erunt retenta; habet Ecclesia in Episcopis & presbyteris, & ideò illas specialiter accipit, vt omnes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei & societate eius seipsum separauerit, nec à peccatis solui, nec in cœlum poterit ingredi.* Gratianus 24. quæst. 1. §. sin autem: *Cum omnibus discipulis parem ligandi atque soluendi potestatem Dominus daret, Petro pro*

omnibus & præ omnibus claues regni cœlorum ſe daturũ promiſit, his teſtimoniis ſubiungit Vigorius: *Nomen Petræ ſeu fundamenti ad omnes Apoſtolos pertinere. Apoc.21. Et murus ciuitatis (per quam intelligitur Eccleſia) habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni*, Gloſſa: *Fundamenta acc ipimus Apoſtolos in quibus fundatur tota munitio Eccleſiæ*. Pſal.86 *Fundamenta eius in montibus ſanctis*. & Paulus ad Eph.2. *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorũ, & domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorũ & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide* CHRISTO IESV. *& hic numerus duodenarius myſticus eſt ad Eccleſiã condendam: quippe cum tribus duodecim veterem Eccleſiam conſtituerent, duodecim lapides rationale ſacerdotis exornarent, & altare conſtruerent: in fine ſæculi duodecim aderunt iudicantes duodecim tribus Iſraël; ex quarum qualibet duodecim millia ſignati à D. Ioanne viſi ſunt*. Item *nemo ſuper Petro Eccleſiam fundatã dicet, cùm Apoſtoli æquè ac Petrus ad prædicandum miſſi ſint: & ædificatã ſuper Chriſtum Eccleſiam teſtetur Apoſtolus, qui vera, vnica, & ſola eſſentialiter eſt Petra; D. verò Petrus cum cæteris Apoſtolis petræ tãtùm ſunt ſecundariæ & miniſteriales: miniſtri enim eſtis eius cui credidiſtis, & vnuſquiſque ſecundùm quod Dominus dedit*. Hæc ſunt quibus Vigorius claues à Chriſto collatas eſſe, non perſonæ Petri ſeorſim à cæteris Apoſtolis ſumptæ, ſed coniunctim, ſeu nomine Eccleſiæ, quã ipſe figurabat & repræſentabat, probare conatur. Verùm, inanes ſunt eius conatus; ſi enim verba Chriſti Matthæi 16. de ſola perſona Petri non intelligantur, magna & graui homonymia laborabũt. Quędã enim ſunt quæ Apoſtolis omnibus cõuenire nequeunt, vt,

Beatus es Simon Bariona, nullus enim eorum vocabatur Simon, nullus Ionam seu Ioannam pro patre secundùm carnem agnoscebat: non omnes denique erant beati, beatitudine viæ quæ in fide & cordis munditia sita est, *Beati qui non viderunt & crediderunt*, *& beati mundo corde*. Iudas autem nec credebat, nec mundus erat. Ioan. 6. Sunt quidem ex vobis qui non credũt, & vos mundi estis, sed non omnes, quæ de proditore Iuda intelligi nemo dubitat. Deinde verba hæc, *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, *sed pater meus*, satis arguunt Christum priuatam Petri personã particulariter fuisse allocutum; non enim constat reuelationem hanc reliquis Apostolis factam, cùm nullum huius vestigium extet in Euangelio. Tertiò, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, quis enim Apostolorum hoc nomine est appellatus? Certè pronomen hoc, demonstratiuum, Tu, personam Petri euidenter significat, non pluribus ergo indiciis à notariis personę possunt delineari, quàm quibus persona Petri à Christo fuit delineata. Sed hoc ex patribus facilè est euincere. Primumque ex his versibus Ambrosij cantari in Ecclesia solitis, vt 1. Retractat. cap. 21. testis est Augustinus de gallo gallinaceo:

Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit.

Atqui hic solus Petrus intelligitur; nullus enim cæterorum Apostolorum pro diluẽda culpa ad galli cantũ amarè fleuisse legitur. Athanasius epist. ad Felicem Papam, *Tu es Petrus* (quippe cui in cathedra successerat) *& super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt confirmatæ*. At Episcopi per Apostolos, quorum sunt successores, figurantur: Ergo Apostoli

ſuper Chriſti fundamento firmati ſunt & ædificati; non quidem vt primario, ſed ſecundario & miniſteriali. Epiphan. in Anchorato: *Dominus cõſtituit primum Apoſtolorum Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt*: Chryſoſtomus Hom. 55. in Matthæum, *Dominus dixit, Tu es Petrus, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam*, multoque apertius Hom. 44. in 6. Iſayæ, *Quid autem Petrus baſis Eccleſiæ, ille vehemens amator Chriſti, ille ſermone indoctus & Rhetorum Victor, ille imperitus, qui tamen Philoſophis obturauit os; ille qui Græcanicam ſapientiam non aliter quàm aranearum telam diſſoluit, ille qui ſagenam miſit in mare, & piſcauit orbem.* Attendat quæſo Vigorius, ſi hæc perſonæ Petri, vt à ceteris Apoſtolis diſtinguitur, non conueniant? Pſellus in hæc verba 5. Cantic. *Crura eius columnæ marmoreæ. Per crura*, inquit, *Petrum intellige Apoſtolorum principem, ſuper quem Dominus in Euangelio ſe Eccleſiam ædificaturum promiſit.* Gregorius lib. 6. Epiſt. Epiſt. 37. ad Eulogium, *Quis neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam?* Leo Serm. 2. de Aſſumptione ſui ad Pontificatum: *Manet ergo diſpoſitio veritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeuerans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit; ſic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum Petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum ianitor conſtituitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum nomina noſceremus.* Maximus ſermone de Sanctis Petro & Paulo, *Per Chriſtum Petrus factus eſt Petra, dicente ei Domino, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram.* Oſtendat precor aduerſarius, ſi vnquam à Patribus cuiquã Apoſtolorum tot elogia ex

Petræ nuncupatione tributa ſint:Igitur Petro ſingulariter nomen hoc fundamenti ſeu Petræ conuenit; ſed ratio illud idem manifeſtè probat. nam ſi per Petram Eccleſia intelligeretur, à turpi & ridicula nugatione Chriſtus excuſari nõn poſſet:cùm enim dixit & *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, idem eſſet ac Eccleſiam ædificabo ſuper eccleſiam, quod omninò nugatorium eſt & ridiculum.idem enim in ſeipſo fũdaretur, & idem ſupra ſeipſum coactiuam poteſtatẽ haberet. Vnde ad primum Vigorij argumentum reſpondeo,eſſe illud à ſimili,quod omnino plumbeũ eſt & populare,& ſecundũ Ariſtotelem in Topicis,nullã aut certè perexiguam vim habet. illuſtrat quidẽ rem quam intẽdimus,ſed eam minimè demõſtrat.Deinde ex ſenſu literali,quem ſolũ fidem facere docẽt Theologi,cõtrarium prorſus colligitur.literaliter enim hîc Moſes loquitur de flatu humano quẽ per nares emittimus,quique certiſſimus eſt vitæ index ; verbum enĩ Inſpirauit,quod Hebr.Napach,inſufflare, flatumque emittere ſignificat; in faciem veró,id eſt,in nares.vox enim Hebræa(aph)naſum,ſeu nares ſonat,& ſi quãdo hæc vox ad faciem ſignificandam aſſumatur, id tantũ fit propter nares quæ apparent in facie,ex quo Vigorium telo ſuo referire eſt facile.Si enim flatus inſpiratus à Deo in faciem, in ſolis naribus & organis reſpirationis, non in reliquo corpore humano reſideat:ita ſuprema clauium poteſtas Eccleſiæ inſpirata ſeu conceſſa, in ſolo Petro, non in reliquo Eccleſiæ corpore reſidebit. Verùm quia per ſpiraculum vitæ inſpiratũ in faciem,animæ creatio communiter à patribus intelligitur, aliter argumẽto placet ſatisfacere, animam

ſcil. in toto corpore realiter exiſtere, ſed in facie, nēpe in capite, ſiue parte anteriori ac pulchriori capitis, cui inſpirata dicitur, excellētiori modo relucere. ex capite enim anima motum & neruos omnes reliquis mēbris diſtribuit, & in ipſo capite tāquam in regia domo, ſacraq; Palladis arce, facultates ἡγεμονικαὶ ſiue principes, imaginatrix, memoratrix, rationatrix demorātur, ſenſuumque exteriorum ornatiſſima inſtrumenta, ὲ αἰσθητήρια ſpectantur & exſplendeſcunt: quibus interim corpus regitur vniuerſum: ita quamuis clauium poteſtas Apoſtolis omnibus Eccleſiam componentibus à Chriſto data ſit, multo tamen eminētiùs & perfectius Petro conceſſa eſt, quippe qui eam tanquā paſtor ordinarius acceperit, Apoſtoli vero tanquam extraordinarij, & quibus decedentibus ad eorum ſucceſſores nullo modo erat deriuanda, vt D. Petri poteſtas, quæ poſt ipſius obitum ſuis ſucceſſoribus tribui & conuenire debebat; ita vt tam pro ſe, quàm pro ſucceſſoribus ſupremam hanc poteſtatem acceperit. Secūdum argumentum inſcitiam & impudentiā Vigorij notat & arguit. Etſi enim in fine capitis 16. Matthæi, vbi de collatione clauium mētio facta eſt, Chriſtus Apoſtolis omnibus, ne cui dicerent ſe eſſe Chriſtū, præceperit; nemo tamen ſi tantillum ſapiat, ex eo legitimè inferet illis omnibus datas eſſe claues. tantùm enim ex his verbis infertur, omnes Apoſtolos Chriſtum dominum Meſſiam in lege promiſſum agnouiſſe. quod autem interrogatis omnibus Petrus ſolus reſpōderit, hoc eius primatum manifeſtè arguit; cur enim ipſe potius quàm alius è turba reſpondiſſet, niſi eum iam inter Apoſtolos, propter promiſſionem primatus,

tanquam ſuperiorem alij agnouiſſent, præſertim cùm Chriſtus frequẽtiùs & familiariùs cum eo quàm cum reliquis loqueretur. Ad tertiũ, omnes Apoſtoli in poteſtate ordinis, & in ratione Apoſtolatus dicuntur æquales: Singuli enim poteſtatem Euangelium vbique terrarum prædicandi, ligandi, & ſoluendi, & omnium quæ pro mundi conuerſione moraliter erant neceſſaria, à Chriſto non à Petro acceperũt; in ratione tamen officij paſtoralis inæquales fuerunt: tum quia Petrus à Chriſto paſtor vniuerſalis eſt inſtitutus, vt expreſſe habet Chyſoſtomus explicando verba hæc: *Paſce oues meas*, id eſt, *eſto præpoſitus loco mei, & primus in medio fratrum*. & in 1um Act. *vbi ſermo eſt de electione Mathiæ, exclamat, Quam cognoſcit Petrus gregem ſuum, quam in hoc choro Princeps eſt*: tũ quia vt præclarè ait D. Leo *epiſt. 84 inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt vt cæteris præemineret*: quò fit vt vniuerſalis poteſtas in Petro tamquã in vero & legitimo paſtore ordinariè reſederit, in ceteris verò Apoſtolis tantùm extraordinariè & per accidens, atque propter neceſſitatem: Quia ſcilicet in diſperſionem gentium erant abituri, & longis locorum interuallis à Petro ſeparandi, vt pro Eccleſiarum quas ipſi fundabant neceſſitatibus vix ac ne vix quidem eum poſſent conuenire. Ad Auguſtinum, cuius teſtimonium falsò iactat inuictiſſimum Vigorius, cum expreſſè ait Petrum in perſona Eccleſię claues accepiſſe. Reſpondeo nolle Auguſtinum D. Petrum tanquam Eccleſiæ vicarium & legatũ claues accepiſſe inſtar proregis, cui principis nomine claues ciuitatis nonnunquam dantur,

tur, ſed tanquam principem & moderatorem totius Eccleſiæ. Quod autē hæc fuerit mens Auguſtini, manifeſtè patet ex aliis locis; vbicūque enim dicit Petrū perſonam Eccleſiæ geſſiſſe, hoc ſemper aſſerit ratione primatus, vt tract. vlt. in Ioan. *Cuius Eccleſiæ* (inquit) *Petrus Apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam.* & in Pſal. 108. *Cuius* (Eccleſiæ) *ille agnoſcitur geſſiſſe perſonam propter primatum, quem in diſcipulis habuit.* vnde ad can. quodcumque, manifeſta eſt reſponſio, Petrum nempe accipiendo claues, vt qui ſupremus illius paſtor à Chriſto conſtitueretur, omnes Eccleſiæ præſules eaſdē habituros ſignificaſſe. neque enī ſolus ipſe ita eas accepit à Chriſto quaſi ſolus ipſe ligare & ſoluere deberet, cùm hoc reliquis Apoſtolis vtique conueniret: ſed quia ab illo in reliquos Eccleſiæ paſtores tanquam à fonte, capite & radice erant deriuandæ. Quo ſenſu vera eſt Auguſtini concluſio, ſi hoc, nempe *Quæcumque ſolueris & ligaueris, Petro tātùm dictum eſt, non hoc facit Eccleſia*, id eſt, nō faciunt reliqui Eccleſiæ miniſtri. Si hoc autem in Eccleſia fit quando claues accepit Petrus, Eccleſiam totam, i. omnes illius præſules ſignificauit. Vbi obiter nota, Vigorium locum hunc nequiter ac perfidiosè deprauaſſe. Sic enim legit (At Eccleſia id facit) vt Eccleſiam ipſam ligare & ſoluere perſuadeat, quo nihil abſurdius. Neque enim Eccleſiæ cōmunitas ligat aut ſoluit. vnde ita dixit Auguſt. Si autem hoc in Eccleſia fit, quo modo non Eccleſiam ipſam, ſed miniſtros & paſtores in ea ligare & ſoluere apertè ſignificauit? Sed hoc familiare eſt Vigorio, vt falſimoniis, mendaciis, impoſturis vbique ſcateat, omniaque deprauet, quod

nimis quàm sæpe studiosus lector offēdet in progres-su disputationis; & ne longiùs abeam canonē Loqui-tur 24.quæst.1.qui est Cypriani,quem post Augustin. mox profert, turpissimè adulterat, mutilatque, cùm dicit,hæc verba, super vnum ædificat Ecclesiam, quæ primatum Petri maximè arguunt, in codicibus anti-quis non extare, sed à neotericis canonum collecto-ribus, in Pontificum fauorem esse addita, cùm tamen in canonibus anno 1507. excusis expresse contineantur. Deberet potius conqueri Vigorius quod in ca-none, prout à Gratiano refertur, expuncta sint verba hæc Cypriani, *Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & cathedra vna monstretur*, quæ cùm apertè fa-ueant Pontifici, malitiosè voluit reticere; sed vt vt sit de hac canonis lectione. Respōdeo primo, nunquam nequidem obiter dixisse Cyprianum Ecclesiam esse id quod claues habet, & quamuis dixerit Apostolos parem cum Petro potestatem sortitos esse, propter hęc verba: *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos*; nihilominus propterea non sequitur Ecclesiæ com-munitati claues competere: Tum quia septuaginta duo Discipuli ex quibus Ecclesia non minùs quàm ex Apostolis tunc constabat, eas cum Petro accepis-sent, quod tamen nemo dixerit; cùm eo tempore quo Christus in Apostolos insufflauit, potestatemq; contulit, ipsi discipuli non adessent, & ab Apostolis postea consecrati missique ad euangelizandum fue-rint, vt ex Apostolorum actis liquidò videre est; tum quia Apostoli claues receperunt, non vt erant Eccle-sia ipsa, sed potius vt eius Pastores & Prælati consti-tuebantur: neque enim illis coniunctim, aut colle-

Respondetur ad can. *Loquitur*, & mens Cypriani aperitur.

ctiuè datæ ſunt claues, ſed ſeorſim & diſtributiuè, quatenus nempe in diſperſionem gentium erant delegandi, à ſe inuicem prorſus ſeparandi, & quatenus claues ipſas inconſultis aliis ad vſum reducere poterant, quas ſi coniunctim tantùm accepiſſent, nunquã niſi cõiunctim eas ſaltẽ in rebus grauiſſimi põderis ad actũ reduxiſſent, quod tamen ex Act. Apoſt. falſi apertè redarguitur. Igitur ex mente Cypr. ſicut & Auguſt[i] non Eccleſia ipſa, ſed miniſtri eius, nẽpe Apoſt[i] claues receperunt: quæ diſtinctio magni, ad rei de qua agitur explicationem, momenti eſt. Sicut enim aliud eſt Rempublicam poteſtatem habere, & aliud principes collectiuè habere, & aliud diſtributiuè: Ita certè aliud eſt Eccleſiam clauium poteſtate donatam eſſe, & aliud eius Rectores & Paſtores, itemque aliud Paſtores vt collectiuè ſumuntur, claues habere, & aliud ſeorſim & diſtributiuè. Vnum dicit Cyprianus, alterum verò minimè. Quippe cùm Eccleſiæ poteſtatem clauium nunquam tribuat, quam tamen miniſtris eius, etſi diſtributiuè ſumptis apertiſſimè tribuit. Vel breuiùs reſpondetur, velle Cyprianum Eccleſiæ claues collatas eſſe eo modo quo Sacramenta, immò & Chriſtus, Eccleſiæ ſunt collata, nempe ad vtilitatem illius: vt enim quod in vtilitatem regni datur, toti regno conferri dicitur; ita quod Petro & Apoſtolis, tanquam Eccleſiæ moderatoribus datum eſt, toti Eccleſiæ collatum creditur, ita tamen ut ipſi & præſertim Petrus re ipſa tali dono ſoli gaudeant, non autem Eccleſia. Dices Cyprianum toto canone Loquitur, nihil aliud docere quàm vnitatem fraternitatemque Eccleſiæ non modò vtilem, ſed etiam prorſus neceſſa-

riam esse. Hæc autem vnitas multò clarius relucet, cùm vnitati potius quàm vni, seu cum Apostolis coniunctim potius, quàm seorsim claues à Christo collatæ dicuntur. Igitur istud maxime voluit Cyprianus. Respondeo Cyprianum ex eo vnitatis, & fraternitatis in Ecclesia necessitatem, & congruitatem solùm euincere, quòd etsi Apostoli pari honoris, & potestatis consortio præditi essent, exordium tamen ab vnitate proficiscatur, & primatus vni nempe Petro detur, *vt Ecclesia* (inquit) *vna monstretur*, & quod illius ea mens fuerit, constat ex insignibus illis similitudinibus, multitudinis radiorum, qui vnũ sunt vnitate Solis à quo manant, riuulorum ratione fontis à quo deriuantur, & ramorum arboris, ratione radicis à quâ vnâ omnes pullulant: & sic est de Ecclesiæ statu in qua licèt plures ministri fuerint à Christo constituti, exordium tamen ab vnitate ipsius Petri promanat. Vnde tantùm abest, vt Ecclesiæ vnitati collatas claues statuat, quinimmò eas vnitati Petri ratione primatus supra cęteros accepti, collatas nõ obscurè insinuet: Instabis Cyprianũ prędicto canone docere, *Sacerdotiũ vnũ esse, cuius pars à singulis in solidum tenetur.* Respondeo per Sacerdotium, vel intelligi potestatem ordinis Sacerdotalis, quæ in Episcopis, & Papa specie vna est & eadem; vel potestatem ligandi & soluendi, quæ dicitur iurisdictionis, quæque pariter in Episcopis & Papa specie vna est. Potest enim quilibet Episcopus tam in foro interno quam externo ligare & soluere, quamuis excommunicationes Papales latiùs & vniuersaliùs propter vniuersalem eius potestatem pateant, omnesque fideles obligent. Episcopales verò territorij sui

finibus concluduntur; attamen excommunicatus ab Episcopo æquè suffragiis Ecclesiæ priuatur, ac quem Papa censura sua percellit: & hoc sensu Sacerdotium vnum esse in Ecclesia meritò dicit Cyprianus. *Cuius*, vt postea subdit, *à singulis Episcopis in solidum pars tenetur*, quia Episcopos suarum Ecclesiarum titulares, & solidarios detentores, non ad nutum vicarios esse satis perspectum est: nihilominus si Sacerdotij nomine potestas Pastoris vniuersalis veniat; dicendum est ideo vnicum in Ecclesia dici, quia olim in vno Petro substitit, & nunc in solo summo Pontifice subsistit, in multos tamen esse diuisum non pro vt summum est, quia sic status Ecclesię Monarchicus destrueretur: plures enim essent qui summam in Ecclesia potestatem haberent; sed particulariter & in gradu inferiori quod quidem ad mentem Cypriani est accommodatissimum, cùm nihil aliud (si attentè eius verba examinentur) quàm omnes Episcopos partem sacerdotalis muneris, quod in vno Pontifice in eminentiori gradu residet, sibi vendicare. Ex quibus ad Hieronymum patet respõsio: Tribus enim modis Apostoli omnes Ecclesiæ fundamenta fuerunt, absque vlla tamen Petri & Pontificiæ dignitatis imminutione: vno, quia ipsi primi Ecclesias fundarunt; neque enim Petrus totum terrarum orbem ad fidẽ conuertit: sed alias regiones Petrus, alias Iacobus, alias verò alij Apostoli adduxerunt: quo sensu Apostoli ex æquo cum Petro Ecclesię sunt fundamẽta. quod Apoc. 21. ne eandem solutionem sæpiùs repetamus, à Ioãne significatur: altero modo, quia scilicet tota illis reuelata est Catholica fides. neque enim nunc (vt inquit

Vincentius Lyrin. libel. aduers. hæreses) noui articuli reuelantur, sed ex iam reuelatis per Ecclesiam eruuntur. & hoc etiam secũdo sensu Apostoli ex æquo sunt fundamenta, quia non plures Petro quàm reliquis Apostolis sunt reuelati: Tertio ratione gubernationis; siquidem omnes capita, rectores & pastores Vniuersę Ecclesiæ fuerũt, sed tamẽ nõ eodẽ modo quo Petrus, illi enim summam & amplissimam potestatem vt legati & Apostoli sortiti sunt: at vero Petrus tanquam pastor ordinarius eam habuit. Deinde ita plenitudine potestatis à Christo sunt donati, vt tamen Petrus esset eorum caput, & ab eo dependerent: non è conuerso, vt expresse docet D. Hieron. his verbis *Vnus propterea inter duodecim eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Quamobrem quãdo ex æquo Apostolos fundamenta fuisse, & ex æquo Petræ vocabulum accepisse docet, iuxta duos priores sensus loquitur, nõ autem iuxta tertium, in ratione scilicet potestatis supremæ ordinariæ. Eodem modo ad Basilium & Origenem respondeo, quippe cum duo illi patres de potestate ligandi & soluendi, quam in Apostolis & prælatis omnibus agnoscimus æqualem, agant; sed in Petro præter hanc ligandi & soluẽdi potestatem, pastoralis potestas, eáque vniuersalis prælucet, per quam cæteris honoris & authoritatis prærogatiuâ superior est. Qua in re Richerius & Vigorius grauiter allucinãtur, cùm non aliam potestatem in Petro, quàm ligandi & soluendi cõmemorent: quæ cum omnibus prælatis æqualiter conueniat; (ex æquo enim omnes, vt dicit Basilius) ligant & soluunt: sequeretur statum Ecclesiæ non esse monarchicum, sed penitus aristocra-

ticum. Ad Gratianum & Glossam quicquid sit de eius authoritate, similis est responsio. nihil enim aliud dicunt quàm Apostolos, & consequenter prælatos eandem cum Petro potestatem cùm ordinis, tum iurisdictionis ad ligãdum & soluendum habere: quod cùm nemo inficietur, non debebat Vigorius fingere sibi aduersarios in quos aciem calami tãto verborum apparatu distringeret. Quintum & sextum nullius sunt momenti; iam enim ostendimus quo sensu Apostoli fundamenta non minùs quàm Petrus legitimè dicãtur. Ad septimum, propositio hæc, Ecclesia supra Petrum fundatur, duplicem habet sensum: vel enim de primario & independente fundamento intelligitur, & sic falsa est, solus enim Christus est primarium & independens Ecclesiæ fundamentum, tantúmque abest, vt Petrus primarium sit Ecclesiæ fundamentum, quinimmò ipsemet primario, hoc fundamento nempe Christo innitatur; vel de vicario & secundariò, propter pastoralem authoritatem, qua cæteris à Christo est prælatus, & propter quam totius Ecclesiæ cura ordinaria illi est commissa; & hoc modo supra Petrum non immeritò dicitur Ecclesia fundata, non minùs quàm regnum super Regem & supremum monarcham, qui propterea communiter βασιλεύς appellatur. Vel 3° eadem propositio de visibili fundamento intelligitur, quo sensu post Ascensionem Christi Ecclesia Petro nitebatur, & nunc adhuc Pontifice Romano, cùm nullum aliud esset, sicut neque nunc est aliud visibile caput, præter Petrum & Romanum pontificem. Vrget Vigorius illud Ambrosij, seu verius Maximi, quo Petrus & Paulus æquales inter se dicun-

tur, sed facilè respōdeo eos dici æquales tum in Apostolatu, tum in fidei feruore, tum denique in passione, quia eodem die & loco, & sub eodem tyranno ac persecutore martyrium subierunt, non autem in ratione potestatis, de qua nulla in textu fit mentio. Beati (in-
" quit) Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & speciali quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis qui æquales sunt
" passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos si-
" mul videmus ad Martyrij gloriam peruenisse. Non
" enim sine causa factum putamus, quòd vna die passi
" sunt, vno loco, sub vno perfecutore, vna die, vt ad
" Christum pariter peruenirent, in vno loco ne alteri
" Roma deesset: sub vno persecutore, vt æqualis cru-
" delitas vtrosque constringeret: Dies ergo pro merito,
" locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute.

Maximus Homilia, De SS. Petro & Paulo.

Petrum potestatem supremam à Christo accepisse, his verbis, Pasce oues meas.

QVÆSTIO IIII.

SECVNDVS locus quo primatus Petri suprà Ecclesiam euidenter demonstratur, est Ioan. 21. *Pasce oues meas, Pasce agnos meos,* quibus claues quas antea Matth. 16. illi Christus promiserat, ei realiter fuerunt exhibitæ: vbi cōtra Vigorium eiusque magistrum notant Patres, verba hæc, non alteri quàm Petro dicta esse; quippe qui solus est à Christo interrogatus, & quidem ter vt trinæ negationi respōderet eius trina cōfessio, & vt ter oues, agnosque pascendos committens omne tempus complecteretur,

hodie

hodie scilicet, cras, & semper, itaut nullum de cetero tempus esset, quo Ecclesia regimine Petri priuaretur; & quamuis reliquis Apostolis & Episcopis aliquo pacto possint verba hæc accommodari, quippe qui vnà cum Petro in partem sollicitudinis vocantur, Petrique legem ac formam in grege pascendo debent imitari: attamen absolutè, vt ex contextu apertissimè liquet, soli Petro conueniunt. Ambros. in cap. vlt. Lucę: *Ideò quia solus profitetur, omnibus antefertur.* Leo serm. 3. de assumptione sua ad pontificatum: *Ideò Petro singulariter creditur regimen ouium, quia Petri forma cunctis Ecclesiæ Rectoribus proponitur.* S. Chrysosto. *Omissis aliis Petrum dumtaxat affatur, eique fratrum curam committit.* Instat Vigorius Christum alibi dixisse, *quod vni dico, omnibus dico*: ideóque hæc verba *Pasce oues meas*, ceteris Apostolis non minùs quàm Petro dicta esse. Respondetur primò, nullibi extare in Euangelio propositionem allatam. habetur quidem Marci 8. *quod vobis dico, omnibus dico*, sed nusquam quod vni: & quamuis alicubi extaret, non tamen inde sequeretur: *Pasce oues meas*, omnibus Apostolis dicta esse: tum quia à particulari, iuxta receptam Dialecticorum regulam vniuersale non infertur; tum quia, vt inquit Caietanus, illud de doctrina fidei, non autem eo Pastorali regimine intelligendum esset: quod vni, nempe pro instructione doctrinæ fidei dico, omnibus dico; hæc enim instructio omnibus Apostolis ex officio incũbebat, non autem supremum Pastorale ouium regimen, nisi, vt diximus extraordinariè & per accidens; in hoc enim Pastorali numere quãdoq; Petro subiiciebãtur, quando videlicet cum eo conuersabantur: eum enim

Tract. de potestate Papæ.

tunc vt cæteris prælatum agnoſcere tenebantur. Rurſus inſtat, ſicut ex eo quod Paulus gentium Apoſtolus conſtitutus eſt, non ſequitur alios Apoſtolos illis non prædicaſſe: ita etiamſi *Paſce oues meas*, ſoli Petro dictum ſit, non tamen inde ſequitur cæteris Apoſtolis dictum non eſſe, maximè cùm ad vniuerſale Eccleſiæ regimen ipſos aſſumptos fuiſſe manifeſtè conſtet. Reſpondetur, licèt Apoſtoli ad illud regimen vniuerſale extraordinariè & per delegationẽ euecti fuerint, non tamen per hæc verba *Paſce oues meas*, quæ ordinarium paſcendi officium ſignificant, ad illud ſunt euecti, ſed per alia, nempe: *Ite, docete omnes gentes*; aut, *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos*. ideòque verba hæc, *paſce oues meas*, ſoli Petro ita ſunt propria, vt reliquis Apoſtolis minimè poſſint conuenire.

Quid ſignificet propriè paſcere vt à Chriſto eſt prolatum.

Secundò notant Patres hac voce *Paſce*, ſupremam Petri in Eccleſiam poteſtatem expreſſe deſignari, cum (paſcere) non tantùm ſignificet cibum aut pabulum ſpiritale, aut corporeum ſuppeditare, ſed etiam regere & gubernare, nec enim Chriſtus tantùm verbo, βόσκε ſed etiam ποίμαινε, quod regere, vt ſuprà iam demonſtrauimus, ſignificat, eſt vſus.

Tertiò, ſimiliter notant per hæc verba *oues meas*, ad viuum expreſſam fuiſſe vniuerſalẽ Eccleſiam, indefinite quippe de ouibus ſuis, non autem his aut illis loquutus eſt Chriſtus, & nemo eſt in tota Eccleſia, ſiue Epiſcopus, ſiue Sacerdos aut Laïcus, qui non maximè ſe ouem Chriſti eſſe glorietur, quod inter cæteros eleganter proſequitur Bernardus lib. 3. De Conſideratione ad Eugenium cap. 8. *Habent alij paſtores ſuos, tibi crediti ſunt vniuerſi vni vnus, nec modo ouium, ſed &*

Quid intelligatur per hæc verba *oues meas*.

Pastorum (audiāt Papæ mastiges) *Tu vnus omnium Pastor. Quæ res, vndenam id probemus, Pasce oues meas, quas, illas vel illius ciuitatis, regionis, aut regni, oues meas* (inquit) *cui non planum est non designâsse aliquas, sed designasse omnes*. Sed insurgit Richerius Christum non dixisse Petro, Pasce oues tuas, sed *meas*, Pasce agnos tuos, sed *meos* Ecclesiam tuã: sed *meam;* ergo Ecclesia, oues, & agni non sunt Petri pastoris, sed Christi. Respondetur, sicut esse Ecclesię pastorem, dupliciter contingit, primariò & secundariò, seu præcipuè & ministerialiter: ita Ecclesiam, & oues esse alterius, dupliciter contingere; Christi quidem sunt oues & Ecclesia priori sensu, posteriori vero Petri, quo fit vt Christus, si voluisset dicere potuisset: Pasce oues tuas & Ecclesiã tuam, cùm non minùs propriè in hoc posteriori sensu Ecclesia sit Petri, quàm prouincia proregis aut gubernatoris, quod non obscurè innuit Hieronymus cùm scribens ad Damasum dicit, *A Pastore præsidium ouis flagito;* Attamen, quia Christus Dominus œconomum & dispensatorem alloquebatur, nec à se dominium abiiciebat, dicere maluit, *Pasce oues meas*, quàm tuas, & Ecclesiam meam, quàm tuam: Licèt hæc suo modo essent Petri, quinimmò si dominium ouium & Ecclesię relinquere, & in Petrum transferre voluisset, potuisset æquè bene ac propriè Christus dicere, Pasce oues meas & Ecclesiam meam: atque Dominus alicuius domus cùm relinquit domum, & in alterum transfert, dicit, vendo aut do tibi domum meam, hoc enim tantum arguit domum antea fuisse illius, & ab eo illius venditionem aut donationem deriuari: ita cùm Christus dixit, *Pasce oues meas*, non est signum

Christum potuisse aliquo sensu dicere Petro *Pasce oues tuas, & Ecclesiam tuam.*

Petrum in eas nullam habere potestatem, sed tantum eas fuisse Christi, ex cuius libera voluntate suam Petrus in ipsas nactus est potestatem.

Cur Christus bis dixit, *Pasce agnos*, & semel *Pasce oues*.

Quartò, notant Patres Christum bis dixisse, Pasce agnos meos, & semel, pasce oues meas: quia bina repetitione agnorum duo populi, Iudæi nempe & Gentiles significantur: per oues autem semel nominatas Apostoli, Prælati & Episcopi, quippe agnorum quos indies Christo pariunt, matres significantur, ex quo vniuersalis primatus Petri liquido colligitur; cum non tantum in laïcos & clericos simplices, sed etiam in Apostolos & Episcopos potestatem acceperit. Maximus sermone de Sanctis Petro & Paulo: *Hic est Petrus, cui Christus ascensurus in cælum pascendas ouiculas suas ouesque commisit.* Cur autem semel ouium, bis autem agnorum curam commendauerit, eadem forte est ratio, ob quam olim Moysi, cùm ad se capita multitudinis vocaret, semel clangere mandauerit, prolixius autem cum promiscuam multitudinem ad se accerseret; vnicum enim exhortationis dictum magnatibus, vt potè sapientibus sat est, populo autem hebeti & imperito quamplurima sunt necessaria: Cùm ergo oues (Prælati nempe & Sacerdotes) agnis, nimirum populo, prudentiores esse soleãt, vnicum παραινέσεως pontificiæ verbum illis satis superque sufficit, iterata vero & sæpius ingeminata verba populo sunt necessaria.

Verba hæc, *Pasce oues meas*, præceptũ continent & potestatẽ conferunt:

Quintò, similiter notant patres huiusmodi verba non tantum continere præceptum, sed etiam potestatem conferre, vt cùm dixit Deus: *Crescite & multiplicamini*, non tantum præceptum seu potius permis-

ſionem, ſi de poſteris Adami ſermo ſit, impoſuit, ſed etiam virtutem creſcendi atque fœcunditatem contulit; & cùm dixit Chriſtus : *Hoc facite in meam commemorationem ;* & præceptum & poteſtatem ſacrificandi contulit. Ideoque Petrus non tantùm poteſtatem paſcendi Eccleſiam à Chriſto accepit, ſed etiam huius poteſtatis in actum redigendæ mandatum habuit, vt officio ſuo maxime defuiſſet, ſi talentum illud ſibi concreditum in ſudario repoſuiſſet, nec ad actum vllomodo reduxiſſet. Et hæc ſunt præcipua Euangelij teſtimonia quibus ſupremam poteſtatem Petri in Eccleſiam, contra ſchiſmaticos confirmandam duximus. Sunt etiam aliæ in nouo Teſtamento Petri prærogatiuæ, quæ primatum eius manifeſte arguunt, vt à nemine niſi inſigniter peruicaci poſſit denegari: ſed eas libenter prętermittimus, cùm polemici huius ſeculi Doctores aduerſus nouatores fuſiſſime in controuerſis diſſertationibus eas proſequantur. tres tantum aut quatuor ex iis proferemus.

Aliæ prærogatiuæ Petri recẽſentur.

Prima eſt nominis mutatio; nam Ioannis 1. dixit illi Chriſtus. *Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cepha,* quod ex Hieronymo in 2um ad Gallatas Syriace ſignificat Petram, vel Saxum Rupeum; Græce vero Caput, Gallice verò, *Chef.* Vnde cum hoc nomen Chriſtus D. Petro impoſuit, eum fundamentum, & caput totius Eccleſiæ futurum eſſe prædixit : quod præclare docet Dionyſius cap. 3. de diuinis nominibus, vbi Petrum Apoſtolorum verticem appellat, vel ſecundum aliam tranſlationem, ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen : & in libro quem ſcripſit de vita & morte Apoſtolorum : cuius meminit

Nominis mutatio.

Gabriël in Canonem Missæ, narrat Paulum Petro dixisse: *Pax tecum, fundamentum Ecclesiarum, Pastor ouium & agnorum Christi.*

Petrus vbique primo loco recensetur.

Secunda est, quod vbique Petrus primo loco ab Euangelistis recenseatur: hoc autem non ideo ab iis factum est, quod Petrus inter Apostolos esset ætate prouectior, Andreas quippe eum ætate superabat, ex Epiphanio hæresi 71. neque quod primus esset vocatione, duo enim Ioan. 1. prius sunt vocati: neque quod donis personalibus reliquis Apostolis præcelleret; Ioannes enim virgo fuit, Propheta & Euangelista, & præ cæteris blandiùs ac teneriùs à Christo dilectus: non aliam ergo ob causam ab Euangelistis nomen eius primo ponitur, quàm quia cæteris dignitate, & primatu præcellebat. Vbi non leuiter prætereundum est Matthæum cap. 10. nominatim vocâsse Petrum primum, cæteros autem absque vllo epitheto, & absque vllo ordine recensuisse. *Duodecim* (inquit) *Apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon qui dicitur Petrus,* & statim sequuntur Andreas, Ioannes, & cæteri. Item in recensendo Petro ante alios nullo modo variant Euangelistæ, cùm tamen in cæteris recensendis interdum varient, quia Matth. 10. post Petrum recensetur Andreas; Marci vero 3. post Petrum sequitur Iacobus, & apud Lucam cæterorum ordo adhuc immutatur: quo non obscurè significatur Petrum, sine vlla contradictione reliquis fuisse superiorem, cęteros autem pares inter se.

Dices 2°. ad Galat. Iacobum ante Petrum nominari; *Cùm cognouissent* (inquit) *gratiam quæ data est mihi, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse colum-*

næ Ecclesiæ. Constat autem Iacobum ætate fuisse longè minorem Petro, quia erat frater Ioannis quem omnes iuniorem fuisse reliquis Apostolis testantur. Itemq; vocatione, cum Petrus statim pòst Andream & socium eius vocatus sit, nec non donis personalibus, cùm Christus longè familiarius Petro, quàm Iacobo vteretur: igitur si primus in Epistola ad Galatas nominetur, in reliquos, & in ipsummet Petrum primatum habere debuit, vel certè ex eo quod Petrus, primo loco recenseatur, primatus eius minimè colligetur. Respondeo Patres in lectione huius capitis ad Galatas multum dissentire: siquidem Augustinus, & Hieronymus Petrum primo loco legunt, vnde probabile est, Paulum hunc ordinem seruasse, nec interest quod vulgata editio primo Iacobum recenseat, quia cum ordo nominum & verborum scripturæ ab Ecclesia non sit definitus, non necessariò ex hac vulgata lectione tres illos Apostolos tali ordine Paulum recensuisse sequitur: Vnde non immeritò quidam dicunt Apostolum eo loci nullum ordinem inter ipsos Apostolos statuisse, sed solùm commemorâsse sermonem siue colloquium, quod cum insignioribus Apostolis habuerat, & Iacobum 1° loco recensuisse, quia eum ante Petrum, & Ioannem conuenerat. Aliter respondet D. Thomas, Iacobum propterea ante Petrum & Ioannem nominatum fuisse, quia factum quod narrabat in ciuitate Hierusalem acciderat: cuius Iacobus erat antistes, ex quo consentaneum videbatur, vt ante alios recenseretur: sicut enim in Academia Parisiensi, vt exemplum domesticum afferamus, procuratores nationum in comitiis suæ nationis

In Epist. ad Gal.

Dominum Rectorem præcedunt, & in altiori subsellio sedent, quamuis ipse ab omnibus totius Academiæ primas & caput agnoscatur; ita & Iacobus potuit Hierosolymis, vbi erat Episcopus Petrum ipsum totius Ecclesiæ principem absque vllo principatus Petri dispendio præcedere. Tertia prærogatiua est, qua Petrus passim in Scriptura, tanquam pater familiâs, Dux & Princeps aliorum describitur: quemadmodum enim Apoc. 12. ex eo quòd dicitur: *Michaël & Angeli eius*, Michaëlem paradisi præpositum & cæterorum Angelorum principem colligimus: sic ex eo quod Marci 1. Lucæ 8. & 9. Act. 2. & 5. dicatur *Petrus & Apostoli*, vel *Petrus & qui cum eo erant*, eum in cæteros primatum habuisse nō immerito infertur. Quarta est Matthæi 14. solus Petrus cum Christo ambulat super aquas, qua de re Bernard. de consid. ad Eugenium: *Instar Domini gradiens super aquam vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo præesse deberet, sed omnibus; siquidem aquæ multæ, populi multi.* vnde quod Ioan. 21. cæteris discipulis nauigio veniētibus ad Christum stantem in littore, Petrus se misit in mare, & natando peruenit ad eum, nempe, *Hoc signum erat*, inquit Bernard. *singularis Pontificij, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandū: mare enim sæculum est, naues Ecclesiæ.*

Petrus pater, Dux Princepsque aliorum describitur.

Petrus cū Christo ambulat.

Sunt & aliæ prærogatiuæ quæ eius primatū supra Apostolos demōstrant, vt quòd fere semper omniū nomine loqueretur, & à Chrysostomo propterea os Apostolorum dicitur, quod Matthæi 17. Christus pro se & pro eo didragma soluerit, quod illi primùm pedes lauerit, pòst Resurrectionem apparuerit, eique

Ioan. 13. Lucæ vlt.

speciatim

ſpeciatim dixerit, *Tu me ſequere*; quod electioni Matthiæ præfuerit, primus Iudæis & Gentibus euangelizauerit, in concilio Hieroſolymitano primus de legalibus abolendis ſententiam dixerit; quod denique ſedem eius nunquam ruituram prædictum ſit. ſed in his peruulgatis nolumus immorari.

Actuũ 1. Act. 2. Ioan. vlt. Act. 15. Math. 16.

Quo iure primatus Petro conueniat?

QVÆSTIO V.

SVPERFLVA foret hæc quæſtio, cùm iam variis Scripturæ locis Petrum iure diuino primatum inter Apoſtolos habuiſſe conſtet, niſi Vigorius inani ſophiſmate illius mouendæ occaſionem dediſſet: ait enim Petrum à Chriſto toti Eccleſiæ præfectum, non deſiiſſe ab Apoſtolis poſteà eligi, eique præfici: ſic enim loquitur cap. 4. num. 1. pagina 39. licèt à Chriſto Petro datus ſit primatus, tamen ei denuò Apoſtoli primatum detulerunt, non ob aliam credo cauſam, niſi quod inſtitutio Chriſti non ſuffeciſſet, ſi Apoſtolorum electio non acceſſiſſet. Hoc autem inauditum dogma primùm probat exemplo Saülis & Dauidis, qui etſi à Deo Reges eſſent conſtituti, à populo tamen, Deo ita volente & ordinante, eligi non deſierunt. *Vt Deus* (inquit) *inuitis ſe non dare Reges oſtenderet*: itemque ex Chryſoſtomo Hom. 51. in Matthæum, *Apoſtoli gratia accepta vbiq; primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur*. & canone In nouo 21. diſtione. *Apoſtoli cum Petro pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt, ipſumque principem eſſe voluerunt*. can. Sacroſancta 22. diſtinct. *Inter beatos Apoſtolos*

Vigorius docet Apoſtolos Petrũ à Chriſto electum denuò elegiſſe.

quædam fuit discretio, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset, & ita sub Fœlice II° cap. 12. *Concilium Romanum* ait: *Apostolicæ Sedis dignitas quæ ei, id est, Petro ab ipso Domino est concessa, & postea à sanctis patribus roborata.* Ex quibus infert Petrum, & ex consequenti summum Pontificem iure duntaxat Ecclesiastico plenitudine potestatis in Ecclesiam donatum esse, sed de summo Pontifice: ne confusa reddatur disputatio, infrà disseremus, hîc solum de Petro transigendum est aliquot conclusionibus.

Apostoli non elegerunt Petrũ in principẽ Ecclesiæ.

Cõclusio itaque cõstantissima est. Post Ascẽsionem Christi Petrum Ecclesiæ principẽ Apostoli non elegerũt, superuacanea enim fuisset eorũ electio; iã enim sufficienter erat à Christo electus, nihilque pro ratione potestatis Ecclesiasticæ illi deerat: nisi forsan dicere velimus Christum imperfectum principatum Petro dedisse, quod non tam in dedecus Petri electi, quàm Christi eligentis verteretur: tum quia ædificatio Ecclesiæ super ipsum, tanquam suprà solidissimam Petram, & actualis exhibitio clauium regni cælorum contrarium euidenter demonstrant; tum quia Petrus cum Christo, seruata tamẽ inæqualitatis proportione, comparatur à Cyrillo in libro Thesaurorum: cuius meminit D. Thomas opusc. cont. errores Græcorum: *Sicut Christus* (inquit) *accepit à Patre, Ecclesiæ dux ex Israël egrediens, super omnes principatum & potestatem super omne quodcumque est, vt ei curuentur omnia: sic & Petro eiusque successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Atqui Christus post acceptum à Patre sceptrum, non

eguit vlla hominum electione, ſed nõniſi cum temeritate maxima potuiſſet eligi; ita nec Petrus ab Apoſtolis, poſtquam à Chriſto ad apicem Apoſtolatus euectus eſt, abſq; temeritate eligi potuiſſet; tum quia poteſtas Eccleſiaſtica primò fuit in Chriſto tanquam in principe, non tãquam in ſubdito, aut ab altero dependente. Matth. 28. *Iudex viuorum & mortuorum* dicitur. Act. 12. *Et viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.* & 1. ad Corint. 15. *Oportet autẽ illũ regnare donec ponat inimicos ſub pedibus eius*: Atqui ſpectat ad principẽ de legato & vicario, qualis erat Petrus, prouidere, ne ab aliis quam ab ipſo poteſtas eius deriuetur: igitur ab ipſo Chriſto & nõ ab Apoſtolis electus eſt Petrus: Tũ quia nihil per hanc electionem Petro cõtuliſſent Apoſtoli, non poteſtatẽ, quia iã collata erat, & quia tanta eſt, vt ab hominibus cõferri ſit impoſſibile, ſiquidẽ ad viuos & mortuos, & ad effectus omninò ſupernaturales extenditur; non deſignationẽ, quia iã perſona Petri erat ſufficienter deſignata; nec denique confirmationem, quia econtrà eorum confirmatio Petro ex officio incumbebat, Luc. 22. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Cùm enim confirmatio actus ſit ſuperioris, nullum autem in terris poſt aſcenſionem Chriſti agnoſceret D. Petrus, ſed ipſe potius ex Chriſti ordinatione ſe omnibus ſuperiorem gereret: ipſius fuit cæteros alios, & non aliorum ipſum confirmare; tum quia ideo ter Petro dixit Chriſtus, *Paſce oues meas*, vt firmam & ratam eius dignitatem oſtenderet, nec vlla alia electione indigere, ob eamque cauſam canone *Loquitur*, eum comparat Cyprianus Soli, fonti, capiti, & radici: atqui nihil Sol à radiis, nihil fons à riuulis,

nihil caput à membris in quæ influit, nihilque radix à ramis mutuantur: sed econtra ista omnia à suis principiis totum quod habent accipiunt. Igitur nihil ab Apostolis Petrus accepit, sed contra potius ipsi ab eo accipere debuissent, nisi Christus per accidens, & extraordinariè totum quod illis ad Euangelij promulgationem erat necessarium contulisset. Nec dicas leges receptione subditorum, seu moribus vtentium firmari, & tunc tantum obligationem inducere, sicq; electionem Petri factam à Christo, à subditis nempe Apostolis recipi & firmari debuisse: ita vt ea receptione cessante, nihil quicquam in ipsos Apostolos Petrus potuisset. Respondeo leges diuinas & humanas in eo differre, quod humanis moribus & receptione vtentium firmentur, & ab iis actualem vim obligandi accipiant, diuinę verò à solo legislatore vim habeant, nullaque ad sui firmitatem actualemque obligationem populi receptione indigeant, cùm Deus sit absolutissimus omniũ Dominus, & ad arbitrium de iis eorumque rebus possit statuere. Cùm ergo à Christo electus sit D. Petrus, nihil eum denuò ab Apostolis eligi, aut diuinam eius electionem Apostolica receptione firmari opus fuit, cùm satis superque ordinatione Christi firmata esset & roborata. Denique absque vllo authore istam obtrudit opinionem Vigorius, nullus enim patrum aut scholasticorum quem viderim, huius electionis D. Petri ab Apostolis meminit, sed solùm illius quam Christus Ioan. 21. fecit. Constat quidem Almainum Doctorem Parisiensem, tractatu de potestate Ecclesiast. c. 8. docuisse, Christũ eligendo D. Petrum Ecclesiam ipsam præuenisse,

faciendo quod ipsa post eius Ascensionem infallibiliter erat præstitura, ideoque etsi à Christo fuerit electus D. Petrus, hoc tamen fuit per accidens & nomine Apostolorum, quos ex industria præuenire volebat, vt Euangelij promulgationi solùm vacarent, nec electionibus superiorum, quæ vtplurimum studiis hominum contrariis sunt obnoxiæ, intenderent. Quæ opinio prætterquam quod merum est somnium, nullo siue scripturarum, siue patrum testimonio suffulta, meritò refellitur. Sic enim Petrus non tantas gratias pro primatu Christo agere debuisset, quantas Apostolis & Ecclesiæ, cùm à Christo per accidens & tantùm nomine Ecclesiæ primatum accepisset. Adde vt in Elencho diximus, quis Almaino reuelauit Ecclesiam D. Petrum infallibiliter electuram fuisse, cum rationes ad aliquos Petro anteponendos non deessent, Andream propter ætatem, Ioannem propter dilectionis prærogatiuam, Iacobum minorem propter consanguinitatem, vultusque, vt ex antiquis monumentis cõstat, similitudiné: præsertim cùm ex Chrysostomo Petrus cæteris rudior, & tanto muneri impar exteriùs appareret? Falsum ergo est Almaini dogma, Ecclesiam infallibiliter D. Petrum electuram fuisse, si Christus eam non præuenisset. Ex quibus ad argumenta Vigorij facilè respõdetur; Ad primum enim falsum est Saülem & Dauidem, post vnctionem diuinam à populo electos fuisse, & falsius adhuc à populo ius ad regnum eis obtigisse. Postquam enim à Samuële Saül in Regem vnctus fuisset, & à Samuële populo indicatus, cucurrerũt quidem omnes in domum eius, & cum vidissent staturæ eius proceritaté, gaudio

Refellitur Almainus qui dixit, Christum eligendo D. Petrum in caput totius Ecclesiæ ipsam Ecclesiam præuenisse.

perfusi dixerunt, *Viuat Rex*, seu vt habet Paraphrasis Chaldaïca, *Sir Rex fœlix*, vel, *ei omnia fœliciter succedant*: vnde hæc populi acclamatio non fuit electio, sed tātùm receptio & approbatio eius. Quod Samuël iussu Dei fecerat. Electio autem & receptio inter se differunt, quòd electio tribuat ius, receptio verò minimè, sed iuri collato tantùm acquiescat, quod autem Deus iis inuitis Regem non dederit, non sequitur ipsos Saülem elegisse, sed tantùm Deum talem elegisse quem omnes omni exceptione maiorem erant agnituri, eique non coactè, sed spontè obedituri. Quod ad Dauidem, etsi maior sit difficultas, cùm cap. 17. lib. 1. Reg. à Samuële in domo patris vnctus fuerit, & cap. 2. lib. 2. ab incolis Hebron, post mortem Saül denuo vnctus legatur, nihilominus è duobus alterum verum esse crediderim, vel ante mortem Saül Dauid actu non fuisse Regem, de facto enim regnabat adhuc Saül, & non solùm à populo, sed etiam ab optimatibus Rex habebatur: immò & ab ipso Dauid, qui propterea manum in eum mittere noluit: & Amalechitā qui illi in monte Gelboë incubuerat, vt citiùs moreretur, quia in Christum Domini manus mittere ausus fuerat, interfici iussit, ideoque vnctionem factam ab incolis Hebron, Dauidem in realem & actualem regni possessionem misisse: vel quod magis probatur vnctione illa facta in Hebron, nullum ius nequidem actuale Dauidi esse quæsitum, cùm saltem à morte Saül, ad ipsum actualiter esset regnum deuolutum, non minùs quam ad filium primogenitum regis qui statim ab obitu patris, absq; vlla alia solemnitate regnum obtinet: ideoque vnctionem in Hebron

Electio quomodo differat à receptione.

fuisse tantum receptionem, & consensum populi solemnem in electionem Dauidis à Deo factam, cui si non consensisset grauiter coram Deo peccâsset, reusque maiestatis & diuinæ & humanæ fuisset.

Ad secundùm, tantùm vult Chrysostomus Apostolos detulisse primatum Petro consentiendo electioni, & præcepto Christi, etiãsi cæteris rudior, & coram hominibus, qui exteriora maximè spectant, non adeo aptus appareret, non tamen propterea vult ipsos eum verè elegisse, aliàs debuissent Apostoli vbique locorum eligere D. Petrum: sic enim ait, *Apostoli gratia accepta, vbique primatum Petro præbent*, &c. quod tamen nunquã affirmabit Vigorius. Quare his verbis Apostoli, *Vbique primatum Petro præbent*: idem est ac ei vbique deferunt, & tanquam superiori à Christo instituto vbique acquiescunt & cedunt. Ad 3um & 4um mirum est, cur hos duos canones, *Apostoli*, & *Sacro-Sancta* proferat Vigorius, cum in refellendis Epistolis Anacleti, ex quibus sunt desumpti, totus sit, eodem tamen modo quo priùs, dicimus Apostolos Petri primatum acceptasse, quia ita statuisset Christus, à cuius ordinatione ne latum quidem vnguem volebant recedere. Ad vltimum, Apostolica Sedes à sanctis patribus roborata dicitur, quia etsi iure diuino robur firmissimum haberet, accessione tamen iuris Ecclesiastici à sanctis patribus deriuati magis magisque est corroborata. Adde eo loco nullũ sermonem esse de Petro, sed de eius successoribus, de quibus postea: quo fit vt nihil efficiat locus iste contra primatũ D. Petri. Lapsus autem hîc est, vt in pluribus aliis Vigorius; nullum enim extat cõcilium Romanum sub

Felice II°: tãtùm enim duæ ſub eius nomine epiſtolæ circũferuntur, in quibus nulla de dignitate ſedis Apoſtolicæ à patribus roborata, fit mentio. Quare concilium illud Romanum, ſicut & pleraque alia ſomniat, & comminiſcitur Vigorius.

Supremum Monarcham eſſe Eccleſiæ eſſentialem, ideóque aliquem D. Petro in poteſtate monarchica ſucceſſiſſe.

QVÆSTIO VI.

INVITVS cauſam hanc, toties contra Lutheranos & Caluiniſtas actam & definitam, rurſus agendam definiendamque hîc ſuſcipio, eamque lubens prætermitterem, ni Richerius & Vigorius, importuniſſimis argumentis importunos ſe Catholicis exhiberent. Richerius itaque libello de Eccleſiaſtica & politica poteſtate numero 3. pag. 5. & num. 4. pag. 7. non obſcurè innuit ad eſſentiam Eccleſiæ non eſſe neceſſe vnum ſupremum moderatorem ei præeſſe, ſed ſufficere concilium quoddam ariſtocraticum ex Epiſcopis tanquã Eccleſiæ optimatibus conflatum, à quo negotia componantur & terminentur: quod autẽ adſit aliquod viſibile caput, nimirum ſummus Põtifex, hoc vel ad ordinẽ tantũ, nõ ad poteſtatẽ ſi ſeorſim ab optimatibus ſpectetur, vel ab Eccleſia potiùs quàm à Chriſto in Euãgelica lege eſt cõſtitutum: quò fit vt lege Euãgelica ſtante, alium ſibi ſtatum poſſit Eccleſia præfigere, & de monarchico eum reddere ariſtocraticum, quæ quamuis ore tenus negare videatur Richerius, ex illius tamen verbis & probationibus diligens lector hanc in eo mentem facilè recognoſcet.

Argumẽta Edmũdi Richerij, quod Papa non ſit Eccleſiæ eſſentialiter neceſſarius.

cognoſcet. A Richerio nõ abhorret Vigorius, qui toto ſuo libro ita authoritatem ſummi Pontificis imminuit, deprimitq;, vt nihil quicquam abſque ariſtocratico concilio eum præſtare poſſe velit, non leges condere, non ſententias ferre, nec excõmunicationes decernere; quod vltimum expreſsè habet Richerius. ex quibus conſtat vtrumq; in hac hæreſi fuiſſe, ſummũ Pontificem caput Eccleſiæ eſſentiale non eſſe, prędertim cùm paſſim eundem ſymbolicum, miniſteriale, & inſtrumentarium caput, quæ tria eſſentiali opponũt, appellent: ſed hæc opinio hactenus inaudita, & ſine authore quem viderim in Eccleſiam introducta, non poteſt ab hæreſi nedum falſitate vindicari. conſenſus enim omnium Catholicorum (quem tanti exiſtimat Auguſtinus, vt eo ſe in Eccleſiæ gremio retineri conſtanter affirmet) eſt, ſemperq; fuit, ſummum moderatorem, eumque viſibilem & nobiſcum agentem, eſſe Eccleſiæ prorſus eſſentialem; non minus quàm Regem regno, Epiſcopum diœceſi, & patrem, ſiue herum familiæ domeſticæ, nulloque inſtanti veram eſſe hanc propoſitionem, Eccleſia, abſque capite viſibili poteſt ſubſiſtere. Primumque illud probare facile eſt ex Eccleſiæ vnitate & iugi, in eo ſtatu quo Chriſti & Apoſtolorum tempore erat, perſeuerantia; atqui nemo citra hæreſim & intolerabilem blaſphemiam affirmauerit Chriſtum non fuiſſe Eccleſiæ eſſentialem: nemo item Petrum partem Eccleſiæ eſſentialem negabit, ſuper quem ædificata eſt Eccleſia, & cuius generalis paſtor à Chriſto eſt conſtitutus. Ergo ne ſtatum Eccleſiæ mutatum dicamus contra articulum, *Credo vnam ſanctam Catholicã & Apoſtolicam Eccleſiam;*

Cap. 4. lib. contra Epiſtolam fundamenti.

Supremus monarcha eſt Eccleſiæ eſſentiali.

ſtatuendum eſt, ad eius eſſentiam ſupremum moderatorem pertinere. Secundò iam ſuprà pluribus argumentis, ſtatum Eccleſiæ eſſe eſſentialiter monarchicum docuimus: atqui ad ſtatum monarchicum neceſſarius eſt vnus aliquis ſupremus cui oẽs ſubiiciantur, ipſe verò nemini, & qui de omnibus iudicãs à nemine iudicetur, iuxta illud concilij Sinueſſani ad Marcellinum Pontificem, *Ore proprio te iudica, ſuprema Sedes à nemine iudicatur.* Reſpondet Richerius vnam ſemper manere Eccleſiam, quia vnum & idem ſemper manet eſſentiale, & primarium caput, nempe Chriſtus: Sed contra Eccleſia eſt eſſentialiter vnum corpus viſibile, ergo ad eius eſſentialem conſtitutionem non ſufficit Chriſtus inuiſibilis, qui non aliter quàm per fidem videtur & cognoſcitur, quique duntaxat in eam inuiſibiliter influit; Sed præter eum requiritur aliquis viſibilis & manifeſtus Paſtor, qui eam viſibiliter regat & moderetur, maximè cùm Eccleſia comparetur ouili, naui, exercitui, & familiæ: atqui ad ouile præſertim in medio luporum paſtor, ad nauem in mediis fluctibus gubernator, ad exercitum irruentibus hoſtibus Dux, & ad familiam pater aut œconomus in grauiſſimis litibus ita ſunt neceſſarij, vt abſque iis breui hæ omnes ſocietates diſſoluantur & corruant: igitur Eccleſiæ præſto ſemper eſſe debet ſupremus aliquis moderator, qui in eam viſibiliter influat. Adde Chriſtum Eccleſiæ in noua lege non negâſſe, quod ſynagogæ in veteri conceſſit. ſynagogua autem quandiu perſtitit, per ſupremos paſtores monarchicè fuit gubernata, ſtatimq; vt aliquis è viuis migrabat, alter ex tribu Leuitica in eius locum ſufficiebatur: ergo Eccleſia in

noua lege iisdem supremis pastoribus sibi inuicẽ succedentibus debet gubernari: hoc tamen discrimine, quòd successio pōtificum per carnalem propagationem in veteri lege descenderet; non tamen successio in noua lege, in qua status virginitatis ceteris aliis statibus supereminet, sed per supernaturalem quandam propagationem, nimirũ electionem, quâ positâ personæ electæ & designatæ supernaturaliter Christus pastoralem confert potestatem. Denique 27mus error Vvicleffi in concilio Constātiensi damnatus hîc fuit, *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse vnum caput in spiritalibus, regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conuersetur & conseruetur.* Ex quo liquet concilium Constantiense, quod Richerio & Vigorio tanquam Euangelium suspicitur expresè definiuisse vnum supremum caput Ecclesiæ militanti essentialiter esse necessarium, ita vt iam contrarium citra manifestam hæresim, à quo quam deffendi nō possit; de quare adhuc infra pluribus cũ sit totius controuersiæ cardo. Sed multis in hāc sententiā insurgit Richerius. *Primùm enim* (inquit) *Pontifex potest adesse & abesse ab Ecclesia*, absque quod ipsa depereat, ergo illi tantùm est accidentalis. Item, *Compertum est Sedem Apostolicam aliquando tres, aliquando vero septem annos Pastore caruisse, cùm tamen tunc in suo statu perseuerare non desierit.* Tertiò *præceptum habendi Pontificem affirmatiuum est, quod vt nôrunt Theologi, ad semper non obligat: ergo non semper talis moderator est necessarius. 4° concilium Aristocraticum in Ecclesia requiritur propter solidam prouidentiam efficax concilium, & constitutiones canonum.* At vbi hæc adsunt nihil Ecclesiæ deest: quid enim illi deesse

poteſt, vbi adeſt ſolida prouidentia ne in errores impingat, efficax conſilium, quoad portum fœlicitatis pertingat, & conſtitutiones canonum quibus fidelium conſcientiæ diriguntur. ſed hæc leuiſſima ſunt, quàm vt à ſententia catholica nos dimoueant; Siquidem ad primum Pontifex in particulari adeſt, & abeſt ab Eccleſia, & abſque eo poteſt ipſa facillimè ſubſiſtere, quod ſatis conſtat, nec ampliori probatione indiget, cùm indies per mortem ſingulorum Pontificum iſtud contingat, non tamen propterea ſequitur ipſam abſque aliquo Pontifice in genere poſſe ſubſiſtere, aut eſſentiam ſuam retinere nequidem vnico inſtanti. nam ſi inſtanti aliquo propoſitio illa vera eſſet, Poteſt Eccleſia ſine Pontifice ſubſiſtere, Pontifex illi eſſet omnino ſuperuacaneus, nulla enim eſſet ratio cur in ſecundo & tertio inſtanti, & ſic deinceps abſque eo non poſſet ſubſiſtere, ſicque ſtatus eius non eſſet amplius monarchicus, ſed vel in Dimocratiam, vt volebat Illyricus, aut Ariſtocratiam, vt Caluinus, omninò mutaretur. Ad 2um. Sedes Apoſtolica nunquã ſeptem annos, nedum tres vnquam vacauit. Genebrardus quidem poſt Marcellini martyrium, ſeptem annos vacationis recenſet, ſed ſub dubio & ex quorundam ſententia, qui in Pontificali Romano ſub ementito nomine Damaſi, pro ſeptem menſibus ſeptem annos legerunt, quam falſitatem in Elencho fusè deteximus, præſertim cùm nequidem ſeptem menſes vacauerit, ſed tantùm viginti quinque dies: Vacauit quidem ipſa duos annos, & aliquot menſes poſt obitum Clementis Vi. anno milleſimo trecenteſimo quarto, ſed longior vacatio nunquã viſa eſt,

nisi fortè Richerius tempora schismatum pro temporibus vacationum Sedis obtrudat, sed tunc ad annos multo plures tempus illud esset extendendum, cùm nonnunquã 80ª annis Ecclesia propter ingruentia schismata diuisa fuerit & dilacerata. Ad 3um. etsi præceptum habendi in Ecclesia Pontificem sit affirmatiuum, in hoc tamen aliquid negatiui continetur, ne videlicet Ecclesia pastore destituatur: sicut enim gubernatorem naui actu præficiendum esse quoties in altum ducitur, est quidem affirmatiuum præceptũ. Cùm tamen propter frequentia & repentina pericula ei sit necessarius, certum est aliquid negatiui in hoc affirmatiuo præcepto contineri: ita & in præcepto habendi in Ecclesia Pontificis, propter varia & innumera quibus experientia teste subiicitur, incommoda, negatiuum hoc præceptum includitur, ne videlicet Ecclesia pastore destituatur, præsertim cum vbi vacat Sedes in statu imperfecto versetur: qua de re in Elencho disseruimus. Ad 4um, quicquid sit de tribus illis conditionibus quas ad perfectam Ecclesiæ constitutionem requirit Richerius, dicendum est illas sine supremo moderatore in Ecclesia, nunquam reperiri, primumque solidissimam prouidentiam, cùm inter optimates, tot capita, tot sensus, & variis factionibus quæ in bella, & seditiones sæpius degenerant, à se inuicem sæpissimè separentur. Adde ad suauem Dei prouidentiam pertinere, quòd Ecclesiastica respublica nullo tempore negligatur, sed in statu quem Christus illi reliquit, iugiter conseruetur; at quæ pluribus in communi conueniunt, ea neglectui haberi indies cernimus, nec quisquam ita erga

ea afficitur: ac si illi soli totius rei summa competeret, nec similiter efficax concilium absque supremo Pontifice in Ecclesia potest relucere, tum propter rationes allatas, tum quia concilia plurium vt plurimum sunt inter se contraria, & nisi ab vno contineantur,& ad vnius imperium regantur, rem magis confundunt & obscurant quàm illustrant. Constitutio denique canonum similiter adesse nequit,etsi enim concilium Aristocraticum, quale est concilium generale, possit canones edere, vt infrà fusiùs constabit, ab eo tamen abesse non debet Pontifex; qui si absit, canones illi nullam vim ad fidelium conscientiam obligandam habebunt. Maneat itaque contra Richerium Ecclesiam visibilem, visibili capite, ne monstrum sit, essentialiter indigere,& propterea quod secundo loco nobis hoc in capite proposuimus, necesse esse in primatu D. Petro, sicut & post mortem cuiusuis Pontificis aliquem succedere, qui Ecclesiam visibiliter & monarchicè gubernet,& regat: quod satis constat ex fine ipsius Pontificatus; cùm enim non in commodum Petri, aut supremi Pontificis, sed in vtilitatem Ecclesiæ institutus sit, iuxta illud Augustini de Pastoribus cap. 1. *Quod Christiani sumus propter nos est; quod verò præpositi, propter vos*,& Ecclesia ad finem vsque sit permansura, non debuit intereunte Petro interire supremus ille Pontificatus, sed tandiu permanere quandiu ipsa Ecclesia; maximè cùm eo non minus nũc quàm Apostolorum tempore indigeat, immò magis, quia plures & peiores sunt Christiani, pluresque grassantur hæreses & schismata, quàm Apostolorum tẽpore.

Sed quisnam inquies, D. Petro in primatu succes-

sit? Respondetur de fide esse non esse alium à Romano Pontifice canonicè electo, qualem nunc habemus sanctissimum Dominum nostrũ PAVLVM quintum, qui nunc fœliciter sedet, vtinam ad multos annos. Quod vt planius confirmetur supponẽdum est contra hæreticos, quod iam supra mille & quingentos annos toto orbe creditum est, Petrum fuisse Episcopum Romanum, & Romæ cùm Paulo Apostolo pro Christi fide passum mortuumque fuisse. Quod non eorum sepulchra tantùm & monimenta testantur, verumetiam totius orbis consensus, ac luculentissima omnium veterum, tum Græcorum cùm Latinorum testimonia; adeout maior sit impudentia id negare, quàm negare Iulium Cæsarem fuisse, vel Romam ipsam, aut Constantinopolim in mundo extare. Quæ causa est cur ipsemet Caluinus 4. Institut. cap. 6. §. 15. ingenuè fateatur se propter consensum scriptorum nolle pugnare, quin Petrus Romæ sit mortuus; quamuis, inquit, quod Episcopus Romanus fuerit prȩsertim longo tempore mihi persuadere nequeam. in cuius rei probatione, & hȩreticorum confutatione nolo diutius immorari, cùm istud ab huius æui Doctoribus luce meridiana clarius sit demonstratum; neque Richerius & Vigorius, cum quibus manus præcipuè conserimus, in contrarium abeant. Pontificem itaque Romanũ & non alium Petro successisse cõstat.

Primùm, ex conciliis Nycæno 2. act. 2. vbi approbatur epistola Adriani Papæ, in qua habẽtur hæc verba: *Cuius* (Ecclesiæ Romanæ) *fides per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit:* Lateranensi sub Innocentio III°, cap. 5. *Romana*

Ecclesia disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis dignitatem obtinens, vtpote mater vniuersorũ Christi fidelium & magistra: Lugdunensi sub Gregorio X°. vbi concilium vocat Pontificem *Vicarium Christi, & successorem Petri:* Florentinum sub Eugenio IV°. *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem primatũ tenere.* Quibus conciliis Græci cum Latinis interfuerunt, & cum iisdem hanc veritatem probarunt: licèt postea fide & leuitate Græca eam improbârint. Præter hæc verò iam commemorata suppetunt alia pleraque œcumenica quibus Græci non interfuerunt, vt Constantiense cap. 8. Lateranense sub Leone X. sess. 11. & Tridentinum sess. 6. cap. 7. de reformatione: & sess. 14. cap. 7. quibus idem prorsus definitur.

Secundò, ex decretalibus Pontificum Romanorum Epistolis, quas in tres classes, ne lectoribus tædiũ afferamus, placet distribuere. Prima continet eas quæ ante annum 300um à Pontificibus sunt editę. Secunda quod ab anno 300° vsque ad 600um, tertia quæ à 600° vsq; ad nostra tempora. In prima sunt Epistolæ Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Pij, Aniceti, Victoris, Zepherini, Calixti, Lucij, Marcelli, Eusebij, Melchiadis, & Marci, ex quibus quę ad rem magis faciunt proferemus. Anacleti cap. 3. epist. 3. *Hæc sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiã potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ quam*

beatissimi

beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma quæ priùs erat cacodæmonum artificio omnium errorũ mater & altrix, excussis tenebris & vanis superstitionum ritibus abiectis filiorum Dei exorto Sole Iustitiæ facta est copiosa propagatrix. Idemque habet si non iisdem verbis, saltem eodem sensu, epist. 1. & 2. Alexandri I. epist. 91. *Relatum est ad huius sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem cui summarum dispositiones causarum & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente principi Apostolorum Petro; Tu es Petrus, & super hãc Petram, ædificabo Ecclesiam meam,* PII I. *Christus hanc Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit ipso dicente principi Apostolorum, Tu es Petrus.* Calixti Epist. 1a, *non decet à capite membra dissidere, sed iuxta Sacræ Scripturæ testimonia omnia membra caput sequuntur; nullum verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus vos conuenit deuiare, & sicut Dei filius venit facere voluntatem patris, sic & vos voluntatem vestræ matris impleatis, quæ est in Ecclesia: cuius caput Romana existit Ecclesia.* Marcelli Epist. 1a. ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ, *Petri Sedes, apud vos primitus fuit; quæ iubente Domino Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die, nec ab eius dispositione deuiare vos oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia diuina disponente gratia iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur à quâ sumpsere principia.* Mitto reliquorum testimonia etsi locupletissima, ne in re plana & perspicua nimis hæream, præsertim cùm his Pontificum & cõciliorum decretis satis cõstet Pontificem Romanum, non tãtùm esse primũ ordine inter Episcopos,

sed etiam dignitate, authoritate, & iurisdictione, quæ in omnes Christianos & Episcopos pollet.

Ad hæc nihil aliud respondent Richerius & Vigorius, nisi cum Magdeburgensibus, & aliis nostri sæculi hæreticis, has omnes Epistolas esse suppositites, erroribus, & ineptiis quamplurimis refertas. Verùm credibile non est, tam varias variorum Pontificum Epistolas confictas esse, aut in hoc articulo quo de authoritate Sedis Romanæ sermo est, adulteratas: etsi enim vnam aut alteram Epistolam confingere, aut nõnullis erroribus fœdare facile sit, non tamen id de omnibus Pontificum epistolis sentiendum est. Equidem negare non potest Vigorius, quin illæ superioribus sæculis in Ecclesia maximè fuerint honoratæ, & inter canones recensitæ. Isidorus ante mille annos in proëmio collectanei sacrorum conciliorum affirmat se ex concilio 80ª. Episcoporum canones ex epistolis Clementis, Anacleti, Euaristi, & cæterorum Romanorum Pontificum magna ex parte collegisse. Item concilium Basense tempore Leonis 1ⁱ, ante mille & ducentos fermè annos epistolas Clementis, vt nunc circunferuntur citat, Ruffinus ex Gennadio libro de viris illustribus in Ruffino: Vetustum denique quoddam manuscriptum libri Pontificalis, cuius meminit Turrianus cap. 20. lib. 5. contra Magdeburgenses, testatur Anacletum duas decretales Epistolas, omni sapientia plenas cõscripsisse. Quid plura? Gratianus has Epistolas Pontificum inter canones recensuit, quos passim pro Apostolorum æqualitate, contra primatum Petri temerè & falsò adducit Vigorius.

Sed ex omnibus Epistolis Pontificum suprà allatis,

ſolas Anacleti epiſtolas perſtringit, eaſque confictas pugnaciſſimè contendit. Primùm, *Quia* (inquit) *Anacletus in his Epiſtolis ſe Clementi ſucceſſiſſe ſæpius profitetur, at Anacletum Lini non Clementis ſucceſſorem teſtantur Irenæus, Euſebius, & Hieronymus.* Sed facilis eſt reſponſio Anacletum iſtum cuius extant Epiſtolæ Germanum fuiſſe Clementis ſucceſſorem, quòd autem eum illius anteceſſorem ſtatuant citati patres, error eſt Typographorum, qui pro Cleto ſucceſſore Lini, & prædeceſſore Clementis, Anacletum ſcripſerunt, quod apud Græcos in re ſimili contingit. hi enim interdum Marcellum pro Marcellino, & Nouatum pro Nouatiano legunt: alij verò putant duos fuiſſe Anacletos, vnum ſucceſſorem Lini, qui literis decurtatis Cletus plerunque dicitur, alterum vero Clementis: cuius ſunt hæ Epiſtolæ contra quas debacchatur Vigorius. Secundò vrget, *Scriptores Eccleſiaſticos harum Epiſtolarum nunquam meminiſſe: cùm tamen ipſi res leuioris momenti proſequantur.* Sed Iſidorus, Ruffinus, concilium Vaſenſe, vetuſtum illud exemplar Turriani, harum Epiſtolarum expreſsè meminerunt. Tertiò, *Ipſe Anacletus multa ſe ab antiquis, & ſanctis patribus accepiſſe refert, cùm tamen ſui oblitus ſe à Petro ordinatum fuiſſe affirmet, Petrumque vt eorum quæ ſcribit authorem ſæpius commendet?* Reſpōdeo, cùm ipſe ſucceſſerit Clementi & 5[us] ordine Papa fuerit, non incongruè potuiſſe aſſerere, ſe à ſanctis patribus, vt Petro, Lino Cleto, & Clemente Pontificibus, aliiſque iam martyrio, aut naturali morte ſublatis quæ ſcripſit accepiſſe, hæc autem non pugnant, cum eo quod à Petro ſe ordinatum dicat, quia iuuenis à Petro ordinatus eſt, & ſuas

De Epiſtolis Anacleti eas pluribus argumentis refellit Vigorius.

epiſtolas in extrema ſenectute conſcripſit. Quarto obiicit, *Anacletum natione Græcum fuiſſe, & nihilominus verbum hoc exoticum Cephas pro vernaculo ſumpſiſſe.* Reſpondetur, verbum Cephas, & Græcum, & Syriacum eſſe, qua parte Græcum, ſignificat caput; qua vero Syriacum, Petram ſeu Saxum Rupeum: priori modo erat vernaculum Anacleto, poſteriori vero exoticũ: quod autem in hac poſteriori ſignificatione illud eo loco ſumpſerit, cauſa erat, nimirum quia quod in ædificiis eſt Petra fundamentalis, hoc in monarchiis, tum politicis, tum Eccleſiaſticis eſt caput ſeu Rex qui propterea Græcè appellatur, βασιλεύς. Baſis autem idem ferè eſt ac Petra, ſeu potius fundamentum. Quinto inſtat Vigorius: *Epiſtolam Anacleti ſecularium iudiciorum appellationes ad Epiſcopos ex Chriſti, & Apoſtolorum ordinatione referre, at tantùm abeſt, vt hoc Apoſtoli voluerint, quin è contra vetent Epiſcopos ſecularium cauſas ſuſcipere publicas adminiſtrationes ambire, & magiſtratum ſub pœna depoſitionis affectare.* Reſpondeo Anacletum doctrinam Pauli 1. ad Corinth. cap. 6. ſecutum rectè decreuiſſe, ne Chriſtiani Ethnici iudicis tribunal adirẽt, litiumque ſuarum diſcuſſionem ab iis peterent: ſed tamen cum quibuſdam qui de eorum cauſis iudicarent opus haberent, melius & commodius iſtud fieri non potuit quàm ab Epiſcopis, vt qui maturitate rerumque agendarum prudentia reliquis Chriſtianis anteirent. quod autem dixerit Apoſtolus, vt qui lite inter ſe contenderent ab infimæ ſortis hominibus, contemptibilibuſq; iudicarentur, dicendum eſt hoc non fuiſſe præceptum, ſed tantùm conſilium in arbitrio Chriſtianorum ſitum: ideoque Epiſcoporum

iudicium, in negotiis & litibus iustè potuisse requirere; loquitur enim eo loco Apostolus de arbitriis ipsorum negotiorum eligendis, certum est autem electionem arbitrorum tantùm esse in consilio, quo fit vt Anacleti Epistolæ, quæ ad Episcopos harum causarum iudicia refert, ab epistolis Pauli minimè dissentiant. Septimo, *Episcopos* (inquit Vigorius) *vix quidem accusari, nedum iudicari nisi à Domino prohibet Anacletus epist. 2. cùm tamen canone 64. Apostolorum, contrarium decernatur.* Respondetur 1° hunc canonem Vigorium pro suo more adulterâsse. Sic enim habet Canon: *In testimonium aduersus Episcopum, hæreticus ne admittatur, sed nec vnus solus fidelis, in ore enim duorum vel trium stabit omne verbum.* quod similiter habet Anacletus, sicut à Gratiano refertur. *Laïci* (inquit) *in accusatione Episcoporum audiendi non sunt, quia oppido eis quidam infesti sunt, & indignum est vt ab eis accusentur, qui eorum grauitatem nolunt imitari:* Vbi vides Anacletum accusationem, & iudicium Episcoporum non prohibuisse, sed tantùm ne Laïci, præsertim si illis infensi essent (quod sæpe contingit) ad eorũ accusationẽ admitterentur. Septimo 70ª discipulos ab Apostolis electos esse affirmat Anacletus, quod tamen Christum fecisse, Lucæ 10°. constat; *Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit eos in omnem ciuitatem.* Respondeo septuaginta discipulos fuisse quidem electos à Christo, vel si mauis, designatos ad Euãgeliũ promulgãdum; nõ tamen vllam propterea iurisdictionem & authoritatem habuisse: immò ne vllum quidem ordinem sacrum, vt ex eo patet, quod ante mortem Christi Sacerdotes creati non fuerint; Soli enim Apostoli in Cœna per

hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacerdotes creati sunt, neque etiam post resurrectionem; nullum enim legimus tunc à Christo ordinatum, sed duntaxat eum potestatem prædicādi, soluendi, atque ligandi iisdem Apostolis contulisse: quò fit vt hi septuaginta discipuli à Christo iam designati ab Apostolis post ascēsionem ordinati fuerint, & iurisdictione atque authoritate muniti, quod Epiphanius hæresi 20ª expresse testatur, dicens: *Philippum, Stephanum, & alios quinque, qui ex septuaginta discipulis erant ad Diaconatum per Apostolos fuisse euectos.* Octauo Anacletus dicit Apostolos, de priuilegiis Ecclesiarum decreuisse, & leges Ecclesiæ Apostolica authoritate firmandas esse, sanxisse: atqui nullæ tunc leges Ecclesiæ conscriptæ erant. Respondeo, etsi nondum fuissent conscriptę ille leges, erant tamē viuæ vocis oraculo ab Apostolis traditæ; Apostoli verò pauca scripserunt, & ex occasione tantùm pro vt vel hæreses, vel abusus exigebant, plurima verò viua voce tradiderunt. Nonò, in concilio Calcedonensi, cùm à Legatis Romanæ Sedis primatus Episcopo Constantinopolitano negaretur, illi non decreta Anacleti, nec aliorum Pontificum, vt quæ totam Ecclesiam ligarent; sed sextum tantum canonem Nycænæ synodi proposuerūt, quo Pontificem Romanum ex canonibus, suprà omnes Ecclesias authoritatem habere probarent? Respondeo quicquid sit de hoc canone 6° (de quo postea.) Primo argumentum Vigorij peti à negatione, ideoque ex præscripto Dialecticorum, nullius esse ponderis aut efficaciæ. Secundo, etsi præsto esset legatis testimonium Anacleti, pro Romanæ Ecclesiæ pri-

matu, maluerunt tamen hunc canonem Nyceni concilij proferre, quod maior vis ſit conſtitutionis concilij generalis, quàm decreti ſolius Pontificis, vt pluribus infrà declarabitur, ſaltem negari non poteſt, quin ad permouendos Calcedonenſes patres Canon Nycenus plus potuerit: audiendo enim concilium Nycænum, ſub Syluestro Romano Pontifice primatum œcumenicum nemine repugnante Sedi Romanæ detuliſſe, facilius ſibi in animum veritatem huius primatus inducere poterant, quàm ſi duntaxat teſtimonium Anacleti Pontificis protuliſſent. Ne fortè nonnulli in Romanam Sedem non adeò propenſi, Anacleto in propria cauſa non eſſe credendum, cum Vigorio & Richerio impudenter obiectarent. Decimo Epiſcoporum iudicia & appellationes ad Sedem Romanam refert Anacletus, & tamen Legati Sedis Apoſtolicæ in concilio Aphricano, cui intererat Auguſtinus, alium canonem Nycænæ ſynodi, non Epiſtolas Decretales Anacleti laudauerunt, vult dicere ad harum appellationum admiſſionem attulerunt. Reſpondeo 1°, hoc argumentum, vt & octauum à negatione peti: ideoque eadem qua affertur facilitate reiici. Hoc autem Anacleti decretum, quòd ſcilicèt maiores cauſæ, vt pote Epiſcoporum, ad Sedem Apoſtolicam referantur, ſanctè & iuſtè latum eſſe, ex eo patet, quod Sardicenſe concilium illudque œcumenicum canone 4 & 7. idem planè conſtituerit, quodque Gelaſius in Epiſtolis ad Fauſtum, & ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribat; *ſecundum canones fieri, quòd totius Eccleſiæ appellationes ad Romanæ Sedis examen referãtur.* Sed de his infrà pluribus.

Ratio cur Legati Papæ in concilio Calcedo, non decretum Anacleti, ſed canonem Nycænum, ad confirmandam Papæ authoritatẽ attulerũt.

Poſtremò, ita contra has Anacleti Epiſtolas exclamat Vigorius. *Quis tam ſtolidus eſt, qui patrum monumẽta legerit, vt non iudicet hæc verba Epiſtolæ, cæteri vero Apoſtoli cum eodem Petro, pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, eſſe deprompta ex Cypriano lib. de vnitate Eccleſiæ: hoc erant vtique Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi honoris & poteſtatis.* Reſpondeo Vigorium hîc ſui oblitum eſſe; nam vt æqualitatem Apoſtolorum cum Petro probet, in quem tanquam in ſcopum toto opere collimat, ſententiam hanc ad tædium vſque inculcat & repetit. Deinde friuolum eſt & ineptum negare hęc verba eſſe Anacleti, quòd eadem à Cypriano centum aut circiter annis poſteà dicta ſint: quaſi verò duo authores eandem ſententiam iiſdem verbis expreſſam tradere non poſſint: quamuis dicendum ſit eundem quidem ſenſum, cum in Anacleto tum in Cypriano, quippe in quibus eadem vigeret fides non eadem verba, extare, vt cuiuis legenti ſatis conſtabit, ſicque neuter ab altero ſentẽtiam illam deprompſit. Sub finem vt ex hoc vno velut ex vnguibus Leo diiudicetur, ex Anacleti epiſtola ineptiſſimam hãc interpretationem verborum Chriſti, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*: de teſtibus aduerſus Epiſcopos producit Vigorius: ſed quàm iniurioſè & malitioſè, qui epiſtolam ſecundam legerit facilè iudicabit. nam ibi non de veris & legitimis teſtibus, ſed de detractoribus & inuidioſis Epiſcoporum accuſatoribus ſub nomine volucrum & vulpium agit, in quibus meritò ait *filium hominis minimè caput ſuum reclinare*, ſeu, vt ipſe loquitur, *non habitare*: nec ipſos pariter in Deo manere; & hæc pro

prima

prima classe epistolarum decretalium.

Iam in secunda à 300. vsque ad 600 non pauciora testimonia proferemus. Primũ Iulij I. epist. 1. ad oriẽtales: *Ipsa namque* (Ecclesia Romana) *omnibus maior & prælata est Ecclesiis, quæ non solùm canonum & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularẽ obtinuit principatũ; Tu es Petrus* (inquit) *& super hãc petrã ædificabo Ecclesiam meã.* Damasi epist. 2. ad Stephanũ & ad concilia Aphricæ (quod nõ leuiter, sed maturè notabit Vigorius) *Oportet nos qui supra domum Domini, hoc est vniuersalem Ecclesiam Catholicam episcopale suscipimus ministerium.* & paulo post: *Scitis (fratres charissimi) firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium Episcoporum Apostolicam sedem esse constitutam & verticem Ecclesiarum.* Innocentij I. ep. 2. ad Victriciũ Rothomagensem episcopum: *Si maiores causæ in medium fuerint deuolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, & beata consuetudo exigit post iudicium episcopale referantur.* Leonis epist. 84 ad Anastasium episcop. Thessalonic. vbi dicit: *Magna prudentia fuisse constitutos Episcopos, Archiepiscopos, & Primates, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam à suo capite dissideret.*

2. Classis Pontificũ pro Ecclesiæ Romanæ primatu.

In tertia classe à 600° anno vsque ad nostra tempora omnes fere quotquot sunt Pontifices adduci possẽt, sed eos non esse fide dignos, cum hęreticis iactant Richerius & Vigorius; quamuis ratione diuersa. Hæretici enim aiunt illis non esse credendum, quia aut Antichristi, aut pseudopõtifices fuerunt: Richerius verò & Vigorius, quia nemini in propria causa credẽdum est, nisi conformiter ad legem naturalem & diuinam

3. Classis Pontificũ pro Ecclesię Romanæ primatu.

loquatur. quod olim à Gersonio & Almaïno responsum esse non ignoro. Verùm prætermissa hæreticorũ intolerabili blasphemia responsio Richerij & Vigorij facilè refellitur, certum quippe est licere Papæ aliisq; principibus iuxta meliorẽ & receptiorem sententiam in causa propria ius dicere: primum ex capit. Cùm venissent. ext. de iudiciis. *Cùm super priuilegiis Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus de ipsis per alios iudicari:* at priuilegia quæ à Sede Apostolica manant non tanti sũnt ponderis, nec ita Pontifici obsunt si negentur, atque quando illius potestas & dignitas negatur, aut in dubium reuocatur: igitur si in priuilegiorum suorum causa iudex sit idoneus & competens, multo magis in defendenda sua dignitate & primatu. Secundò, inferiores iudices nisi recusentur legitimè de suarum dignitatum gradu iudicant, atqui Pontificis conditio non potest, nec debet eorum conditione esse deterior. Tertiò, eadem est in Pontifice potestas pro rebus Ecclesiæ, quę pro temporalibus est in rege: sicut ergo Rex in causa fiscali iudex est legitimus, cap. Nouit de iudiciis: igitur & Pontifex in his quæ ad Sedis Apostolicæ tuendam authoritatem spectant. Quartò, inferioribus Prælatis in causis suarum Ecclesiarũ testificari licet, cap. Insuper. de testibus. Quantò ergo magis supremo Ecclesiæ Pontifici ius suum dicere licebit, vt postquã illud dixerit, subditi sine vlla exceptione statim credere debeant & assentiri. Quinto, Christus ipse cuius summus Pontifex est vicarius, & ad cuius normam & exemplum suas actiones debet componere, de seipso testimonium tulit, quinimmo respondebat exprobrãtibus sibi, verbum nem-

Pontifices esse iudices in causa suæ dignitatis & authoritatis.

pe teſtimonium ſuum verum eſſe, cùm in eo ferendo non ſui, ſed patris gloriam procuraret: atqui Pontifex de Sedis Apoſtolicæ iuribus decernendo, hoc non ad propriam, ſed ad omnium fidelium vtilitatem pręſtat quos neceſſe eſt ſupremũ in rebus Eccleſiaſticis monarcham habere: igitur legitimè de iis poteſt decernere. Sexto, Apoſtolus pro Apoſtolatu ſuo teſtimonium ferre nõ erubuit, nec indecorum putauit ſuum in cælum raptum publicare, cùm hoc ad fideles in Dei cultu ardentiores, & in Eccleſiæ gremio continendos videret eſſe neceſſarium: ergo cùm pariter videat Pontifex authoritatem Sedis Apoſtolicæ vniuerſis per Eccleſiam fidelibus prorſus eſſe neceſſariam, merito authoritatẽ ſuã adſtruet, proprioque decreto confirmabit. Septimo & poſtremò plerique Põtificũ quos recenſuimus tanquam ſanctitate & martyrio clari, in Eccleſia honorantur; ergo credibile non eſt eos ambitione vlla, aut inanis gloriolę vento ſic abreptos fuiſſe, vt ſuæ dignitatis & authoritatis iura plus æquo amplificare ſtuderent aut propugnare. Certum igitur eſt decretis Pontificum pro Sedis Apoſtolicæ dignitate, & in vniuerſam Eccleſiam ſuprema poteſtate, non tantùm honorem & reuerentiam, ſed & obedientiam quibuſuis fidelibus præſtandam eſſe, neque vlli Catholico dubium eſſe debere quin ſummi Pontifices in cauſa propria ius dicere iuſtiſſimè poſſint, & hoc quidem ex omnibus ferè patribus tam Græcis, quàm Latinis probaremus, niſi cumulatiſſimè ab Alberto Pihgio 6. de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 6. Belarmino 2. de Pontifice cap. 15. & 16. & Sandero de viſibili monarchia id factũ eſſe videre-

mus: præsertim cùm Vigorius propter tanta tantorum virorum testimonia ore saltem tenus primatum Petri non abnuat. Duabus ergo rationibus illud vrgere sufficiet. Prior, nemo hactenus fuit, qui se in Ecclesiæ primatu Petri successorem asseruerit, vel qui pro tali vnquam sit habitus præter Romanum Pontificem, qui Petro in vrbe Roma mortuo, quo sedem suam viuus transtulerat, & quam morte sua consecrauerat, & ad apicẽ Apostolatus euexerat, successerit: & quamuis Euodius successerit Petro in Episcopatu Antiocheno, in quo Petrus primùm sedit antequam Romã proficisceretur, non tamen propterea Antiochenus Patriarcha supremum dici debet Ecclesiæ caput. Cùm enim Petrus nunquam cathedram Romanam, vbi primùm Romam appulit, deseruerit, neque eam aliò, vt Antiochenam transtulerit, sed in ea viginti sex annis vsque ad mortem perseuerauerit. Euodius solùm in particulari Episcopatu Petro successit, non autem in vniuersali. Vnde concilium Nycenum can. 6. eum tantum tertium Patriarcham declarauit, sicut anteà erat, nec vnquam altiorem locum in Ecclesia quæsiuit. Posterior ratio, Romanus Pontifex sic se sẽper gessit vt superior esset & haberetur, cæteri verò Episcopi & Patriarchæ vt inferiores in quos ipse summus Pontifex suæ authoritatis gladium distrinxit & exeruit, adeo vt Nicolaus 1.us epistola ad Michaëlem imperatorem octo Patriarchas Constantinopolitanos à Romanis Pontificibus depositos enumeret, inter quos fuit Antimus seu Antemus quem frementibus & furentibus Augusto & Augusta intrepidè Agapetus deposuit, & in eius locum Menam

Patriarcha Antiochenus supremis Patriarcha dici non potest.

Pontifex Romanus in cæteros Patriarchas potestatem exercuit.

vitum ſanctiſſimum ſubſtituit. Liberatus in Breuiario cap. 21. & Zonaras in Iuſtiniano: neque ſolum Conſtantinopolitanos, ſed etiam Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum Patriarchas ſuis ſedibus expulit ipſe Pontifex, vt Flauianum Patriarcham Antiochenum Damaſus ex Theodoreto lib. 5. hiſtoriæ cap. 23. & Romam ad dicendam cauſam venire coëgit, nec ante Pontificis, legatorũque eius conſenſum ſedi ſuæ potuit reſtitui, & Polichronium Hieroſolymitanũ Sixtus tertius ex Actis eius tom. 1. Conciliorum: neque tantum eos quando pecc aſſende- poſuit, ſed etiam ſuis ſedibus, ſi ab aliis quibuſdam iniuſtè eiectos eſſe cõtingeret, reſtituit; vt notum eſt de Athanaſio Alexandrino, Paulo Conſtantinopolitano, & Marcello Anoirano à ſynodis Orientalibus depoſitis quos Iulius primus reſtituit: de Chryſoſtomo item quem Innocentius ab exilio reuocari mandauit, & Arcadium Imperatorem eiuſq; vxorem Eudoxiam propterea anathemate percuſſit, ex Nicephoro lib. 13. cap. 34. Perperam ergo & falsò Vigorius quatuor illos Patriarchas primatui Romani Pontificis ſemper reluctatos eſſe aſſeruit.

Quo iure Romanus Pontifex primatum Eccleſiæ obtineat, & de horum verborum, PRIMAS, PATRIARCHA, VNIVERSALIS, *&* ARCHIEPISCOPVS, *ſignificatione.*

QVÆSTIO VII.

NON eſt hîc quæſtio an iure diuino primatus ita Eccleſiæ Romanæ conueniat, vt quicunque eſt

Episcopus Romanus, sit etiam iure diuino summus Pontifex. de hoc enim Doctores Catholici, & erga Ecclesiam Romanam propensissimi controuersantur. Quidā enim vt Sotus in 4. dist. 24. qu. 2. art. 5. docēt iure diuino non esse annexum hunc supremum Pontificatum Episcopatui Romano, sed tantùm ex facto D. Petri, qui cùm primatum à Christo esset consecutus Antiochenam sedem deseruit, & Romæ sedem suam vsque ad mortem figere voluit: Ideoque dicunt Ecclesiæ constitutione fieri posse, vt summus Pontifex Sedem Romanam cum altera mutare, seu alio transferre possit, aut etiam nulli se sedi mancipare, & addicere instar Pauli qui nusquam sedem statam & fixam habuit: necnon D. Petri quando est à Christo institutus, nulli enim Episcopatui in specie tunc erat mancipatus, ita tamen vt vbicunque degat supremus antistes dicatur & habeatur. Alij vero vt Caietanus tractatu de Papa & concilio multò probabilius sentiunt, iure diuino Episcopatui Romano primatum Ecclesiæ annexum esse, ita vt alio transferri aut ipsomet carere non possit: Itaut vbicumque contingat eum degere semper Romanus antistes maneat, nec vllus alius huius vrbis Episcopatum in solidum, & titulariter (vt vocāt) possit obtinere. Primùm, quia sanctus Marcellus epistola ad Antiochenos scribit, Petrum Domino iubente venisse Romam, Anacletus epist. 2. quam contra Vigorium suprà defendimus, & Sixtus 2. Epist. 1. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis nullisque synodicis constitutis, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Eccle-*

ſias, ac totum Christiani populi gregem aſſecuta eſt. itemque Ambroſius oratione contra Auxentium apologia pro fuga dicit: *Petrum Christi iuſſu Romæ potius quã alibi martyrium pertuliſſe,* quod ex hiſtoria quam referunt Egeſippus 3° de exordio Hieroſolymitano, & ipſe Ambroſius lib. 5. epi. Epiſt. 32. necnõ ex Innocentio capitulo Per venerabilem. qui filij ſunt legitimi, luculenter probatur: narrant enim cùm Petrus carcere ſolutus, Roma exiret Christum illi occurriſſe, & Petro interroganti quo pergeret? reſpondiſſe, *Vado Romam iterum crucifigi.* quo reſponſo D. Petrus ſibi diuinitùs mandari vt Romam reuerteretur, & ibi mortem ſubiret extemplo intellexit, vt nempe morte ſua ſupremum orbis Pontificatum in hac Romana Sede perpetuò ſtabiliret.

Iure diuino annexus eſt ſupremus Pontificatus Romano Epiſcopatui.

Verùm hanc quæſtionem non placet hoc loco pertractare, cùm de hac nullum verbum faciat Vigorius, ſed de altera, an ſcilicet primatus orbis ſummo Pontifici iure tantùm Eccleſiaſtico conueniat, hoc enim nõ minus hęreticè quã temerè affirmat, ſic enim habet cap. 4. pag. 39. *Quæ plenitudinẽ poteſtatis ſpectant Romani Pontificis ea ſpecialiter illi poſtea acceſſerunt, aut à concilijs, aut vſu & conſuetudine, aut propter vrbis amplitudinem, aut ab Imperatoribus.* & pag. 40. *ſiue conſideres hanc plenitudinem poteſtatis, ſiue hanc maximam authoritatem inſignes has denominationes hoc ſupremum tribunal ab Eccleſia illi conceſſa omnia, ita vt rectè dixeris, ſi Papa Primas eſt, id per Eccleſiam; ſi habet plenitudinem poteſtatis, id per Eccleſiam; ſi iudicia Epiſcoporum, id per Eccleſiam.* Et vlterius adhuc progreditur, vt omnes intelligant impudentem ac imperitum Vigorium, Richerium magiſtrum

Vigorius cap. 4. pa. 39. ait iure tantum Eccleſiaſtico Pontificem Romanũ eſſe Eccleſię Primatem.

ſuum, & cuius patrocinium ipſe ſuſcepit in Sedis Apoſtolicæ odio ſuperâſſe: *Superbia eorum qui te oderunt Domine, aſcendit ſemper:* eadem enim pagina multas tantum prouincias orbis Chriſtiani Romano Pontifici ſubiicit: quas pag. 32. recenſet; poſtquam enim Alexandrinum Patriarcham dixit primatum Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, Antiochenum Syriæ, Cereſyriæ, Meſopotamiæ, & vtriuſque Siliciæ, Hieroſolymitanum Paleſtinæ, Arabiæ, & Phœniciæ obtinuiſſe, *reliquas prouincias Orientis, cum omni Occidente, & Aphrica Romano attribuit,* quæ regiones quia cæteris latiùs extenduntur, idcirco eum primum fuiſſe nuncupatum, non tamen quod in cæteros iuriſdictione, & authoritate polleret.

Contra quam hæreſim ſtatuēda eſt hæc concluſio: Iure diuino primatus vniuerſæ Eccleſię Romano Pōtifici cōuenit: quę cōcluſio clara eſt & indubitata, ſupponendo primò debuiſſe aliquem in ſupremo Pontificatu D. Petro ſuccedere, vt Eccleſia in eadem forma regiminis immutabiliter permaneat. Deinde nullum alium eſſe, qui Petro in ſummo Pontificatu præter Romanum Pontificem ſucceſſerit, quæ duo clara certaque ſunt ex ſuperioribus: ex his autem liquidò conſtat eodem iure quo Eccleſiam adminiſtrauit Petrus, nempe diuino, Romanum Pontificem ipſam nūc adminiſtrare: vt enim Petrus non alia authoritate, quàm à Chriſto acceptâ Eccleſiam ſuo tempore gubernauit: ſic neque ſucceſſor eius, nempe Romanus Pontifex, alia quàm Chriſti authoritate Eccleſiam reget & gubernabit. Adde quod qui inſtituit paſtorale quoddam officium ſtabile & perpetuum, non tātùm

Iure diuino Romanus Pontifex eſt Primas vniuerſalis Eccleſiæ.

primo

primo cui visibiliter istud officium committit, authoritatem confert; sed etiam omnibus, quotquot futuri sunt, illius successoribus: at Christus Pastorale officium in perpetuum stabiliuit; desiperet enim immo execranda blasphemia seipsum infamaret, quisquis Ecclesiam Christi Domini sponsam vnice dilectam, & pro qua sanguinem fudit, pro tempore tantùm D. Petri pastore supremo curam omnium vniuersaliter gerente, ab eodem Christo donatam assereret: eodem ergo iure quo Petrus, summus Pontifex qui nunc sedet, & qui toto futuro tempore sessurus est, rempublicam Christianam administrabit. Quod ex patribus, conciliis, decretis manifestissimè patet, dist.22. canone Sacrosancta, & canone In nouo, dist.21. *In nouo Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quæ duo Anacleti decreta conuellere voluit Vigorius, sed frustra, vt supra demonstrauimus ex Ambrosio in priorem ad Timoth. cap.3. tractans illud, *vt scias queadmodum oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis.* Cùm totus mundus (inquit) Dei sit, Ecclesia „ tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Da- „ masus, mundus enim in præuaricatione est diuerso „ errore turbatus, quasi diceret Ecclesiam Romanam „ propterea specialiter domum Dei vocari: quia eam Christus fundauit, & ibi Christus per fidem habitat, & quia Romanæ Ecclesiæ ex officio incumbit, alios emendare, & ab errore reuocare Hieronymus ad Damasum: *Ego nullum primum nisi Christum sequens,*

beatitudini tuæ, id est Petri Cathedræ, communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio:, & infrà. *Quicunq; tecum non colligit, spargit; hoc est qui Christi non est, antichristi est:* vbi lectorem pium ac studiosum velim aduertere, Hieronymum pro eodem Christum & Pontificem, quantùm ad potestatem administrationis Ecclesiæ, & quantùm ad fidem contra hæreticos decernendam, sumere. quod apertiùs refert aduersus Ruffinum, vbi de Romana cathedra verba faciens: *Quæ semper* (inquit) *immaculata permansit, & Domino prouidente, ac beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit:* Leo 1us epist. 88. ad Anastasium Thessalonicensem; *Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares.* Bernardus epist. 237. ad Eugenium, *Locus in quo stas terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius.* Cur autem Ecclesia Romana locus Petri prædicatur? nisi quia Pontifex in ea sedens, eiusdem est cum Petro authoritatis, & à quo Petrus primatum habuit, ab eodem Pontifex accepit. & Epistola 242. ad Romanos, cùm contra Pontificem Innocentium rebellâssent, & Petrum Leonis sub nomine Anacleti pro pontifice assumpsissent: *Cur Regem terræ, cur Dominum cæli, furore tam intolerabili, quàm irrationabili, in vos pariter prouocatis? Dum sacram & Apostolicam Sedem diuinis regalibusque priuilegijs singulariter sublimatam ausu sacrilego incessere, suoque minuere honore contenditis?* & epist. 131. ad Mediolanenses, *Plenitudo pote-*

statis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua (ea nempe qua Petrus à Christo est honoratus) *Apostolicæ Sedi donata est: qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit:* Atque vt alia antiquitatis testimonia, magno numero à magnis Doctoribus collecta omittam, Lateranensi Concilio de summa Trinitate, & fide Catholica, capitulo Damnamus, *Ex certissima & infallibili Ecclesiæ sententia, Deo ipso disponente, Romana Ecclesia mater & magistra omnium Ecclesiarum definitur.* Vnde constat Vigorium, cùm non à Christo, sed à conciliis & consuetudine, concessione principum, aut vrbis antiquitate & præeminentia summum Pontificem, qui à Romano alius non est, in Ecclesiam authoritatem accepisse ait, contra fidem tot testimoniis roboratam, & omnium populorum consensu firmatam apertissimè pugnare, sed quæ in patrocinium huius hæreseos adducit paululum attendamus, præsertim cùm hoc apologetico opere obiectiones magis refellere, quàm veritatem fidei confirmare nobis sit propositum.

Soluuntur argumenta Vigorij, quibus volebat Episcopum Romanũ, non esse iure diuino supremum Ecclesiæ Pastorem.

Primùm autem, quod D. Petrus post Christi Ascensionem ab Apostolis in Primatem electus sit iam refutauimus. Secundum ergo sumitur ex variis canonibus, quorum multitudine lectori fucum facere nititur, sed eorum nullus intentũ euincit; neque enim ex vllo efficitur ab Ecclesiæ ordinatione Põtifici Romano supremam in Ecclesiam potestatem accessisse, sed solùm eam quę ei iure diuino conueniebat, declaratam & patefactam fuisse, vt in primis constat ex l. Inter claras. C. de summa Trinit. & fide Catholica. *Ecclesiam Romanam esse omnium Ecclesiarum caput, &*

patrum regulæ, & principum statuta declarant; Audi, declarant, non statuunt; declarant, non conferunt; declarant, non instituunt. Quinimmò, vt eo quo nos iaculo ferire putat, eum referiamus; ex hac patrum declaratione potestatis à Christo Ecclesiæ Romanæ concessæ, firmum eruitur argumentum: quî enim ipsa ex patrum regulis & statutis principum legitimè declarari potuisset, nisi iam illi conuenisset? & quomodo iam cõuenisset, nisi à Christo vt instituta, sic & collata fuisset? Canonis *Conquestus* 9ª. quæst. 3ª. sensum detorquet, & mala fide profert; ibi enim tantùm agitur de primatibus & Patriarchis aliis à Romano; vt ex eo manifestè constat, quòd à Nicolao Papa canon ille aduersus Radulphum patriarcham Bituricensem editus sit, qui Clericos & Sacerdotes Archiepiscopi Narbonensis ad fori sui iudicium eo inconsulto compellebat: Pontifex Romanus hoc canone Conquestus, ne Bituricensis Patriarcha istud de cætero præsumat, prohibet; *Primates enim & Patriarchæ* (inquit) *nihil præ cæteris Episcopis priuilegij habent nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis contulit.* Vbi apparet eum duntaxat de primatibus & Patriarchis aliis à Romano agere, magisque adhuc ex subsequentibus constat, vbi hic loquitur Nicolaus, *Vt secundum Nycænas regulas sua priuilegia seruentur Ecclesiis, præterquam si Apostolica Sedes,* id est Romana, *aliquam Ecclesiam vel ipsius rectorem quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare.* Igitur contra Vigorij intentum, quod toto hoc opere seriò est animaduertendum, regulis primi concilij generalis Nycæni, tanquam Euangelium à D. Gregorio habiti, Pontifex

Romanus minimè teneatur: Turpius adhuc Glossam canonis Dudum 3ª. quæst. 6ª. deprauat; eam enim truncat in ea ipsa parte quæ contra ipsum pugnat, & statum quæstionis apertè dissoluit. Glossa itaque explicans verba canonis huius Dudum, quibus Iulius Pontifex ait, concilia potestatem Romano antistiti dedisse: ita loquitur; *Sic ergo concilia dederunt authoritatem Pontificibus, quod verum est*(inquit)*secundariò, sed ipse Christus principaliter.*

Ex concilio Sardicensi dicit, decretas fuisse appellationes ad Romanum Patriarcham canone 3. 4. & 5. Verùm ex hoc non legitimè infertur appellationes ad Pontificem ante concilium Sardicense in vsu non fuisse: hoc enim falsum est, tum quia iure diuino permittitur, vt Episcopi iniuriam passi ad summum Romani Pontificis tribunal prouocent, vt patet ex Christi verbis; *Pasce oues meas;* per oues enim agnorum matres, Episcopos intelligimus, quibus ex officio incumbit filios spiritales Christo quotidie suscitare: tum quia ante concilium Sardicense variæ Episcoporum & Presbyterorum appellationes ad Apostolicam Sedem in vsu fuerunt: vt Martionis appellatio ad PIVM I. Fortunati & Fœlicis in Aphrica ad Cornelium, Basilidis Hyspani, & ab Hyspaniæ Prælatis depositi ad Stephanum, Athanasij deniq; ad Iulium vnde manifestum est Sardicenses concilij patres, de iure appellationum nihil nouiter statuisse, sed tantùm vsum illius quo ad Romanum Pontificem toto orbe appellabatur, declarâsse; cum enim plerique nec immeritò, dubitarent, an Ecclesiæ vniuersali conducerent istæ ad ROMANUM Pontificem appellationes,

Appellationes ad Pontificē Romanū, non cœperunt à concilio Sardicēsi.

ne si absque vllo delectu & discrimine omnes admitterentur, nullus litigandi finis esset, & ne ex his appellationibus Sacerdotum litiumque multitudine, & immortalitate scandalum maximum Ecclesię accederet, cùm satius sit Sacerdotes ex concilio Apostoli iniuriam pati, quàm eam cum tanto scandalo propulsare, ob quam causam meritò dixit Bernardus appellationem in ore monachi nunquam esse audiendam: alia vero ex parte iustus esset metus, ne si omnis appellandi potestas adimeretur, inferiores iudices, quales sunt Episcopi, tyrannidis occasionem sumerent: in Sardicensi concilio conclusum fuit pro appellationibus admittendis, tanquam Ecclesiæ gubernationi apprimè conducentibus: tantùm autem abest, vt concilium illud potestatem fecerit Romano Pontifici has appellationes admittendi, quinimmò illam apertè tanquam illi iam conuenientem supponit: sic enim canone 5° scribitur, Placuit vt si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati eius regionis eum gradu mouerint, & veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanum Episcopū, & velit ipsum audire, & iustum esse existimauerit, eius rei examinationem renouari, quo Episcopi qui sunt prouinciæ scribere dignabitur. vbi quæso verbum de appellationum admittendarum potestate à concilio Pontifici collata? de his pluribus ex professo agemus, 3ª. parte de disciplina Ecclesiastica. Et hactenus de conciliis quibus primatum Pontifici tributum contendit Vigorius.

Iam quòd vsus, & consuetudo eundem Pontifici tribuerint, probat ex 6° canone concilij Nyceni, quo quidem prouincias quasdam subiectas Pontificibus

Romanis ex vſu & conſuetudine teſtatur, tenor canonis eſt: *Antiqui mores ſeruentur qui ſunt in Ægypto, Libia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum.* Reſpondimus horum verborum, *Quoniã Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, ſenſum non eſſe quòd vterque, Alexandrinus ſcilicet, & Romanus Patriarcha æquales ſint, contrarium enim ſatis ex eo conſtat, quod S. Dionyſius Alexandrinus, apud Pontificem Romanum nomine Dionyſium accuſatus iudicium illius ſubierit, nec contra accuſatorem quaſi illud Romano Pontifici non competeret, exceperit, ſed omninò eius ſententiæ acquieuerit. floruit autem prædictus Dionyſius ſexaginta circiter annis ante concilium Nycænum. Vt autem germanus huius canonis ſenſus intelligatur, notandum eſt Romanum Pontificem præter ſummum totius orbis Pontificatum, cuius beneficio in quoſlibet Patriarchas ius habet, tribus aliis dignitatibus inſtructum eſſe & decoratum. Prima, quòd ſit Epiſcopus vrbis Romæ, ſecunda quòd Archiepiſcopus, & tertia quòd Patriarcha, quatenus Epiſcopus poteſtas eius diſtrictu Romano coërcetur, vt Archiepiſcopus latius ſe extendit; ſic enim vicini Epiſcopi ei ſpecialius quàm reliqui totius orbis ſubiiciuntur: quatenus vero Patriarcha quaſdam prouincias, vt & reliqui patriarchæ ſub ſuo regimine habet, multo tamen ampliores quàm alij, in his tribus parilis illi mos eſt iuxta antiquos canones, cùm Alexandrino & cæteris Patriarchis, prout nempe ſuis prouinciis, vt Patriarchæ præeſt, & præeſſet ad modum cæterorum Patriarcharum: etiam ſi

ad apicem Apostolatus non esset euectus, & hoc tantùm canon ille sextus voluit, non autem quod in summo Pontificatu quem à Christo iure diuino accepit, æqualis sit cæteris Patriarchis.

Summus Pontifex, nō est ab Imperatoribus institutus.

Quod ab Imperatoribus primatum Pontifex obtinuerit Vigorius contendit ex canone Constantinus 96ª. distinctione, & l. Inter claras, quæ est Iustiniani, & Phocæ vt testantur Beda, libro de ratione temporum, & Paulus Diaconus lib. 18. sed quod spectat ad canon. Constantinus, palea est, nec in scholis inquit Glossa, legitur ea in parte quà Romanum Pōtificem ab Imperatore primatum Ecclesiæ accepisse ait, & quidem meritò. certū enim est Christum Deum & non Constantinum hominem Pontifici Romano, vt ex dictis liquet, primatum concessisse. Vnde non absque ratione pleriq; sustinent canonem hunc, vbi donationis Constantini mētio fit, à Græcis in odium Romani Pontificis mutilatum, ac deprauatum fuisse, cum præterea ibi falsò asseratur Constantinopolitanam Ecclesiam Patriarchali dignitate ab eodem Constantino donatam fuisse, tunc enim hæc Ecclesia non Constantinopolitana, eam quippe Constantinus nondum pro domicilio Romanorum Imperatorum selegerat, sed Bisantinà dicebatur: & contra Anatolium: cui post concilium Calcedonense dignitatem Patriarchalem ambienti fortiter à Leone Gelasio, aliisq; Romanis Pōtificibus reclamatum fuit: qua ergo ratione concessio hæc Patriarchatus Ecclesiæ Bisantinæ falsi arguitur, eadem etiam concessio primatus totius orbis Ecclesiæ Romanæ reprehenditur. Adde quod hoc canone Constātinus, statim ab initio

saltem

ſaltem ante huiuſce donationis mentionem Syluestrum Papam, ſemel & iterum vniuerſalem Epiſcopum, & quod amplius eſt, Petrum Vicarium Chriſti appellet, & eam ob rem ſucceſſores eius principes, & capita Eccleſiæ vult ab omnibus haberi. Itaque Conſtantinus Imperator ius antiquum ſolummodo declarauit, & Pontificem Romanum multis temporalibus donis auxit: aliud autem nihil edixerunt Iuſtinianus & Phocas, quippe qui non aliquid noui inſtituendo, ſed tantùm aſſerendo & declarando, quod Pontifici iure diuino competebat, edixerunt. Quod verò attinet ad Phocam, ſanctionem illam pro vniuerſali Romani Pontificis primatu in odium Patriarcharum Conſtantinopolitanorum condidit, qui ambitione iniuſtiſſima contra ius, & fas omne ſe vniuerſales Epiſcopos præſumebant, nec anathemate Pelagij, & D. Gregorij frangi poterant, ideo æquum eſſe putauit Phocas aduerſus eos in gratiam Pontificum Romanorum edicere: ita vt edicto ſuo potius ſuperbiam iſtorum Patriarcharum reprimere ſtatuerit, eos ſcilicèt Patriarchas duntaxat particulares declarãdo, quàm aliquid nouò Romano Pontifici indulſerit, vt conſtat ex epiſt. 63. D. Gregorij lib. 7. ante Imperium Phocæ quinque annis aut circiter data; *De ſede Conſtantinopolitana* (inquit) *quis dubitet eam Apoſtolicæ Sedi eſſe ſubiectam, quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater meus Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur.* Non ergo Phocas ſuprà Conſtantinopolitanum Patriarcham Romanum Pontificem decreto ſuo cõſtituit, ſed quod in Eccleſia iamdudum à Chriſto & Apoſtolis receptum erat, denuò voluit contra

Conſtantinopolitanam ambitionem confirmare & declarare.

Sub finem obiicit Vigorius à concilio Calcedonenſi, & à ſubſequentibus patribus conceſſum eſſe Romanis Pontificibus, vt dicerentur Papæ vniuerſales, ſicut teſtatur Gregorius epiſt. 30. lib. 7. igitur non à Chriſto, ſed ab hominibus primatum habet Pontifex. Primò, vox illa, œcumenicum ſeu Vniuerſale, cum ſit ambigua, priùs eſt diſtinguenda; aliquando enim ſumitur pro ſolo eoque vnico, & ſingulari Patriarcha, præter quem nemo alius, cuique reliqui ita ſubſunt, vt non fratres & collegæ in adminiſtratione, ſed filij potius nominentur, quo ſenſu ſolus Chriſtus dicitur vniuerſalis Patriarcha ſeu vniuerſale caput Eccleſiæ, nullus enim eſt nequidem Pontifex Romanus, qui ſe fratrem aut collegam Chriſti appellare præſumat, ſed omnes filiorum ſeu potius ſeruorum nomine in eius conſpectum veniunt, & quiſquis inter homines cuiuſcunque eſſet dignitatis ſe hoc modo vniuerſalem præſumeret, in ſuperbiam & arrogantiam antichriſti incideret. Altero modo ſumitur Vniuerſale quatenus remanentibus integris partibus ipſum cæteris ſupereminet, & in eas pro directione & regimine influit, quo ſenſu Pontifici Romano quarto modo propria eſt dignitas œcumenici, quippe cui cura vniuerſalis gregis dominici ex commiſſione, & inſtitutione Chriſti incumbit. Nomẽ autem Vniuerſalis, hac poſteriori ſignificatione à pleriſque Pontificibus nonnunquam fuit vſurpatum, & quidem multò ante concilium Calcedonenſe, vt Sixto 1° martyre his verbis: *Sixtus vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus*

Quo ſenſu Romanus Pontifex, ſit œcumenicus, ſeu vniuerſalis Epiſcopus.

Episcopis in Domino salutem. à Victore 2°, hîc enim se Episcopum Episcoporum, quod œcumenico æquipollet, nominat. ex Tertuliano cap. 1° libri de pudicitia. *Audio* (inquit) *etiam edictum propositum, & quidem peremptorium Pontifex scilicet maximus Episcopus Episcoporum:* quæ verba siue sint Tertuliani; siue, quod probabilius, edicti ipsius Victoris, satis superque arguunt nomen œcumenicum Pōtifici Romano tunc non fuisse nouum aut inusitatum: & Leone 1. epist. 54. ad Martianum Augustum, *Leo Episcopus Romæ & vniuersalis Ecclesiæ.* quæ verba non tantùm in Latino codice, sed & in Græcis exemplaribus extant. Cæterùm nomen hoc vniuersalis in posteriori significatione sumptum, non ita vsurpandum est quasi reliqui totius orbis Episcopi sint Romani Pontificis vicarij, aut ad nutum eius suas Ecclesias regant; hoc enim sensu nomen vniuersalis, nulli, nequidem Pontifici Romano conuenit: quippe cùm non obstante illius in vniuersam Ecclesiam potestate alij Episcopi semper sint optimates, & in solidum suas Ecclesias teneāt: nomen Vniuersalis, hoc sensu vsurpatum meritò carpit D. Gregorius, tanquam fastum & superbiam præ se ferens, vt ex verbis illius apertè colligitur. *Ecce in præfatione epistolæ quam ad me ipsum qui prohibui direxisti, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicens imprimere curasti, quod peto mihi vltra sanctitas vestra non faciat, quia vobis substrahitur quod alteri plusquā ratio exigit, præbetur.* Et paulò pòst: *Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum* (id est Patriarcham in totam Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim) *recedant verba quæ vanitatem*

inflant, & charitatem vulnerant: idemque ante Gregorium prohibuerat Pelagius, ex 99ª. dist. can. Nullus. *Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur, quia si summus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum cæteris derogatur.* Debet itaque nomen hoc Vniuersalis sumi, vt iam insinuauimus, quatenus reliquis Ecclesiæ Prælatis in integrum remanentibus, tanquam caput cæteris humani corporis partibus, supereminet: Sicut enim reliqua coporis membra quæmuis ab influxu capitis pendeant, propria munia obeunt, & quidem quandiu vita in eis seruatur: sic & Episcopi proprium munus & dignitatem seruare non desinunt, quamuis à Pontifice, tanquam vniuersali capite dependeant, & omnis eorum potestas ab eo deriuetur. Quod autem dicit Gregorius; *Per sanctam Calcedonensem synodum Pontifici Sedis Apostolicæ nomen vniuersalis oblatum fuisse, sed à nullo prædecessorum suorum vnquam acceptum*; hoc non ita intelligendum est, quasi nullus Romanorum Pontificum eo œcumenico titulo ex solemni ritu nusquam, in inscriptionibus, vel subscriptionibus vsus sit, cùm eo nonnunquam vt iam ostendimus, Sixtus Iᵘˢ, Victor IIᵘˢ, & Leo I. vsi fuerint.

Dices, cur ergo Gregorius ab eo nomine tantopere abhorruit, præsertim cùm sciret à patribus Calcedonensibus non in priori significatione, sed in posteriori oblatum? Respondeo, id fecisse ex animi summa demissione & humilitate, eadem nempe qua epistola 31ª. ad Mauritium Imperatorem lib. 4. se Sacerdotem esse negabat; cùm enim vellet Ioannis Constantinopolitani arrogantiam frangere, efficaciori

remedio, ad eam frangendam ipſe qui ſummus erat paſtor,&cui iure diuino vniuerſalis primatus competebat, vti non potuit, quàm contraria contrariis, ſecundum præſcriptum Medicorum curando, id eſt, procul à ſe huiuſmodi vniuerſalis titulum abiiciendo, quãuis ab aliis Põtificibus iſtud legitimè vſurpatũ fuiſſet, & eo legitimè ſimiliter vti potuiſſet. Obiicies 99. diſtinct.can.Primæ ſedis, haberi, vniuerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur. Reſpondeo primùm hæc verba non eſſe concilij Aphricani, ſed à Gratiano addita, vt ex can. 26. eiuſdẽ concilij patet, in quo hæc nõ legũtur; quo fit vt in textu Gratiani iſtud à reliquo canonis corpore diſiunctũ & præciſum inueniatur. Secũdò, quãuis hæc verba eſſent cõcilij, non tamen potuit conciliũ Aphricanũ prouinciale leges Romano Põtifici præſcribere, cũ Eccleſia Aphricana Romanæ Sedis decreta potius obſeruare, quàm aliqua ei imponere teneatur. Vnde conſtat Siricium Papam epiſt.ad Aphricanos Romanorum conciliorum decretorum obſeruationem iis iniunxiſſe, nihil tamen Aphricanam Eccleſiam Romanæ Eccleſiæ vnquam præſcripſiſſe legitur.

Cæterùm non tantùm nomen œcumenici ſummo Pontifici denegat Vigorius (licèt ore tenus initio commentarij idem ei tribuat) ſed etiam Primatis nomen, quatenus monarchiam denotat: vbi per monarchiam, ſicut ex eius contextu liquet, intelligit poteſtatem & authoritatem: ſic enim loquitur; *Quod autem Archiepiſcopus Tarentinus Papam eſſe caput & primatem eſſe dicit, nego apud probatos authores, primatum illa notione vnquam vſurpatum, vt monarchiam ſignificaret;*

Nam non solùm Romanus Pontifex primas est, sed etiam alij Episcopi primarum ciuitatum. Ex quo paulò pòst infert; *Primatum obtinere Pontificem, vt inter alios Episcopos, sed & illos primates primus sit, & caput, quemadmodum & inter Apostolos Petrus*: absque vlla scilicet authoritate: cuius cùm falsitas ex supra dictis manifesta sit, tantùm in notatione huius nominis (Primas) lubet immorari. Quod vt apertius explicetur, sciendum est, cùm à Philosophis tum à Iurisconsultis varia priorum genera distingui: quædam enim dicuntur priora tempore (nam de natura prioribus, quippe quæ vix à quoquam discerni possint non agimus.) Vt quæ sunt antiquiora: quædam dignitate vt nobiles respectu ignobilium: quædam denique potestate & iurisdictione, vt Rex respectu subditorum; constat autem summum Pontificem non esse cæteris primatibus & Patriarchis tempore priorem: Orientalis enim Ecclesia prior est eo sensu Occidentali; priùs enim Christus Orienti, quàm Romæ illuxit, & Hierosolymam atque Antiochiam Petrus Euangelij lumine priùs collustrauit, quàm Romanam Occidentalem Ecclesiam; adeo vt eo genere prioris Hierosolymitanus Patriarcha primus sit, & Antiochenus prior quā Romanus, qui hoc genere prioris duntaxat præcedit Alexandrinum. Alexandrinam enim Ecclesiam Petrus cùm iam Romę degeret opera sancti Marci Christo per Euangelium peperit. Verùm cum inter primates Hierosolymitanus quarto loco ponatur, nomē primatis, iuxta communem loquendi vsum in Ecclesia, ad istam temporis prioritatem non extenditur. Quod ad secundam prioris acceptionem, honoris nempe & di-

Cap. 3. num. 15. pag. 28.

De nomine Primatis.

gnitatis, innuit Vigorius nomen Primatis ex antiquo Ecclesiæ vsu in ea significatione fuisse acceptum, ita vt ille solùm diceretur in Ecclesia Primas, qui vel ordine alios Episcopos excederet, vel vrbi primarię absque vlla in alias vrbes iurisdictione præsideret, vel Ecclesiæ ab aliquo Apostolorum fundatæ præesset. Quamuis autem fateamur in Ecclesia nonnunquam tales præsules nomine Primatum venisse, ex canone Nulli 99ª. distinctione; nihilominus iam ex accommodatione vsus, quidquid in contrarium obganniat Vigorius, Primatis nomen in Ecclesia potestatem & iurisdictionem significat: ita vt primates non tantum honore & dignitate, sed etiam potestate & iurisdictione aliis pręcellant. canone Vrbes. dist. 80ª. *Vrbes & loca in quibus primates & moderni præsidere debent, non à modernis, &c.* canone *In illis*, eadem distinct. *In illis verò ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi flamines, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum primates, vel Patriarchas beatus Petrus poni præcepit, qui reliquorum causas Episcoporum, & maiora fidei negotia agitarent.* Quo canone duo notantur: Primum, nomen Primatis à prima sui institutione, non tantùm honorem & dignitatem, sed etiam iurisdictionem arguere: scilicet erga illas ciuitates quę huic primariæ subiectę erant, etiamsi in ipsis vrbibus aliqui præessent Episcopi. Secundò D. Petrum ideo in his vrbibus Primates, aut Patriarchas instituisse, quia iam apud Gentiles primariæ habebantur; gratia enim quoad fieri potest naturæ debet accommodari; quamobrem cùm Romanus Pontifex nemine reclamante Primatis nomine, & quidem multò excellentius quàm quiuis alius

ſemper venerit, & in vrbe quæ omnibus dominabatur Gentibus Sedem Apoſtolicam fixerit, cõſtat eum ſuprà quemlibet alium Patriarcham iuriſdictionem habere;& quamuis nomen hoc quibuſdam aliis Epiſcopis tribuatur, vt Lugdunenſi qui Galliarum, Rothomagenſi qui Normaniæ, Bituricenſi qui Aquitaniæ Primates dicuntur; non tamen ſimpliciter, ſed tantum ex addito (vt loquuntur) illis cõuenit, vt Primas Galliarum, Normaniæ, aut Aquitaniæ. At Romanus Pontifex antonomaſticos dicitur Primas, vel ſi quid addatur, vniuerſalitatem primatus demõſtrat; neque enim ex alicuius prouinciæ deſignatione, ſed ex nomine vniuerſali Eccleſiæ nempe, vel orbis fit additio.

Quo pacto alij à Romano Pontifice dicantur Primates.

Dices, ſi nomen Primatis poteſtatem ſignificet: ergo Primates principes Sacerdotum legitimè vocabuntur, quod tamen vetat canon 26. concilij 3. Carthaginenſis. *Primæ Sedis Epiſcopus non appelletur princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid eiuſmodi, ſed tantùm primus Epiſcopus.* Reſpondeo 1° hoc concilium nationale non œcumenicum fuiſſe, ideoque leges Eccleſiæ Aphricanæ præſcribere tantùm potuiſſe. Secundò, eo canone duntaxat prohibetur, ne Metropolitanus Aphricæ, nempe Carthaginenſis Epiſcopus, qui Mauritaniæ & Numidiæ præerat, princeps Sacerdotum vocetur, nullus autem ibi de Romano Pontifice ſermo eſt. Tertiò, ſicut Chriſtus per hæc verba, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, Eccleſiaſticam Hierarchiam confundere noluit, ſed mẽtis duntaxat tumorem curare, & præſidum ſuperbiam retundere: atque vt Prælati Eccleſiæ

rebus

rebus magis quàm inanibus titulis gloriæque velificationibus à Christiana charitate abhorrentibus studerent. Sic Aphricana Ecclesia suos Episcopos moribus magis quàm verbis florere cupiens, inter communia Episcoporum nomina ea respui mãdauit quæ superbiá & arrogantiá pręfecturaChristiana indigná præ se ferrent, quale est Summi Sacerdotis, autPrincipis sacerdotum nomen,quo mens Episcopalis, nisi sibi diligẽtiùs caueat, interiùs & exteriùs attolli potest. Quod attinet ad nomen Patriarchę, idẽ est acPrimas, saltem à prima origine; etsi enim Archiepiscopi olim vocarentur Patriarchæ ex Iustinia. Nou. 11. & 123: *Iubemus* (inquit) *beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est, senioris Romæ & Constantinopoleos, & Alexãdriæ & Theopoleos*, i. Antiochię, *& Hierosolymis*. & Nouel. 16 *Iustinianus Augustus Anthemio sanctiss° & beatiss° Archiepiscopo Constantinopolitano & Vniuersali Patriarchæ.* Et in Concilio Matisconensi sub Guntrano Galliæ Rege: *In Gallia Archiepiscopus Lugdunensis Patriarcha vocetur.* Vsus tamẽ iam inualuit vt hi quinque Patriarcharum nomine venerint, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopol. & Hierosolymitanus: cæteri verò primariarum ciuitatum Episcopi, Archiepiscopi dicti sunt; itavt Patriarchæ Archiepiscopis iam præsint, & patres Episcoporum & Archiepiscoporum habeantur: ita tamen vt etsi inter quatuor posteriores ordo solùm dignitatis reluceat; Romanus tamen Pontifex inter eos non solùm honore, sed etiã iurisdictione primus sit: cum iure diuino, vt iam abũdè demonstrauimus in quoslibet prælatos quãtalibet dignitate polleat authoritatem habeat.

De nomine Patriarchæ.

An, & quo sensu Romanus Pontifex sit caput Ecclesiæ ministeriale, minus præcipuum, primarium & instrumentarium.

QVÆSTIO VIII.

NVSQVAM à Catholicis in dubium reuocatũ est quin Christus sit caput Ecclesiæ principale, Pontifex vero minùs præcipuum. Ad Collocens.2°. *Repleti estis in illo qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum, & connexum crescit in augmentum Dei.* & ad Ephes.1. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius.* Vnde cùm sint quatuor capitis conditiones, supereminere reliquis partibus corporis, influere in eas, eiusdem naturæ cum iis esse, & esse iis omnibus præstantius: hæ omnes Christo respectu Ecclesiæ apprimè quadrant, & quidem in situ supereminet corporaliter non tantùm hominibus, sed etiam Angelis, vt ex testimoniis aliis cõstat, & ex eo quod super omnes cælos ex Apostolo caput habeat eleuatum: pro influxu certum est in reliqua Ecclesiæ membra iugiter influere. Ioan.1°. *De plenitudine eius nos omnes accipimus.* In natura autem conuenientiam habet, quia eiusdem est per incarnationem nobiscum naturæ, per omnia assimilatus fratribus, excepto peccato, quod præclarè explicat Augustinus ad hæc verba Ioan.13. *Ego sum vitis vera, & vos palmites:* vbi Christũ docet esse caput Ecclesiæ, *eo quod vnius naturæ sunt vitis & palmites, propter quod cùm esset Deus: cuius naturæ non sumus, factus est homo, vt*

Christus est caput Ecclesiæ præcipuũ summus vero Pontifex minus præcipuum.

in eo esset vitis humana natura: cuius & nos palmites esse possemus. Denique in perfectione, quia in ipso omnis plenitudo deitatis inhabitat. & ad Collocens. 2. *In quo thesauri sapientiæ & sciētiæ sunt recōditi.* Quod autē Pontifex comparatione Christi, sit caput minus præcipuum, ex eo patet, quod conditiones capitis, non ita ei ac Christo conueniunt, nec enim in eo gradu quo Christus Ecclesiæ supereminet, nec eodem modo in singula membra influit, & quamuis eiusdem sit naturæ nobiscum, hæc tamen non ita intimè cum nostra vnitur & coniungitur, vt natura Christi quæ per Eucharistiam intimè nobiscum vnitur & veluti incorporatur.

Secundò, nusquam hactenus in Ecclesia dubitatum est: Christum esse Ecclesiæ caput essentiale, id est Ecclesiam, ordinem & dependentiam continuam à Christo essentialiter habere: Tum quia Ecclesia prioris ad Corinth. 12°. vocatur corpus Christi: sicut enim corpus vnum est, & multa membra habet; omnia autem membra sunt vnum corpus, ita & Christus: tum quia quod in ædificio est fundamentum, siue Petra, hoc in corpore, siue naturali, siue mystico est caput, vt docuimus; atqui Christus est fundamentum Ecclesiæ, præter quod nemo aliud potest, saltem in pari gradu constituere, 1ª. ad Corinth. 3°. igitur est caput Ecclesiæ essentialiter necessarium: Tum quia illud ad essentiam alicuius pertinet, sine quo ne quidem momento potest subsistere: at absque Christo eiusque continuo influxu, & moderatione ne minimo quidem instanti potest Ecclesia subsistere: *Sicut enim palmes non potest fructum ferre nisi in vite man-*

Christus est caput Ecclesiæ essentiale.

Ioan. 15.

ferit; sic nec vos nisi in me manseritis. Tum demum quia illud apertè docet Augustinus in Psal. 86. *Noueritis quia fundamentum Christus Dominus, & primum & maximũ est, fundamentũ inquit, Apostolus, nemo potest ponere præter id quod iam positũ est, quod est* IESVS CHRISTVS. Igitur est caput Ecclesiæ essentiale. Quinimmo ex eo quod est præcipuũ satis colligitur esse essentiale; partes enim corporis humani præcipuæ, vt cerebrũ, cor, hepar, illi prorsus essentialiter conueniunt. Tertiò nusquam pariter est dubitatum summum Põtificem esse caput ministeriale, omnes enim quotquot sunt illud fatentur (quamuis Vigorius & Richerius doctoribus Catholicis qui stant à partibus Pontificis cõtrarium affingant) prior. ad Corin. 2. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum eius.* vbi Paulus tam de se quàm de reliquis Apostolis ac de Petro ipso loquitur. Lucæ 10 Apostoli œconomi & dispensatores vocantur: *Quis putas est fidelis seruus & prudẽs quem constituit Dominus super familiam suam.* ad Heb. 19. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem de animabus vestris reddituri.* Ex quo necessariò efficitur nullũ præpositum nequidẽ Papã esse absolutè dominum Ecclesiæ, sed tãtùm illius ministrum, & veluti comparatione Christi, proregem.

Summus Pontifex est caput Ecclesiæ ministeriale.

Controuersia in duobus consistit: Primùm, An ita Pontifex sit caput Ecclesiæ ministeriale, vt suam potestatem ab Ecclesia mutuetur, an verò à Christo. Cui respondendum est, de fide esse, eum esse caput ministeriale respectu Christi, nõ Ecclesiæ, id est, à Christo, non ab Ecclesia suam potestatem accepisse, quod suprà satis ostendimus, & iam apertè probatur ex eo

Pontifex nõ est caput ministeriale Ecclesiæ per ipsam Ecclesiam sed per Christũ.

quòd Pontifex non eſt Vicarius Eccleſiæ vt in concilio Conſtantienſi, contra Boëmos & Vvicleſum eſt definitum, condamnata hac propoſitione. *Quod Papa ſit ſummus Pontifex eſt ridiculum, & Chriſtus nec in Petro, nec in alio talem approbauit dignitatem*: tum quia illud idem præclarè docet Baſilius Homilia de pœnitentia, vltima variorum argumentorum. *Licèt* (inquit) *Petrus Petra eſſet, non tamen Petra erat vt Chriſtus. nam Chriſtus verè eſt immobilis Petra, Petrus vero propter Petram ſcilicet Chriſtum. axiomata namque ſua* IESVS *largitur alijs, largitur autem ea non euacuatus, ſed nihil minùs habens.* Et paulò pòſt, *Chriſtus Petra eſt, & Petram facit*, nempe D. Petrum: quo fit vt ex Baſilio Pontifex ſit quidem caput miniſteriale, ſed non ab Eccleſia, immò à Chriſto à quo poteſtatem accipit: ſi quando ergo Pontifex caput miniſteriale ſeu Eccleſiæ miniſter vocetur, illud ita intellige, quia Eccleſiam adminiſtrat & regit, vt Rex regnum; vel quod Eccleſiæ finibus eius poteſtas concludatur & coërceatur, & ad eos qui ſunt extra Eccleſiam minimè extendatur, non autem quod ab ea vllam capiat poteſtatem. Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, dicuntur quidem Eccleſiæ ſacramenta, quia in Eccleſia conferuntur, & exiſtentibus in Eccleſia proſunt: etiamſi ex opere operato ſolius Chriſti, non Eccleſiæ gratiam conferant & operentur.

Poſterior dificultas, an ita Chriſtus ſit caput eſſentiale, vt hoc Pontifici conuenire nequeat, affirmant Richerius & Vigorius: iam Richerium Elencho noſtro confutauimus, & ſuprà quæſt. 6. Nunc contra Vigorium agere placet, & iiſdem rationibus paulò

fusius deductis eum refellere, præsertim cùm quæstio hæc cardo sit totius controuersiæ; toto enim suo opere ad nauseam vsque repetit Christum solum esse caput Ecclesiæ essentiale, ex quo sequitur manifestè Pontificem esse duntaxat accidentale: quæ certè opinio hæretica, schismatica & temeraria est. Primùm, quia, vt quæstione citata ostendimus, de fide est Ecclesiã esse corpus visibile, Psal. 18. *In Sole posuit tabernaculũ suũ.* quæ verba explicans Augustinus tract. 2. in Ioãnẽ. *In manifesto* (inquit) *tabernaculũ eius Ecclesia eius.* Daniel 2. *factus est mons magnus in vertice montium, ita vt impleret vniuersam terræ faciem. Mons est Ecclesia,* inquit idem Augustinus, *quid amplius dicturus sum quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident.* Atqui ad rationem corporis visibilis non sufficit partes eius esse visibiles, nisi pariter caput sit visibile, aliàs monstrum futurum est deforme & horrendum. Igitur summus Pontifex, tanquam visibile caput Ecclesiæ illi prorsus est essentialis. Secundò, de fide est statum Ecclesiæ essentialiter esse monarchicum, atqui ad rationem Ecclesiasticæ monarchiæ non sufficit Christum esse supremum illius monarcham, nisi etiam summus Pontifex eam monarchicè regat. Consequẽtia probatur: si enim hoc sufficeret, omnes omnino status cum Democratici, tum Aristocratici dicerentur monarchici: quia de fide est Christum omnium regnorum rerumque publicarum esse supremum monarcham. *Per me Reges regnant, & legum latores iusta decernunt, in cuius femore scriptum est, Rex regum, & Dominus dominãtium, data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Hoc autem nemo concesserit, nequidem Vigorius; constat

Pontificem esse caput Ecclesiæ essentiale, non accidentale.

enim rempublicam Venetorum esse aristocraticam, statum verò Heluetiorum democraticum: igitur ad rationem Ecclesiasticę monarchiæ, non sufficit Christum supremum monarcham illi esse essentialem, nisi etiam istud summo Pontifici essentialiter conueniat. Confirmatur. Regnum enim Galliæ non dicitur esse monarchicum à Christo, sed à Rege qui illud visibiliter regit, & administrat: igitur nec Ecclesia. Tertiò, de fide est Ecclesiam essentialiter esse vnam, non quidem eo modo quo Sol est vnus, neque enim caput illius visibile, cæteraque membra semper eadem numero manent, sed sicut regnum aut flumen quod hoc sæculo, sicut & antea eodem modo se habet: atqui ad hanc vnitatem necesse est partes formaliter easdem manere (quicquid sit de partibus materialibus quas sicut in flumine certum est trãsire ac fluere) vt esse Sacerdotem, Episcopum, supremum aliquod caput, eandem fidem, eadem sacramenta, sacrificia, & cæremonias, quæ formam, & naturam Ecclesiæ constituunt, quæque semper eadem manere debent, ne vnitas regni Ecclesiastici pereat & destruatur: igitur formaliter & essentialiter supremus Pontifex ad Ecclesiam spectat, nec absque eo tantillum potest subsistere. Quarto, Episcopatui essentialis est Episcopus, & parœchus parœchiæ: ita vt hæc absque his subsistere nullo modo queant: at quod est Episcopus in Episcopatu, & parœchus in parœchia, illud idem & aliquid amplius est Pontifex in tota Ecclesia, æquè enim immediatè attingit vniuersale regimen Ecclesiæ, ac Episcopus regimen suæ diœcesis, & parœchus suæ parœchiæ: licèt parœchus, vt ait Gerson

immediatius attingat ſuos ſubditos, quàm Pontifex Epiſcopos, tamen Patriarchas & Cardinales Paſtores Hierarchicos ipſius Eccleſiæ peræquè attingit ac parœchus ſuos ſubditos: igitur non minùs erit Eccleſiæ Vniuerſali eſſentialis, quàm illi ſuis Eccleſiis particularibus. Reſpondebunt fortè aduerſarij diſparem eſſe rationem, quia quòd Epiſcopus ſit eſſentialiter Epiſcopatui neceſſarius, eſt quia ordinandi ſunt ſacri miniſtri, ſine quibus ſtare abſolutè nequit Eccleſia, & parœchus ſimiliter ſuæ parœchiæ, quia ſubditi ſacramentis pœnitentiæ & Euchariſtiæ, quæ non niſi à parœcho iure cõmuni illis adminiſtrantur: At verò gubernatio Eccleſiæ ob quam Pontifex eſſentialiter neceſſarius dicitur ab Ariſtocratico concilio poteſt executioni demandari. Tempore enim Cypriani omnia Eccleſiæ Aphricanæ dubia ad clerum Romanum, Sede Apoſtolica per annum & amplius in perſecutione Decij vacante deferebantur: quod autem pro dubiorum emergentium ſolutione fiebat, illud idem pro regimine & iuriſdictione fieri poterat. Vnde hoc vacationis tempore Clerus Romanus ſynodum vicinorum Epiſcoporum coëgit pro Eccleſiaſtica diſciplina, contra Libellaticos Chriſtianos, in quos acriter inuectus fuerat Cyprianus: cuius ſynodi decretum Encyclicis literis vniuerſis fidelibus promulgari curauit, ex epiſtola Cypriani ad Antonianum num. 52ª. Si ergo toto hoc anno & amplius, optimates Eccleſiam Vniuerſalem calamitoſa tempeſtate tyrannis & hæreticis furẽtibus reperãt, quid ni pacatis rebus cõciliũ ariſtocraticum toti Eccleſiæ præeſſe poterit? igitur præſidentia vnius ſummi Pontificis Eccleſiæ non eſt

essentialis. Respondetur nos de Ecclesiæ statu nō agere abstrahendo ab institutione Christi. certum est nisi de Ecclesia, vt est quædam respublica ad finem supernaturalem instituta, sermo sit, eam non necessariò regimine monarchico gubernari, neque vnum supremum monarcham ei essentialem esse, aut necessariũ; cùm enim sint variæ regiminis species omnes licitę & laudabiles, quamuis vna harum, vt pote monarchica, sit laudabilior & vtilior, potest Ecclesia sic abstractiuè considerata aliquo horum regiminum gubernari; sed si posita Christi domini institutione spectetur, supremus Pōtifex illi est prorsus essentialis, quia eam in forma regni instituit, vt ex eo patet quod passim regni nomine in sacris litteris Ecclesiam significauerit. Luc. 16. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus vel homini patrifamilias, sagenæ missæ in mare*, vt inter ceteros luculenter docet Gregor. in Euang. Atqui regno rex est essentialis, & absque eo ne quidem dari, sed nec cogitatione quidem potest apprehendi: Igitur nec Ecclesia absque summo & Romano pontifice. Quòd autem grassante Decij persecutione clerus Romanus Ecclesiam rexerit: respondeo hoc fuisse per accidens, & esse de rarò contingentibus, quorum nullam vult haberi rationem Iurisconsultus. Deinde Clerus Romanus in approbãda Cypriani sententia contra libellatricos Christianos & prouinciales Episcopos congregando, non propriè exercuit actum iurisdictionis, sed tantùm egit vt doctor & consultor. Huius autem decisio & resolutio Sede vacante non poterat nō esse magni roboris, quia tunc erat sententia plurimorum, magnique nominis Doctorum, & in quibus Sedes &

Cathedra D. Petri implicitè & virtualiter continebatur, ideóque nullum peccatum in hac doctrina recipienda poterat orbis totus committere; tuto enim & citra peccati periculum quæ à celeberrimis Doctoribus præsertim congregatis sunt decreta, etiam in materia fidei sequi licet, donec per Pontificem aut concilium œcumenicum aliud innotescat & statuatur.

Quintò, Pontificem Ecclesiæ essentialem ex definitione ipsius Ecclesiæ probatur. Hæc enim definitur, *Fidelium in vero Dei cultu inter se communicantium, sub vno Pastore Christi vicario societas.* Quæ definitio est Cypriani lib. 4. epist. ep. 2. *Ecclesia*, inquit, *est plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens: vnde scire debes Episcopum in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cũ Episcopo non sunt, in Ecclesia nõ esse, frustraque sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa; sed sit vtique connexa & cohærentium sibi inuicem sacerdotũ glutino copulata;* in quibus primò animaduertendum est Cyprianum cõtra eos inuehi, qui à Cornelio Romano Pontifice defecerant, & cum nonnullis aliis cõmunicare se iactabãt, hos extra Ecclesiam ait Cyprianus, cùm sacerdoti & pastori non adhærerent: ex quo euidenter infertur Pastorem supremũ Ecclesiæ prorsus essentialem esse, cùm ab eo deficere idem sit, ac ab Ecclesia deficere & separari. Secundo, non minùs aduertẽda est περιχώρησις & circumincessio Ecclesię cũ Episcopo, quæ est instar diuinarum personarum circũincessionis; quò fit vt sicut Pater essentialiter respicit Filium, & Filius vicissim Patrem, & vtrumque Spi-

Summus Pontifex ingreditur definitionem Ecclesiæ.

ritus Sanctus: ita & Ecclesia Episcopum, & Episcopus Ecclesiã: igitur summus Episcopus de quo hîc loquitur Cyprianus, non potest, nõ esse Ecclesiæ essentialis. Postremò per illud res essentialiter constituitur, per quod ab aliis distinguitur: sed per cathedrã Romanam quæ toti Ecclesiæ præest Ecclesia Catholica ab omnibus hæreticorum conuenticulis discernitur & distinguitur: igitur per eam essentialiter constituitur. Maior nota est lumine naturali; idem enim est principium distinctionis & constitutionis: aliquid enim essentialiter vnum constituitur quatenus est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Minor vero probatur ex Optato Mileu. lib. 2. contra Donatist. *Probamus eam esse Ecclesiam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa eius iam sunt commemoranda ornamenta, & videndum vbi sunt quinque dotes, inter quas prima est cathedra, vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera dos non poterit, qui est annulus, videndum est qui & vbi prior cathedra sederit, si ignoras, disce, si nosti erubesce: ignorantia tibi adscribi non potest, restat ergo vt noueris, scientem errare peccatum: nam ignorantibus nonnũquam solet ignosci: igitur negare non potes scire te in vrbe Roma Petro primam cathedram Episcopalem esse collatam, in quo sederit omnium Apostolorum caput Petrus; vnde & cephas est appellatus in qua vna cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret: ergo cathedra vnica est quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui succedit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio for-*

matarum(id eſt Encyclicarum epiſtolarum) *In vna communionis ſpecie concordat veſtræ cathedræ, vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.* ex quo ſequitur Optatum agnoſcere Pontificiam cathedram eſſe Eccleſiæ eſſentialem, quippe quæ eam ab hæreticorum ſynagogis ſeparet, & diſtinguat.

Argumẽta Vigorij cõtra neceſſitatẽ eſſentialẽ ſummi Pontificis in Eccleſia diſſoluũtur.

Contra hæc pluribus inſurgit Vigorius. Primùm vnius & eiuſdem corporis non ſunt duo capita eſſentialia; aliter enim Eccleſia eſſet biceps: atqui Chriſtus eſt caput illius eſſentiale, igitur Pontifex erit duntaxat accidentale: licet autem, vt dixi, verbum hoc accidentale non habeat, ſed eius loco miniſteriale ponat, cùm tamen miniſteriale vbique eſſentiali opponat, non poteſt illud pro accidentali non accipere. Reſpondeo itaq; nihil obſtare quominus vnius corporis myſtici plura ſint capita, eaque eſſentialia, quicquid ſit de veris & naturalibus corporibus, dummodo inter ſe ſubordinationem habeant, nec ſint vnius & eiuſdem dignitatis & authoritatis; in regno enim plura de facto capita reperiuntur, Rex nempe & prorex: in diœceſi ſimiliter Epiſcopus & Vicarius, omnes enim ſunt capita, ſed ſubalternata & inæqualis dignitatis, quales ſunt in Eccleſia Pontifex & Chriſtus. Dices proregem in regnum, & Vicarium generalem in diœceſi eſſe capita accidentalia, & non eſſentialia. Reſpondemus iſtud verum eſſe, quia inſtitutio regni, & diœceſis hanc proregis & vicarij conſtitutionem neceſſariò annexam non habet, at vero à Chriſto ita eſt inſtituta & ordinata Eccleſia, vt pręter ipſum Chriſtum daretur alterum caput viſibile, cuius vigilantia regeretur & protegeretur: ſicque poſita hac Chriſti

instititutione non est dicendus accidentalis Ecclesiæ Pontifex, sed essentialis.

Secundo obiicit: Ille non est caput essentiale alicuius corporis mystici, qui legibus alterius non suis illud moderatur: atqui Papa legibus Christi non suis Ecclesiam administrat, igitur non est essentiale caput. Maior & minor huius argumenti falsitatis apertissimè arguuntur: maior quidem; multa quippe sunt regna, multæq; respublicæ in quibus regibus aut superioribus leges à multo tempore positas mutare nō licet, vt in Gallia, etiamsi monarchicus sit eius status, sunt tamen in ea leges prorsus immutabiles, vt Salica lex de solis masculis ad sceptrum euehendis, & ne regium domanium alienetur: minor vero non tantùm falsa est, sed etiam hæretica; constat enim Ecclesiam non tantùm iure diuino, sed etiam ecclesiastico seu Pontificio regi; decretalia enim Pontificum, indictio festorum, & ieiuniorum, excōmunicationes, varia matrimonij impedimenta, quibus tota innititur Ecclesiastica disciplina ad ius Ecclesiasticum & positiuum, vt loquuntur, spectāt. Equidem Vigorius cum Luthero sapit siue potius desipit, qui in epistola ad Silkinium ius omne ecclesiasticum abolendum penitus censuit; *Amplius dico, neque Papam neque Episcopos, neque vllum hominem habere ius constituendi, vel vnicam syllabam super hominem Christianū sine eius consensu: quod aliter fit venit à spiritu tyrannico.* Ab eo autem non longe abest Vigorius, qui Ecclesiam iure tantum diuino à Christo instituto gubernari putat & affirmat.

Tertio vrget: Illud est essentiale caput Ecclesiæ, cui claues essentialiter competunt; cùm enim clauis in

ſcriptura idem ſit quod iuriſdictionis poteſtas, cui competit eſſentialiter iuriſdictio, ei etiam competat dignitas & authoritas capitis eſſentialiter; at Chriſto clauium poteſtas eſſentialiter conuenit, Iſayæ 22. & Apoc.2. dicitur Clauis Dauid quę claudit & nemo aperit: Prælatis vero & Pontifici tantùm miniſterialiter ſeu accidentaliter. Reſpondeo claues ſummo Pontifici Epiſcopis & parœchis cuique, pro ratione dignitatis eſſentialiter competere, quamuis ſubalternè & ſubordinatè, & dependenter à Chriſto. ſicut enim iudex etiáſi pedaneus abſq; aliqua iuriſdictione non tantùm eſſe, ſed ne intelligi quidem poteſt: ita nec ſupremus Eccleſiæ princeps ſeu caput abſque iuriſdictione, id eſt, claue, nec datur nec intelligitur: ideoq; falſum eſt claues ſoli Chriſto eſſentialiter conuenire, niſi fortè ſermo ſit de clauibus pro vt à nullo dependent, nullique alteri ſubordinantur & ſubiiciuntur. Sic enim certum eſt eas ſoli Chriſto ſaltem quatenus Deo conuenire: claues enim provt in Pontifice ſpectantur, à Deo & Chriſto dependent: ſicut & provt ſunt in Epiſcopis immediatè à Pontifice deriuantur.

Inſtat Vigorius, Chriſtum non niſi definitiuè & ſub certis legibus claues Pontifici contuliſſe, ideoque illi eſſentialiter non conuenire. Reſpondeo 1°. ridiculam, ineptam & falſam eſſe hanc conſequentiam; etſi enim inferioris magiſtratus definita ſit iuriſdictio, non deſinit tamen ipſa eſſentialiter & ex officio illi conuenire. Secundò, ſi per definitiuè intelligat finale iudicium à quo nullus ſit prouocationi locus, falſum eſt Pontificibus Romanis claues definitiuè non competere: extremo enim quod aiunt iudicio lites diri-

munt,neque aliud eſt tribunal regulariter,eorum tribunali ſuperius: quod ſi per definitiuam iuriſdictionem intelligat limitibus & cancellis quarumdam legum coarctatam, duos ſenſus habet hæc propoſitio, quorum vno vera eſt,altero falſa. Vera quidem ſi de legibus naturæ &diuinis ſermo ſit:his enim Pontifex ita aſtringitur,vt de eis diſpenſare aut eas abolere nequeat, vt iam ſuprà ſatis demonſtrauimus: ſi vero de legibus Eccleſiaſticis & poſitiuis, dico his minimè alligari,ſed de iis prę ſuæ poteſtatis plenitudine diſpenſare poſſe,tantúmq; ex decētia & honeſtate ad earum obſeruationem teneri, niſi fortè ius Eccleſiaſticum tale eſſet,vt ad ſtatum Eccleſiæ generale pertineret,& de quo ſi diſpenſaretur Eccleſia maximum caperet detrimentum, atque vt aiunt Theologi, decoloraretur eius ſtatus.

Quartò obiicit: Chriſtus eſt fundamentum fundamentorum, fundamentum eſſentiale & primarium; Petrus autem miniſteriale & ſecundarium, vnde gloſſa in illud Matthæi: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,ita tamen vt* (inquit) *mihi retineam fundamēti dignitatem,ſuper me ordinabis lapides mundos,& abijcies leproſos:* Hæc obiectio Catholicorum ſententiam minimè labefactat, neque enim negant Chriſtum eſſe fundamentum præcipuum, primarium, eſſentiale, & fundamentum fundamentorum,ſed negant ex eo ſequi,non dari aliud fundamentum minus pręcipuum, & ſecundarium, nempe Pontificem ſuper quo eſſentialiter Eccleſia ſit cōſtituta: Vnde turpiter lapſus eſt Vigorius,qui pro eodem accipiat præcipuum,primarium & eſſentiale,quæ tamen lōgè diuerſa ſunt eſſen-

Differentia eſt inter eſſentiale & primariū.

tiale enim latiùs multò patet primario & præcipuo; extenditur ſiquidem ad ea quæ ſunt ſecundariò & alteri ſubordinata, quando præſertim res abſque iis in ſtatu ſuo non poteſt ſubſiſtere: exempli cauſa, magiſtratus ſunt capita reipublicæ ſecundaria, minúſque pręcipua, & tamen eſſentialiter regno ſunt neceſſaria, ita vt ſine iis ſtare nullomodo queat, eoq; modo ſoluuntur cętera eius argumenta, vt quòd Chriſtus ſolus Eccleſiam ædificauerit, quod ipſe ſit Paſtor Eccleſiæ, pro qua animam ſuam poſuit; quod oues non ſint Petri, ſed Chriſti, qui dixit, *Paſce oues meas;* quod ipſe ſit oſtium, per quod ſi quis introierit ſaluabitur: hæc enim tantùm arguũt Chriſtum eſſe agens primarium & præcipuum, *Hic eſt qui baptiſat in aqua & ſpiritu.* Petrus autem & Apoſtoli tantùm ſecundaria minuſque præcipua, ſed non probant ipſos non eſſe eſſentialiter Eccleſiæ neceſſarios, quo fit vt hæc omnia quæ Chriſto attribuuntur illis pro modulo conueniant; Apoſtoli enim & præſertim Petrus dicuntur architecti & ædificatores, *Adiutores Dei ſumus, Dei ædificatio eſtis ſecundùm gratiam quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui:* Non me latet Auguſtinum in Ioannem Homilia vltima dixiſſe Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam, ſicut & de Verbis Domini, Hom. 13. at lib. 1. Retract. cap. 21. hunc communem ſanctorum ſenſum nõ reprobat, dummodo ſecundario minuſque præcipuè Eccleſia dicatur ſuper eo ædificata. Deinde Petrus ſimiliter Paſtor eſt à Chriſto inſtitutus: oues etiam aliquo pacto ſunt Petri, cùm ei ſint à Chriſto concreditæ & commiſſæ; eſt etiam oſtium & porta ſicut & cæteri Apoſtoli, quod

Psal. 86. diserte docet August. *Quare sunt portæ quia per ipsos intramus ad regnum Dei; prædicant enim nobis, & cùm per ipsos intramus, per Christum intramus ipse enim est ianua;* Præcipua nempe & primaria, Apostoli vero secundaria & ministerialis.

Vbi obiter notandum est Pontificem primarium Ecclesiæ caput legitimè appellari, si Ecclesia in ratione congregationis visibilis spectetur; sic enim nullum est Pontifice prius, non Episcopi, quia ab eo dependent; neque Christus ipse, quia etsi prior sit Pontifice à se dependente, non tamen in ratione visibilitatis, cùm ipse sit inuisibilis. Hęc sunt (ni fallor) omnia Vigorij arguméta, quibus cùm abundè sit satisfactum stat immobilis & firma Catholicorum sententia, summum Pontificem posita Christi institutione esse Ecclesiæ essentialem, eiusque statum absque illius præsidentia non posse consistere.

Vnum examinandum restat, an summus Pontifex dici possit instrumẽtale caput? Richerius & Vigorius affirmant: tum quia Iuris canonici consulti eum ita vocant, tum quia ex Aristotele lib. 1. politic. cap. 3. *Instrumentorum quædam sunt animata, quædam inanimata. inanimata velut clauus nauis, animata velut qui clauum regit, nam minister locum instrumẽti obtinet.* cùm ergo Pontifex totius Ecclesiæ clauum teneat, meritò instrumentum seu caput instrumentale dicitur. Verùm etiamsi de hac quæstione non multùm sit laborandum, dummodo Pontificem instrumentum Christi, non Ecclesiæ credamus, nihilominus hæc denominatio inepta est & impropria; tum quia non nisi impropriè superior communitatis, siue politicæ, siue Eccle-

Impropriè summus Pontifex dicitur caput instrumẽtarium.

ſiaſticæ, eius inſtrumentum ſeu inſtrumentale caput appellatur: vt ex communi modo loquendi, & ipſa inſtrumenti notione conſtat. Inſtrumẽtum enim eſt quod ex ſe nullum motum habet, neque deliberatè agit, ſed tantum ad nutum illius, cuius eſt inſtrumentũ: Põtifex autẽ mouetur ex ſe & ex deliberatione decernit & operatur, vt ſatis conſtat: tum quia cum eius excommunicationes & cenſuræ, etiamſi interdum coram Deo & Chriſto non ligent, ſicut quando cauſa cui innititur non eſt legitima, aut ſufficiẽs, in foro tamen Eccleſiæ aliquid operari non deſinunt; debet enim à Pontifice excõmunicatus, etſi innocẽs aliorum conſortia fugere, & à ſacris donec abſoluatur ſaltẽ publicè abſtinere: igitur impropriè Chriſti inſtrumentum dicitur, cùm aliquæ illius actiones à Chriſto non impellantur, nec acceptẽtur. Confirmatur. Acta Pontificis præcedunt acta ipſius Chriſti, vt quando abſoluit & ligat, abſolutiones enim illius ſicut & anathematis vincula priora ſunt in terris quàm in cælis, quod inter alios docent Hilarius in 16. Matthæi: *O beatus cæli ianitor* (ſcilicèt Petrus) *cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium, præiudicata authoritas ſit in cælo, vt quæ in terris aut ligata ſunt & ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cælo.* Et Bernardus, *Qualis quantaque eſt hæc poteſtas, vt ſententia Petri in terris præcedat ſententiam Chriſti in cælis,* quod ſatis ex verbis Chriſti conſtat, *Quæcunque ligaueritis & ſolueritis in terra, erunt ligata & ſoluta in cælis.* Vbi particula (erunt) quæ eſt de futuro, apertè oſtendit ratihabitionem in cælis ſubſequi abſolutionem, vel ligationem in terris. Tertiò, ſicut etiamſi Chriſtus regibus &

Imperatoribus ad populi gubernationem vtatur, *& cor regum sit in manu Domini & quocunque voluerit inclinet illud;* non tamen propterea capita instrumentaria sui Imperij communiter & propriè appellantur, ergo nec summus Pontifex, licèt sit Christi Vicarius, quo ad plebem Christianam in spiritalibus regendam vtitur, non nisi impropriè caput instrumentale dicetur. Quartò, licèt in consecratione Eucharistiæ, in ordinatione ministrorum Ecclesiæ, & in absolutione Sacerdos, & per consequens Pontifex sit instrumentum Christi, non tamen idem est in gubernatione & administratione totius Ecclesiæ iudiciũ. Ratio enim cur in prioribus actibus Pontifices & Sacerdotes, tantùm sint instrumenta, est, quia hi actus sunt supernaturalis ordinis, ad quos ex nobis nullam propensionem & proportionem habemus: sed à potestate obedientiali, quam à Deo moueri, vt agat, necesse est, proueniant: in regimine autem exteriori Ecclesiæ res non ita se habet; agit enim Pontifex consultò & deliberatè, priusq; apud se cogitat quo pacto negotium aliquod gerendum sit, quod satis arguit eum instrumentaliter non agere, sed supposita institutione, & liberali concessione Christi, ab ipso hanc Ecclesiæ administrationem pendere. Quamobrem vt Vigorij argumentis satisfaciamus, nego in primis iuris canonici consultos Pontificem ita vocare. Diligentiam sanè adhibui aliquam, vt id mihi constaret, neminem vero deprehendere potui, qui sic eum appellaret. Ad Aristotelem, qui duo instrumentorum genera animata & inanimata statuit, & ministrum clauum nauis tenentem instrumentum vocat. Respondeo mini-

ſtrum illum eatenus dici inſtrumẽtum, quatenus imperante domino nauis, ita applicatur ad actum, vt ei reſiſtere nequeat, & in miniſtri arbitrio non ſit modus tenendi clauum huc aut illuc cum flectendi aut deducẽdi, tunc enim verè dicitur inſtrumentum: at vero ſi ei duntaxat mandaretur, vt nauim gubernaret, recteq; pro ſuo arbitrio ac peritia ad portum deduceret relictis ipſius diſpoſitioni conditionibus, circunſtantiis loci, & temporis rerumque aliarum, tunc non niſi impropriè diceretur inſtrumentum, quia ſic ex ſe, motu proprio, & ex deliberatione multa perficeret, & ſic eſt de Pontifice ſentiendum, quando quidem licèt iure diuino teneatur, nauem Eccleſiæ ritè gubernare, & recta ad portum deducere, multa tamen eius poteſtati & arbitrio relicta eſſe conſtat, de quibus cùm ex propria prudentia, & conceſſa à Chriſto poteſtate decernat, non niſi impropriè horum reſpectu inſtrumentum Chriſti dicitur.

DE INFALLIBILITATE SVPREMI PONTIFICIS.

PARS II.

Vtrum ſummus Pontifex priuilegio infallibilitatis in decernenda fide & moribus à Chriſto donatus ſit?

QVÆSTIO I.

MONARCHICA Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate contra proteruos abundè demonſtrata, iam de eiuſdem infallibilitate, ne amplius eius legibus reluctētur nobis eſt differēdum. Vigorius 7. capite ſui commentarij, cum Richerio magiſtro ſuo, ſcribit Pontificem nulla in condendis fidei morumque decretis infallibilitate gaudere, eamque concilio œcumenico quod Eccleſiam Vniuerſalem repræſentat duntaxat conuenire. Vt autem habeat quo contra aduerſariorum tela ſe tueatur, propoſitionem hanc ambiguam bis terue repetit: *Soli Pontifici non conuenit infallibilitas:* cuius cum ſit dubius & æquiuocus ſenſus, contraria quælibet argumenta facilè putat eludere: vel enim hac particula ſolùm vult Pontificem, vt eſt priuata perſona infallibiliter non iudicare, quo ſenſu vera eſt eius propoſitio; vel vult Pōtificem ſolum infallibilitate non gaudere, ſed hoc etiam concilio œcumenico conuenire, quo ſenſu adhuc vera eſt propoſitio, dummodo à concilio œcumenico ipſum Pontificem non excludat, vel denique vult ſolum Pontificem quatenus extra concilium aliquid decernit, etiam ſi agat vt Pontifex, non eſſe in-

fallibilem, quo ſenſu abſolutè falſa eſt, eumque hoc tertio ſenſu illam attuliſſe ex eius probationibus facile euincitur, præſertim cum vbique aſſerat Pontificem res grauioris momenti, qualia ſunt potiſſimùm fidei morúque decreta, abſque concilio ariſtocratico edere non poſſe. Verùm hanc contrariam propoſitionem fortiter conſtāterq; opponimus. Solus Pontifex abſque concilio ariſtocratico, ſi vt Pontifex, ſeu (vt loquūtur) ex cathedra decernat, nihil quicquā cōtra fidem aut bonos mores poteſt decernere: Aliud, ſi vt priuata perſona agat: ſic enim in vtrumque ſcopulum poteſt allidere, dicitur autem vt Pontifex agere ſeu definire, quando dogma ſeu præceptum aliquod toti Eccleſiæ credendum, vel obſeruādum proponit, vt priuata verò perſona, quando vt particularis Doctor aliquid proponit vel docet quo pacto Innocentius III. commentaria in decretales edidit. Albertius Pihgius Campenſis, cum nonnullis neotericis, vt refert Bannes, quæſt. 1. art. 10. dubitat. ſecunda, contra cōmunem Doctorum ſentētiam in Pontificum fauorem aſſeruit Pontificem vtroq; modo eſſe infallibilem, ita vt ex eius mente cum primum quis per veram & canonicam electionem ad ſupremū Eccleſiæ Pontificatū euehitur, ſtatim à Chriſto, ita in fide confirmatur, vt non poſſit, etiam ſi velit, in errorem priuatim, aut publicè cadere. Tum quia (inquit) D. Petrus tale priuilegium à Chriſto obtinuit, Lucæ 22. *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua:* quod de fide Petri, tum perſonali & priuata, tum etiam publica, & Paſtorali intelligitur, vt infrà fuſius. Conſtat autem Chriſtum hîc non tantum pro Petro, ſed etiam pro

Sententia Alberti Pihgij, de infallibilitate Pōtificis, vt priuata perſona.

omnibus eius successoribus rogâsse, ergo vtroq; modo Pontifices, qui Petro succedũt in fide confirmantur: tum quia contra diuinam prouidentiam, quæ suauiter omnia disponit, pugnat Pontificem posse personaliter errare. Sic enim Ecclesia euidenti periculo exponeretur, posset namque ipse suum errorem definire, & Ecclesiæ obtrudere, aut certè grande miraculum esset, quod ipse definiendo contra mentem suam definiret, quinimmò grauiter peccaret verum in hoc casu definiendo, quia contra conscientiam quamuis erroneam ageret; tum quia nullus Pontificum à D. Petro, inquit Pihgius, in errorẽ lapsus est; nam quod quidam aiunt, Victorem 1um Paulianistis & Artemonitis consensisse Marcellinum thus idolis adoleuisse, Liberium ad Arrianorum castra deflexisse, Innocentium I^um vsum sacrificiorũ Gentilium, ad soluendam Romæ obsidionem permisisse; Anastasium in tres errores incidisse, & propterea diuinitùs extinctum fuisse, & Honorium I. Monothelitis assensum præbuisse à Doctoribus; tamen qui contra nouatores huius sæculi accuratissimè scripserunt, iustissimè vindicantur: igitur cùm nullus vnquam in tanta Pontificum multitudine personaliter errauerit, signum est eos tum primum eliguntur, in fide à Spiritu sancto personaliter confirmari; tum quia affirmãdo Pontificem non posse personaliter errare, ab intricatissimis dificultatibus nos expedimus, vt an Papa per hæresim à dignitate excidat, à quo & quomodo veniat deponendus, quandonam vt Pontifex, aut vt priuata persona agere censeatur, in quibus dissoluendis multùm peritiores Theologi laborant. Satius ergo est credere eum

non tantùm vt Pontificem, ſed etiam vt priuatam perſonam in errorem labi non poſſe. Verùm his non obſtantibus ſententia communis multò verior, certior & probabilior eſt, nempe Pontificem perſonaliter in fide poſſe deficere, errorem ſuum cum pertinacia tueri, & quod amplius eſt velle & conari eum Eccleſiæ obtrudere & proponere, quamuis propoſitionem actu fieri, & Eccleſiæ proponi nunquam ſinat Spiritus ſanctus. Probatur primùm ex Ioan. 22. qui ex Gerſonio ſermone de Paſchate, & Adriano 6. quæſtione de confirmatione, ſub finem, aliiſque quamplurimis Doctoribus, cenſuit animas electorum diuinam eſſentiam ante diem iudicij, & reſurrectionem corporum non videre. Ad quod definiendum totique Eccleſiæ proponendum cùm ſeſe compararet, non ſine manifeſto diuinæ erga Eccleſiam prouidentiæ argumento mortuus eſt: quem tamen errorem, pridie antequam moreretur, retractauit. Secundò aſſenſus fidei ex D. Thoma 2ª 2. q. 2. art. 1. pendet ab intellectu, tanquam à principio elicitiuo & à voluntate, tanquam à facultate imperante: atqui voluntas Pontificis praua & male affecta erga quædam fidei dogmata eſſe poteſt; intellectus eius ſimiliter reſpectu eorumdam caligare poteſt & obtenebrari, igitur poteſt aſſenſum veritati contrarium elicere. Confirmatur. Intellectus enim Pontificis per ſuam electionem non apparet magis quàm antea illuſtratus. Dices, voluntas eius magis propenſa eſt erga Eccleſiæ directionem & gubernationem, cùm iam ſit ſupremus illius Paſtor. Reſpondeo quamuis probabile ſit eum eſſe tunc erga Eccleſiam propenſiorem, hoc tamen ad non er-

Refellitur Pihgius & oſtẽditur Pontificẽ perſonaliter errare poſse.

randum

randum perſonaliter non ſufficit, niſi intellectus eius per electionem perſpicacior reddatur, quia ſola ignorantia & obtenebratio ad errandum ſunt ſatis: quo fit vt ſi quid probet aſſumpta ratio, tantum probat Pontificem errore ſupino, & culpabili propter ſuam erga Eccleſiam propenſionem non erraturum, quod tamen adhuc non concedimus. Etenim quid obſtat quominus doctis, & piis aliorum Doctorum & Prælatorum monitis nolit acquieſcere, ſed mordicùs ſuo errori velit adhærere, vt de prædicto Ioan. 22. refertur, qui iterum iterumque à Pariſienſi ſchola monitus, ab errore non niſi ſub finem vitæ reſiliuit. Tertiò, etiamſi opinio Pihgij præ ſe ferat reuerentiam erga Sedem Apoſtolicam, & Pontificiam dignitatem, tamen ſicut Chriſtus & ſancti falſis honoribus nō gaudent, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Honor Regis iudicium*, id eſt veritatem *diligit*, ita neque Sedes Apoſtolica à Chriſto ſtabilita: præſertim cùm hoc perſonale priuilegiũ ad Eccleſię gubernationem non ſit neceſſarium: licèt enim Papa, vt priuatus Doctor innumeris ſcateret erroribus, dummodo tamen eos toti Eccleſiæ non poſſit obtrudere, nihil propterea damni in Eccleſiam redundabit. Sicut enim fides interior ſummi Pontificis, vt ait Melchior lib. 6. pag. 214. Eccleſiæ non eſt adeò neceſſaria, ſic nec illius occultus & priuatus mentis error Eccleſiæ eſt pernicioſus. Quartò, doctores omnes ante, & poſt Pihgium contrarium vnanimiter docuerunt, atqui nouas opiniones abſque vlla neceſſitate & ratione probabili contra omnium conſenſum ingerere non eſt adeo tutum. *Multa me* (inquit Auguſtinus) *in Eccleſiæ gremio retinent tenet me*

consensus populorum vbique firmatus. Ergo multò magis doctorum omnium consensus nos debet retinere, & à nouitatibus deterrere. Quintò, qui Honoriũ ab errore vindicant, dicunt eum malitia falsorum testium in 6ª & 8ª synodo accusatum fuisse: atqui si patres horum conciliorum credidissent summum Pontificem non posse Honoriũ quouis modo, etiãsi vellet in errorem labi, nunquam accusantium depositionem audiuissent aut admisissent, sed quam citissimè à suo sacratissimo cõspectu eos amandassent. Cùm ergo accusationem admiserint, signum est eos existimâsse Pontificem, saltem vt priuatum Doctorem in errorem posse incidere. Sextò, & postremò, potest Pontifex peccare in moribus, debet enim vt reliqui Christiani, quotidie ad Deum clamare, *Dimitte nobis debita nostra:* indiget etiam confessione, & absolutione sacramentali; atqui peccata ad naufragium in fide disponunt, ex Apostolo 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidem appetentes, circa fidem naufragauerunt* & Cypriano, *non error peccatum, sed peccatum errorem gignit.* Maneat igitur aduersus Pihgium probabilius esse summum Pontificem personaliter, tam in fide, quàm in moribus posse impingere.

Vnde ad primum respondeo, non esse necesse summum Pontificem D. Petro in omnibus illius priuilegiis succedere; aliter enim in confirmatione gratiæ seu impeccabilitate, in charismatum plenitudine, linguarum & miraculorũ dono, quæ post aduentum Spiritus sãcti habuit ipse D. Petrus, succederet, quod tamen nemo dixerit: sufficit ergo si in iis quæ ad generalem Ecclesiæ gubernationem faciunt illi succe-

dat; ſic enim Eccleſia ſalua & incolumis ſemper manet, priuilegium autem non errandi, vt priuata perſona ad eã minimè facit; ſatis enim eſt, vt quatenus publici Paſtoris officio fungitur, infallibilitate gaudeat.

Secundum nimis probat, eodem enim modo probaret ſummum Pontificem peccare non poſſe, quia ex capit. Nouit, de iudiciis, eius eſt decernere de peccato: dicendum itaque eſt diuinam prouidentiam tantùm cauere ne Pontifex vt Pontifex & ex cathedra definiens erret, quamuis aliàs eum errare ſinat, cùm talis error non magis quàm error priuati alicuius Doctoris Eccleſiam labefactet. Deinde magis contra diuinam prouidẽtiam pugnat, quòd Pontifex per euectionem ad Pontificatum ita in fide confirmetur, vt etiamſi velit aut ignarus ſit, non poſſit tamen ne leuiter quidem à vero aberrare, id certè nõ tam grande quàm violentum eſt miraculum, quemadmodum ergo non eſt inconueniens hominem peccatorem leges contra peccata ſtatuere, iuxta illud
Video meliora, probóque, deteriora ſequor: ita nec Pontificem in hæreſim lapſum, contra hæreſim abſolutè definire, & quidem contra mentem, neq; hoc magis eſt mirum, quàm quod Ioan. 11°. Caïphas inſtante paſſione Chriſti prophetauerit, & pro religione quam Chriſtus fundabat, & quam pertinaciſſimè oppugnabat ſententiam tulerit.

Ad tertium, Pontifices Romani ſolùm ab errore ex cathedra à Doctoribus Catholicis vindicantur, & non à perſonali, & priuata, etiãſi hæretici Sedi Apoſtolicæ infenſiſſimi contendant eos, vt Põtifices & tanquam ex cathedra definientes errâſſe, ſed de

hoc statim vberiùs, contra Richerium & Vigorium qui hac in re hæreticis consentiunt. Ad 4um optimè dicit Bannes, indignum esse Theologo præ difficultate quarundam quæstionum veritatis assertionem refugere, quinimmò eum maximè decet veritatem, etsi abstrusam & difficilem ex tenebris eruere. Vnde Aristoteles 6° Physic. noluit vnquam sentẽtiam suam de natura continui propter argumentorum contrariorum salebras deserere. Cæterùm falsum est quod assumit Pihgius summum Pontificem in errorem lapsum, verum contra mentem propriam deffiniendo peccaturum: in multis enim casibus licet aliorum sententiam contra propriam sequi. Sacerdos namque minimè peccat, si iudicium pœnitẽtis nonnunquam suo præferat & sequatur, eumque contra propriam sententiam absoluat; neque etiam iudex si probatum reum, quem tamen innocentem agnoscit, morte adiudicet condemnetque; neque aduocatus si patrocinium alicuius causæ siue ciuilis, siue criminalis ex aliorum sententia, contra propriam suscipiat, quo fit vt Pontifex, in eo casu contra mentem propriam definiendo non peccet, neque contra conscientiam agere dicatur: quia licet contrariam opinionem de eo quod definit, habeat; non tamen in conscientia iudicat, id sibi minime licere: quod si nòn licere dictaret conscientia, tunc deberet à definiendo abstinere, & maturiùs atque consultiùs deliberare. Dices, esse incredibile καὶ ἀδύνατον, vt vnius & eiusdẽ propositionis simul sint duo iudicia contraria: atqui si contra mentem decerneret, simul essent duo illa iudicia, quibus nempe falsam, & veram simul propositionem iudi-

Pontifex hæreticus cõtra mẽtem definiendo non peccat.

caret;falſam quidem ex errore mentis ſuæ; veram autem quia eam definit, & fidelibus credendam proponit. Quidam aiunt Pontificem in hoc caſu debere propriã opinionẽ deponere, ſolumque eam aliorum Doctorum in mẽte retinere; ſed vt verùm fatear, hoc non eſt neceſſarium:nam duo illa iudicia propriè ſibi inuicem non opponuntur, cùm diuerſis mediis, & principiis nitantur, vno extrinſeco nempe exiſtimatione & reſolutione Doctorum ſeu conſiliariorum, altero vero intrinſeco, nempe argumentis,& rationibus in ſcrinio pectoris ipſius ſummi Pontificis reconditis, quò fit vt duo illa eiuſdem obiecti iudicia,quorum vnum falſum & alterum verũ , non minùs quàm fides, & ſcientia vnius & eiuſdem obiecti in eodem ſubiecto optimè ſtare poſſint. Exploſa itaq; opinione Pihgij in qua paulò latiùs liberiuſque verſati & exſpatiati ſumus,ne aduerſarij nobis exprobrarent quæcunque in fauorem Pontificis dicuntur,ea nos ambabus vlnis ſemper , & in quouis caſu excipere. Nunc contra Richerium eiuſque patronum preſſius nobis eſt dimicandum, an ſcilicet Pontifex vt munere Paſtoris vniuerſalis fungitur priuilegio gaudeat infallibilitatis, ita vt neque in fide, neque in moribus definiendis vel minimùm poſſit aberrare. Vt autem liberiùs excurrat diſputatio, nulloque ſcrupo retardetur pauca initio animaduertenda veniunt.

In primis certum eſſe apud omnes tam hæreticos quàm Catholicos, Põtificem, vt Pontificem nec non cum concilio generali agentem in quæſtionibus facti particularibus quę ex hominum teſtimoniis,& relatione pendent errare poſſe,ſępe excommunicantur

Summmus Pōtifex & cōcilium generale errare possunt in facto.

à Pontifice, qui ſunt prorſus innocentes, contrà vero ab eodem abſoluuntur, qui non merentur abſolui. Vnde magiſter 4.ſent.diſt.18.interdum qui foras mittitur intus eſt, & qui foras eſt, intus videtur retineri canone *Nos ſi incompetenter*, 2.quæſt.7.*Si incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis iuſtæ legis tramitem non conſeruauimus, veſtro ac veſtrorum miſſorum cuncta volumus emendari iudicio.* Agnoſcit ergo ipſemet Pontifex ſibi in quæſtionibus facti, de quibus hoc canone (quicquid in contrarium obnitatur Vigorius) loquitur, errorem poſſe obrepere. Dixi vero in quæſtionibus facti particularibus, quia in generalibus, & quæ ad totam Eccleſiam pertinent, qualis eſt ſanctorum canonizatio, approbatio religionum, & ſimilia, errare non poteſt, quod ſeſſ.8. concilij Conſtantienſis apertè definitur, vbi damnatur Vviclefus, quòd dixerit Auguſtinum, Benedictum, & Bernardum, propter inſtitutos ordines religioſorum in inferis torqueri, ſi in fine vitæ huius ſuæ inſtitutionis eos non pœnituerit. Ratio vero damnationis Vviclefi, ex infallibilitate Eccleſiæ ſeu Pontificis, in ſanctorum canonizatione, & religionum approbatione deſumitur; neq; enim probabile eſt Spiritum ſanctum, qui iugiter adeſt Eccleſiæ, ſinere Pontificem labi in errorem, qui in totam Eccleſiam redundaret: quod certè cōtingeret ſi damnatos in inferis, omni dedecore notandos honore afficeret; quamobrem meritò docet noſter Almaïnus cap.1. de authoritate Eccleſiæ, ſub finem, Pontificem à Spiritu ſancto illuſtrari in his, quæ ad generalem Eccleſiæ ſtatum ſpectant, non autem in quæſtionibus facti particularibus, ſed ſinere interdum eum,

ſi non culpabiliter, ſaltem ignoranter, propter falſam teſtium relationem, in errorem labi.

Secundò, certum eſt inter Catholicos Pontificem, cum concilio generali definientem in decretis fidei & morum errare non poſſe, quod libenter fatentur Richerius, & eius patronus: ſic enim Eccleſia tota ſimul coacta cenſetur, quæ ſi tunc erraret, falſæ eſſent Chriſti promiſſiones; *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Cõcilium autem generale Pontifice cæteriſque Prælatis conſtans perfectiſſimè totam repræſentat Eccleſiam, eo ſenſu quo initio docuimus, nempe quo ad integritatem membrorum, & eſt Eccleſia ipſa ſecundum authoritatem, nam nulli alij in Eccleſia præter Prælatos ordinaria authoritate pollent.

Summus Pontifex cum concilio generali nõ poteſt errare in definiendo.

Tertiò, certum eſt inter Catholicos, quicquid contra oganniant Richerius, & eius patronus, Pontificem ſeorſim ſumptum à cõcilio ſi ſe gerat vt Pontifex, ſemper eſſe audiendum, eique parendum, ſiue errare poſſit ſiue non: hoc habent Gerſonius & Almainus; etſi enim doceant Pontificem, vt eſt Pontifex errare nonnunquã poſſe, aſſerunt tamen contra illius definitiones non eſſe publicè dogmatizandum: niſi fortè error illius, ita eſſet manifeſtus, vt nulla tergiuerſatione celari poſſet, quod nunquam contingit, quia vt Pontifex ex conſilio Cardinalium, vel virorum peritorum ſemper procedit: ſic autem in eum quemadmodum, & in quemlibet Chriſtianum ita procedentem error intolerabilis & craſſus cadere nõ poteſt. ex quo ſequitur ſimpliciter & abſolutè contra

Contra definitiones Pontificis nũquam eſt publicè dogmatizandum.

ſummi Pôtificis definitiones vniuerſis fidelibus propoſitas nunquam eſſe dogmatizandum ; neque eſt quod inſtet Vigorius appellationes tanquã ab abuſu de Pontificum decretis quandoque interiici. nam facilè reſpondetur huiuſmodi appellationes, de quarũ iuſtitia & æquitate non eſt hîc diſputandi locus, nunquam intentari aut admitti pro definitionibus fidei & morum, ſed tantùm pro quæſtionibus facti particularibus, in quibus certum eſt, vt iam diximus, poſſe Pontificem nonnunquam errare.

Quibus ita animaduerſis ſtatuenda nobis eſt hæc concluſio, cuius iam initio capitis mentionem fecimus, etiamſi de fide non ſit ſummum Pontificem ſeorſim à concilio, priuilegio infallibilitatis, licèt agat vt Pontifex, gaudere, id tamen abſolutè certum eſt, & indubitatum; ſi quidem Spiritus ſanctus ne vel minimus error in definiendo obrepat, ipſi perpetuò adeſt. Prior pars concluſionis probatur. Primùm quia nullibi id tanquam de fide expreſsè definitum extat: licèt enim paſſim aſſeratur ſedem Apoſtolicam & Romanam, nunquã à vero deflexiſſe, vt à Bonifacio 2. epiſt. ad Eulalium & Agatone epiſt. ad ſextam ſynodum Conſtantinopolit.; expreſsè tamen his locis non aſſeritur, eam non poſſe à vero deflectere. Secundò, Doctores contrariæ ſententiæ vt Alliacenſis, Gerſon. Almaïnus, Maior Cuſanus, Adrianus, & alij neq; in hac parte, neque in vlla alia, ab Eccleſia ſunt condemnati: ſcio quidẽ in re Pontificia Alliacenſem, Gerſonium & Almaïnum non eſſe tantæ authoritatis, quia tempore ſchiſmatum floruerunt, & ſcripſerunt: duo priores, quando tres ſe pro Pontificibus gerebant: po-

Non eſt de fide, ſummum Pontificẽ etſi agat vt Pontifex, eſſe infallibilem.

ſtremus

ſtremus vero nempe Almaïnus tempore Iullij II[i] & conciliabuli Turonenſis, quo Gallia ſub Ludouico XII. à Sede Apoſtolica defecerat, nihilominus nuſquam in Eccleſia vllius hæreſis ſuſpectos, conuictos, aut accuſatos fuiſſe legimus, quinimmò Gerſon Doctor Chriſtianus nuncupatur, fortè à regno Galliæ cuius erat ciuis, quod inter alia regna Chriſtianiſſimum nuncupatur, vel potius à tractatibus quos de fide & examine doctrinarũ luculenter edidit: vt vt ſit in rebus Põtificiis, cùm tẽpore horrẽdi ſchiſmatis vixerit, tantæ authoritatis in Eccleſia nõ habetur. Tertiò, ſi eſſet de fide, Pontificem vt Pontificem errare non poſſe, maximè propter teſtimonia quibus id D. Petro promittitur, vt Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu conuerſus aliquando confirma fratres tuos.* Sed his non expreſse aſſeritur, ſummum Pontificem eſſe in decernendo infallibilem. Tum quia reſponderi poteſt, ibi tantùm fieri mentionem D. Petri, non autem ſucceſſorum illius; neque enim neceſſe eſt omnia & ſingula Petri priuilegia, ſucceſſoribus conuenire, quinimmò contrarium experientia conſtat. Petrus enim plenitudine Chariſmatum, dono linguarum, & miraculorum, authoritate libros canonicos condendi donatus eſt, quæ certè ſucceſſoribus eius non cõueniunt: tum quia per Petram intelligit Auguſtin. Chriſtũ, quòd quãuis ex ignoratione linguæ Græcæ & Syriacæ ei exciderit, eius tamẽ interpretatio nunquam fuit ab Eccleſia cõdemnata: tum quia multi, inter quos ſunt Gerſon & Almaïnus,

Quare Gerſon in rebus Põtificiis nõ ſittãtę authoritatis.

dicunt Christum rogãdo pro Petro, pro Ecclesia vniuersali per Petrum tanquam vniuersale caput repræsentata, rogâsse, ne scil. fides eius vnquam deficeret; ideoq; aiunt Christum non tam pro fide Petri, quàm pro fide vniuersalis Ecclesiæ immediatè rogâsse. Alij docent Christum orâsse pro Petro quatenus erat priuata persona, vt in fide, nõ obstantibus Sathanæ tentationibus & Iudæorum Gentiliumque persecutionibus firmiter perseueraret, quorum expositiones licèt nobis infrà sint refellendæ, satis tamen sunt vt argumentum fidei ex illis testimoniis non eruatur, sicut nec ex verbis Ioannis vlti. *Pasce oues meas.* Licet enim hæc verba, vt iam docuimus non solùm ad Petrum, sed etiam ad illius successores extendantur, illi tamen dicuntur oues doctrinæ pabulo pascere, quatenus emergentibus in fide dubiis, concilia œcumenica quibus ex consensu, & ordinatione totius Ecclesiæ fides infallibiliter decernitur, possunt conuocare. Eodemq; modo exponitur quod habetur 24. quæst. 1. capit. Quoties, vbi ait Innocentius: *Quoties ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum,* id est, *sui nominis honorem & authoritatem habentem recurrendum est.* & capitulo Maiores. ibidẽ, *Maiores Ecclesiæ causas* (quales sunt quę ad fidem spectant) *ad Petri Sedem esse referendas:* ait enim Almaïnus hoc esse verum regulariter & ordinariè: quia regulariter non est Ecclesia congregata, ideoque à solo Romano Pontifice terminantur: ita tamen inquit, vt quatenus sunt ab eo absq̃ue concilio terminatæ, vim fidei Catholicæ non habeant, sed tantum nequis aduersus Pontificis definitionem publicè reclamare, aut dogmatizare audeat. Breuius re-

ſpondetur, maiores Eccleſiæ cauſas ad ſummum Pontificem ſemper eſſe referendas, vt ſi rei grauitas & dificultas poſtulet, concilium generale, cuius conuocatio ad eum ſolum, niſi in quibuſdam caſibus, de quibus infrà, pertinet, conuocet & indicat. Ex quibus ſequitur de fide non eſſe, ſummumPontificem, etiamſi agat vt Pontifex, priuilegio infallibilitatis gaudere, ſed nec ſimiliter eſſe erroneum, aut temerarium ſaltem temeritate opinionis; cùm enim ex Cano. lib. 12. de locis, ca. 10. tres ſint gradus propoſitionis erroneæ. Primus quãdo propoſitio pugnat contra veritatem, non quidẽ fidei Catholicę & vniuerſalis, ſed doctrinę tantùm Chriſtianæ; ita vt per eam non euertatur aut extinguatur fides, ſed tantùm infirmetur, & veluti obſcuretur, vt qui pronũciaret Chriſtum non fuiſſe riſibilem, ex quo à poſteriori ſuſpicaretur quis, eũ non fuiſſe verum hominem, vel ſpeciales orationes certæ alicui perſonæ per Prælatos applicatas, illi non magis quàm aliis quibus ſpecialiter non applicatur prodeſſe: ſic enim homines ab orando pro ſe inuicem, retardarentur, aut certe ſuſpicarentur orationes noſtras coram Deo nullius pro aliis eſſe momenti. Secundus, quando propoſitio pugnat contra veritatem conſtanti ſapientum omnium opinione, tanquam de fide receptam, etſi hæc ab Eccleſia non ſit plane definita, vt qui diceret per ſolam manuũ impoſitionem, non per inſtrumentorũ cõſecrationis porrectionem Sacerdotes ordinari. Tertiò vero, nonnunquã propoſitio erronea dicitur quę certæ veritatiCatholicæ aduerſatur, non manifeſte quidem, ſed ſapientum omnium longe probabiliſſima, ac ferme neceſſaria ſen-

Tres gradus propoſitionis erroneæ.

tentia, vt qui repugnaret rationibus quas concilia interdum in definitionibus adferunt: Cùm inquam tres ſint gradus propoſitionis erroneæ, nullo horum graduum poteſt opinio Gerſonis Almaïni, & cæterorum dici erronea non primo modo, quia etiamſi dicatur Pontificem ſeorſim à concilio non eſſe infallibilem, non obſcuratur aut infirmatur propterea quædã veritas fidei; neq; contra doctrinam vniuerſalem & Catholicam aliquid ſequitur: præſertim, cùm loci omnes ſcripturæ, canonum, & Patrum ex quibus Pontificis infallibilitas eruitur, ab illis ſi non perfectè & euidenter, ſaltem ſatis ad erroris periculum euitandum ſoluantur. Non ſecũdo & tertio modo, tum quia Doctores illi ab Eccleſia tolerãtur ſaltem nullomodo ab ea ſunt condemnati, & inter peritos habentur, ideoq; eorum ſententiam non eſſe erroneam patet: ſed neq; temerariam; hæc enim propoſitio temeraria dicitur, quæ contra vnanimem Doctorum conſenſum abſq; vlla ratione probabili aſſeritur: eius autẽ generis non eſſe prædictam opinionem ſatis conſtat, cùm à pleriſque Doctoribus defendatur, neque rationibus ſaltem apparentibus & veriſimilibus deſtituatur. Dixi verò non eſſe temerariam ſaltẽ temeritate opinionis, quia quicquid ſit de opinione ſecundum ſe temeraria, nemo negare poteſt quín hæc propoſitio, quòd Põtifex vt Pontifex, cõtra fidem poſſit decernere, viam faciat ad inobedientiam, occaſionẽmque præbeat dubitãdi de multis quæ iam toto orbe recepta ſunt, & à Põtifice iudicata, quod non vacat ſpecie aliqua temeritatis. Poſterior pars cõcluſionis: Abſolutè certum eſt, ſummum Pontificem, neque in fide, neque in moribus ex

Non eſt erroneũ aut temerarium temeritate opinionis ſummum Pontificẽ in decernendo errare poſſe.

Eſt temerarium temeritatẽ inobediẽtiæ dicere Pontificẽ in decernendo errare poſſe.

cathedra decernendis errare posse, statimque à sua canonica electione infallibilitatis priuilegio à Christo donari. Laudabilis in Academia Parisiensi viget consuetudo, qua Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri, protestationes præmittũt, se nolle quidquã contra decreta sanctæ matris Ecclesiæ, nec non sanctæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ asserere, aut defendere: & si quid in æstu disputationis aduersus eiusmodi decreta illis exciderit, vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipitio attribuendum velle. Vt autẽ apertius hæc veritas demõstretur placet in primis demonstrare hanc infallibilitatem D. Petro concessam fuisse: deinde verò eam Petri successoribus meritò conuenire. Primus itaque locus est Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Cuius vis ex metaphora Petræ, seu fundamẽti ędificij maximè innotescit, hoc enim corruẽte totum simul ædificium corruere necesse est: sicut eo stãte immobiliter perseuerat. Secundus locus ex quo hæc infallibilitas euidẽter eruitur, est Lucæ 22. *Simon ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:* vbi tria ad huius loci vim intelligendam animaduertenda sunt. Primùm circunstantia temporis & loci, quo Christus hæc verba protulit, Cœna nempe facta conturbatis Apostolis, propter vnũ ex illis qui Christum erat proditurus, & dissentiẽtibus eorum animis pro primatu, quis nẽpe eorum futurus esset maior: quam contentionem postquam sanâsset Christus his verbis, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic,* quibus

Absolutè certũ est summum Pontificẽ in decernendo esse infallibilem.

non dominiũ, ſed appetitum dominãdi dãnat(ſtatim oſtẽdit) Petrum inter eos fore maiorẽ & ſuperiorem.

Secundò obſeruandum eſt, ſolum Petrum inter alios confirmationẽin fide accepiſſe. *Sathanas*(inquit Chriſtus) *expetiuit vos, ego autem rogaui pro te Petre,* quo quidem manifeſte oſtẽditur, maiorem Petri tanquam ſupremi capitis, quàm reliquorum Apoſtolorum curam habuiſſe, vtpote cui ex officio incumberet cæteros in fide ſi quando vacillarent confirmare: neque hoc mihi adſcribi velim; ſic enim patres olim verba hæc expoſuerunt. Leo Magnus in anniuerſario aſſumptionis ſuæ: *Commune quidem erat omnibus Apoſtolis periculum, ſpecialis tamen à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur: tanquam ſi aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit in Petro, ergo omnium fortitudo munitur, & ita gratiæ diuinæ ordinatur auxiliũ, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Hęc ille, nec diſſimilia docet author quæſtionum Veteris & Noui Teſtamenti, quæſt. 79. *Pro Petro rogabat Saluator, pro Jacobo autem & Ioanne non rogabat, manifeſtum eſt, in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogâſſe dignoſcitur, ſemper enim in præpoſito populus laudatur, aut corripitur.* Hæc ille. Quibus verbis notabit Vigorius, authorem harum quæſtionum reliquos Apoſtolos, cum Petro tanquam ſubditos cum principe, & oues cum paſtore conferre; hos enim nomine populi ſignificat, ideoque orationem Chriſti de ſolo Petro, tanquam aliorum principe intelligendam eſſe. Vide Auguſtinum ſerm. 124. de tempore.

Tertio, ſimiliter eſt obſeruandum, ideo pro fide

Petri, Christum proprie supplicásse, vt ille conuersus fratres suos ex officio confirmaret: vbi fratrum nomine intelliguntur Apostoli, & ex consequenti Episcopi, cæterique alij collegæ & ministri, qui in partem sollicitudinis cum Petro iam à Christo erant designati; vel si mauis, quotquot Christo nomen dederãt & daturi erant, neq; enim nouum est, aut inusitatum omnes Christianos fratres Petri, seu summi Pontificis nuncupare ab eodem scilicèt patre progenitos, ex eodem baptismi vtero emissos, & ad eandem hæreditatem vocatos, illudque constat ex eiusdem Christi verbis Matth. 28. quibus Petrum ita est alloquutus: *Si peccauerit in te frater tuus:* Per fratrem quoslibet Christianos intelligens, quos ab eo tãquam à Pastore confirmandos, & corroborandos vult ipse Christus, Lucæ 22. quin etiam hoc fratrum nomine infideles ratione prædestinationis æternæ intellexit, duo siquidem sunt Pastoris munera; Vnum incredulos conuertere, alterum fideles in fide conseruare & confirmare, ita vt verbis Christi: *Et tu conuersus confirma fratres tuos*, vtrumque munus Petro committatur.

Cæterùm etiamsi contra hunc locum Caluinus in Institutionibus & in Harmonia Euangelicâ, Beza in Annotationibus, Philippus Mornaïus tractatu de Ecclesia, nunquã insurgere ausi fuerint; Richerius tamẽ & Vigorius eum deprauata interpretatione omninò labefactant. Primùm enim aiunt, Verba Christi de Ecclesia, non de persona Petri esse intelligenda, quod olim Almaïnus, sed multò moderatiùs docuerat: Ait enim lib. de potest. Eccl. cap. 10. Christum immediatè pro Ecclesiâ, per Petrum tanquam supremum illius

Defenditur locus hic Lucæ 22. rogaui pro te Petre, vt nõ deficiat fides, cõtra Rich. & Vigor.

caput repræsentata rogâsse; pro ipso autem mediatè duntaxat. Secundò aiunt, siquis pugnaciter de persona Petri intelligenda esse contendat, ad solum dominicæ Passionis tempus, quo in fide admodum confortatus, eam etsi ore tenus negauerit, corde tamen firmiter retinuit, esse referenda: Præsertim cùm die Resurrectionis nutantes discipulorum animos, in fide huius Resurrectionis confirmauerit. Vtraque hæc responsio suo ordine refellenda est. Et quidem quòd Christus non ad Ecclesiam, sed ad personam Petri sermonem suum direxit, ex variis circunstantiis manifestè constat, nam bis nomen ipsius Petri repetit dicẽs, *Simon, Simon*, vt ex textu Græco patet. Deinde subdit, *Sathanas expetiuit vos*, id est vos omnes Apostolos; aut totam Ecclesiam meam, & mox formam loquendi mutat dicens. *Ego autem rogaui pro te, Petre.* Quòd si immediatè pro Ecclesia aut Apostolis collectiuè rogâsset, certè dicendum illi fuisset: *Ego autem rogaui pro vobis*. Verùm non sic dixit; sed, *rogaui pro te*; & addidit. *Vt non deficiat fides tua;* non vestra: subiunxitque, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Atqui Ecclesia Vniuersalis non habet fratres quos confirmet, nam omnes tanquam filios suos ex eius vtero prognatos agnoscit. Petrus autem Apostolos, Prælatos, Christianos, atque infideles eo sensu, quo diximus pro fratribus agnoscit: illudque ex Ambrosio in Psal. 43um colligitur. *Vide* (inquit) *& intellige quid dicat Dominus, ventilatur Petrus, incidit in tentationes, sed Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à Diabolo est, ideoq; ante significat Dominus quid sit illud, quod postea eum eligit Dominici gregis Pastorem: nam huic dixit. Tu autem conuersus confirma*

firma fratres tuos. Sic Theophylactus hunc Lucæ locum illustrans: *Manifestus* (inquit) *verborum sensus est, cùm te discipulorum principẽ fecerim; tu cum resipueris, confirma reliquos; hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ Petra, & fundamentum es.* Sed hæc multo clariùs: cum de successoribus Petri, hanc Christi orationem intelligendam esse docebimus.

Quod ergo ad secundam responsionem, pro solo nempe tempore Passionis orationem Christi efficaciam habuisse, nescio vnde hanc restrictionem acceperit Richerius, nouum enim est commentum, & à nullo quem sciam quantumuis Sedi Apostolicæ infenso excogitatum, ex putido fortè anti-Bellarmini puteo, quamuis dissimulet, hausit. Verùm quo magis istud nouũ est, eo facilius refellitur; Primùm enim si pro solo tempore Passionis oratio Christi pro Petro facta esset, parũ immò nihil ipsa profuisset: siquidem grauissimum Petri peccatum quo ter ad vocem vilis ancillæ Christum negauit, non impediuisset: & quamuis fidem corde & animo tunc retinuerit, cùm tamen eam exteriùs vrgente necessitate confitendi Christum, intrepidè professus non fuerit, non est dubium quin grauiter deliquerit, & quidem peccato infidelitatis, cùm contra fidei confessionem egerit. parum ergo immò nihil hæc oratio Christi profuit, si ad aliud quàm passionis tempus non extendatur. Secundo post Ascensionem Christi Petrus nunquam Christum negauit, sed coram regibus & principibus intrepidè eum cõfessus est, sibi honorificentissimum ducens, contumeliam pati pro eius nomine; item nutantes in fide confirmauit, deuios & errantes reduxit,

Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, de solo Passionis tẽpore non intelligitur.

fidem per omnes ferè mundi plagas disseminauit, in quibus varias fundauit Ecclesias, adeo vt non verbera, non crux, non ignis, non bestiæ, non gladij eum à sanctissimo proposito, & à Christi cõfessione, fideiq; professione deterruerint. Maior ergo ratio est, ad hoc tempus quod Ascensionem Christi est consequutum efficaciam orationis Christi referre, quàm ad tempus Passionis. Mirum certè est Richerium & Vigorium dixisse, ex vi orationis Christi Petrum infallibilitate donatum pro eo tempore, quo grauissimum infidelitatis saltem exterioris crimen commisit, quod perpetuis pœnè lachrymis eluẽdum duxit, non autem pro eo tempore quo pro fidei promulgatione tam multa tamq; præclara generosissimè præstitit: hoc sanè non tam refutatione quàm sibilo dignũ esse nemo est qui non videat. Tertio, non tantùm Sathanas tempore Passionis cribrauit Apostolos, sed multo crudeliùs & periculosiùs post Christi ascensionem, per Iudæorum scilicèt tyrannorũque persecutiones. Cùm ergo oratio Christi pro Apostolis esset ad eos contra Sathanæ insidias, & tẽtationes præmuniẽdos, quãdiu furere & insidiari debebat Sathanas, quod per totam Apostolorum vitam futurum erat, tandiu orationem vim habere oportuit. Quarto falsum est Apostolos in fide resurrectionis à D. Petro confirmatos fuisse, tum quia in Galilæa de hoc mysterio à Christo ipso quando eos conspectu, & alloquio suo per quadraginta dies dignatus est, plenè edocti sunt, nec opus erat Christo docente eos à Petro edoceri & confirmari; tum quia die Resurrectionis ad hanc Resurrectionis fidem non erant dispositi: si quidem cùm ad eos accesserunt mu-

lieres, Christum resurrexisse nunciantes, quasi aniles nugas audiuissent, non crediderũt: tum quia nusquam legitur D. Petrum Apostolos mysterium Resurrectionis docuisse; quinimmo ne quidem in Galilæam, vbi de hoc mysterio certiores fieri debebant eius monitu ductuque sunt profecti. Quinto, ex verbis Christi: *Et tu aliquando confirma fratres tuos;* liquido constat, cum de cõfirmatione Apostolorum longo post Passionem tẽpore futura, fuisse loquutum, quippe cùm aduerbium hoc (aliquando) vt docent Grammatici, non proximum, & imminens aliquod tempus significat, quale erat tempus Passionis quod erat quã-proximum, sed multo longinquius & remotius. Deinde participium (conuersus) Græcè ἐπιστρέψας licet conuersionem & reductionem à peccato trinæ negationis, ex Ambrosio & Euthymio significet, non tamen propterea sequitur Petrum statim per pœnitentiam à peccato conuersum & reductũ Apostolos confirmare debuisse; si quidem ipso triduo Passionis, eos cum tunc maximè nutarent, & præ terrore Christum turpiter reliquissent, confirmare debuisset, quod tamen minimè prȩstitit, cùm totum triduum in deflendo peccato consumpserit. Adde valde esse probabile quod notauit Beda, nempe verbum hoc, *conuersus*, esse Hebraïsmum, pro, iterum, seu denuo, quasi Christus Petro tũc diceret, Sicut vidisti me Apostolos fratres tuos, si quando nutarent confirmare & corroborare; tu iterum eos confirmabis, & corroborabis: Atqui Christus toto vitæ tempore eos confirmauit; eaque confirmatio illi ex officio incumbebat: ita & Petrus eosdem Apostolos toto vitæ tempore, si quando

Quid significet participiũ Cõuersus.

tentationum æstibus vrgerentur, & vacillarent, confirmare ex officio debuit. Tertius Scripturæ locus est Ioan. vlt. *Pasce oues meas:* his enim verbis Petrus Pastor & Doctor Ecclesiæ vniuersalis est institutus, vt ex supradictis patet, & ex concilio Lugdunensi, sub Innocentio IV. circa annum 1244. & refertur in 6. tit. de homicidio, vbi expressè habetur, *Dominum ascensurum in cœlum post Resurrectionem suam, ne Ecclesiam sine Pastore relinqueret, ipsius curam beato Petro commisisse, his verbis, Pasce oues meas, Pasce agnos meos, vt suæ stabilitate fidei, cæteros in Christiana religione confirmaret.* Vbi obiter notandum est quod iam suprà annotauimus, per oues & agnos intelligi vniuersam fidelium multitudinẽ, in qua alij sunt Prælati, per oues quæ agnos generant adumbrati; alij vero laïci qui nullos ex officio Christo pariunt, per agnos significati. Secundo duas esse partes officij Pastoralis seu prædicationis fidei: prior est infideles ad fidem conuertere; posterior non minoris momenti, & meriti fideles in fide confirmare & conseruare. Vtrumque munus Apostolus ad Ephes. 4. exprimit dicens, Pastores esse datos *ad ædificationem corporis Christi*, quæ in infidelium conuersione relucet, *Et ad consummationem sanctorum*, id est cõfirmationem, Græcè καταρτισμόν. Fideliũ prioris officij Petri mentio fit Matthæi 16. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Posterioris vero Ioan. 22. his verbis, *Pasce oues meas*, in quo potissimum Pastoralis potestas & authoritas conspicitur. Hæc enim non in incredulos qui foris sunt, sed in infideles qui intus degunt, exercetur.

Hæc autem veritas, vt Scripturæ sic & Patrum te-

ſtimoniis roboratur. Petrus enim ab Origene Hom. 5. in Exodum, *Solidiſſima Eccleſiæ Petra*: ab Hypolito martyre, *Fidei lapis*: à concilio Calcedonenſi, *Fundamentum*: ab Optato contra Parmenianum, *Crepido ipſius Eccleſiæ*, non ſolùm quia fides eius nullis tentationibus concuti poterat, ſed quia futurus erat Doctor reliquorum Apoſtolorum, & ex conſequenti totius Eccleſiæ. Quòd ſi vrgeant Vigorius & Richerius eum in ceſſatione legalium aberrâſſe, & à Paulo tãquam non ſecundùm Euangelij veritatem ambulantem grauiter increpatum, ad Catholicos qui nouatorum errores confutarunt eos remittimus; neque enim aliorum ſcriptis toties recantatis commentarios noſtros conſarcinare decreuimus.

Vnum tamen in libello Richerij noſtra animaduerſione, & caſtigatione dignũ adhuc occurrit, quod videlicet differentiam ſtatuat inter hæc duo; fidem non deficere, &, non errare, ſeu eſſe infallibilem: ita vt ex eo quod Chriſtus pro Petro rogauerit, ne deficeret fides eius, non ſequatur Chriſtum rogâſſe, ne erraret aut vt eſſet infallibilis; quia inquit, de facto poſt orationem Chriſti, cùm ad ancillæ vocem ter Chriſtum negauit, in errorem lapſus eſt, ſed nihilominus fides eius ſecundùm habitum remanſit, etiamſi quoad actum defecerit. Hæc Richerij diſtinctio peccat in multis. Primùm enim falſum eſt Petrũ, nocte Paſſionis Dominicæ, cùm Chriſtum ter negauit, fidem quoad actum perdidiſſe: duo ſiquidem ſunt actus fidei, vnus interior, quo omnibus per Chriſtum & Eccleſiam reuelatis aſſenſum præbemus: alter exterior quo fidem hanc publicè coram hominibus profitemur,

Refellitur Richerius quod hæc duo diſtinxerit, fidem nõ deficere, & non errare, ſeu eſſe infallibilem.

quod perſpicuè ex Apoſtolo, 10. ad Romanos liquet, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autẽ fit confeſſio ad ſalutem*, Inter quos iſtud eſt diſcriminis, quòd interior ſit actus fidei primarius & præcipuus, & à nullo alio habitu dependens: exterior verò ſecundarius, & tum à fidei habitu, cùm ab interiori eius actu dependens: *Credidi propter quod locutus ſum.* Pſal. 115. *Et nos credimus propter quod & loquimur*, 2. ad Corinth. 4. Quo fit vt interior abſq; exteriori ſtare poſſit; ſed non ecõtra. Petrus itaque in trina ſua negatione, contra exteriorem fidei actum egit, ſed non contra interiorẽ primarium & præcipuum: itaque nocte Paſſionis Chriſtum ter abnegando, nec fidem in habitu, nec eandem in actu primario & præcipuo perdidit. Secundò, non minùs falſum eſt, D. Petrum in hac trina negatione propriè & per ſe erràſſe, licet enim grauiſſimè peccauerit, & actum exterioris infidelitatis exercuerit, propriè tamen & per ſe non errauit, cùm error ſit actus intellectus, quo quis obfirmatè falſum ſibi perſuadet. Ergo etiã ſi Petrus Chriſtum ore negauerit, non propterea ſequitur eum ſibi firmiter in animum aliquid contra Chriſti dignitatem & excellentiam induxiſſe, ſicut neque, quamuis ſe Chriſtum minimè nouiſſe aſſeruerit, interiùs propterea ſibi in animum induxit, quòd eum minimè nouiſſet: quamobrem falsò aſſerit Richerius D. Petrum Chriſtum ter abnegando, erràſſe; peccauit quidem, ſed propriè non errauit: niſi fortè quis dicat eum erràſſe, quando conſultius putauit Chriſtum negare, & negando tormẽta euadere, quàm eum confiteri, & tormenta ſubire. Sed de hoc errore qui omnibus quoties peccant commune eſt, iuxta il-

D. Petrus negando ter Chriſtum, nec propriè errauit, nec fidem in habitu & actu perdidit, ſed tãtum grauiter peccauit.

lud, *Errant omnes qui operantur iniquitatem*, non loquitur Richerius, ſed de errore reſpectu fidei in Chriſtũ, quem conſtanter aſſerimus in Petro non fuiſſe. Marcellinus Papa, Origenes & nonnulli alij graſſante perſecutione, thus idolis adolendo peccarunt, ſed nemo propterea eos fidem ſecundùm interiorẽ actum perdidiſſe, vel in errorem incidiſſe dixit vnquam; contrarium enim ſatis ex eo colligitur quòd vbi è manibus tyrannorum & tortorum euaſerunt, ſtatim eos facti pœnituerit, & in Eccleſia fidem abſque vlla hæſitatione fuerint profeſſi. Tertiò, ſimiliter falſum eſt hæc duo idem prorſus ſignificare, errare, & fidem deficere, multi enim errant in quibus tamen fides integra & intemerata manet. Cyprianus errauit dum ab hæreticis baptizatos rebaptizandos putauit, nec tamen vllum fides eius paſſa eſt detrimentum: vnde merito dicebat Hieronymus, *Errare poſſum, ſed hæreticus eſſe non poſſum*, quia etſi error homini Catholico nonnunquam obrepat, vbi tamen Eccleſiam aliter ſentire audit, ſtatim ab errore reſipiſcit, nec in hæreſim incidit, eiuſque fides propterea recta manet & illibata. Itaque concludendum eſt etiam ſi D. Petrus grauiſſimè peccauerit, ore tenus Chriſtum negando, nihilominus non propterea errauit, neque eius fides tam ſecũdùm habitum, quàm ſecundùm interiorem actum primarium & præcipuum vllomodo deperiit.

Quod infallibilitatis priuilegium ad Petri successores transierit, neque in solo D. Petro steterit.

QVÆSTIO II.

PROMISSIONES Christi pro infallibilitatis priuilegio ad Romanos Pontifices Petri successores nullomodò transiisse pugnaciter contendit Vigorius, affirmatque istud non errandi priuilegiũ, in Ecclesia vel diffusa per orbẽ, vel in concilio generali coacta solùm relucere: sed contrarium (præter paucos quosdam suprà citatos) docent omnes quotquot sunt Catholici Doctores; Quorũ sententia vt clariùs demonstretur, sciendum est imprimis, etiãsi D. Petrus duplici respectu, & vt priuata persona, & vt Pastor vniuersalis Ecclesiæ, infallibilitatem habuerit, Christum tamen hac oratione quæ Lucę 22 habetur, non pro eo personaliter, sed tãtùm vt pastor vniuersalis rogâsse, quippè cùm paulò post Ioan. 17. pro omnibus Apostolis personaliter, de quorũ numero erat D. Petrus rogauerit, his verbis: *Sicut me misisti in mundũ, ita & ego eos misi in mundum, & pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti, vt sint consummati in vnum, &c.* Atqui ad hanc sanctificationem & consummationem perseuerantia in fide prorsus est necessaria, cùm aliter sanctificari multóque magis consummari sit impossibile: igitur Ioan. 17. rogauit Christus pro fide personali, & priuata D. Petri, sicut & reliquorum Apostolorum, non autem Lucæ 22. Deinde perseuerantia hæc in fide seu infallibilitas personalis

Lucæ 22. Christus rogauit pro fide Petri, vt erat futurus Pastor vniuersalis Ecclesiæ.

fuit

fuit donum commune omnibus Apostolis: atqui certum est Christum Lucæ 22. aliquid peculiare pro D. Petro rogâsse & impetrâsse, cùm Christus pro sua reuerentia semper exaudiatur: igitur Lucæ 22. pro fide Petri quatenus futurus erat vniuersalis omniũ Christianorum Doctor rogauit: & Ioan. 17. pro fide eius priuata & personali. Tertiò, ratio cur Lucæ 22. Christus pro Petro rogauerit, est, quia Sathanas expetierat cribrare omnes Apostolos, id est, totam Ecclesiam: igitur hæc oratio in vtilitatẽ publicã Ecclesiæ potius quàm in priuatam, & personalẽ D. Petri referebatur. ex quo manifestè colligitur priuilegium infallibilitatis D. Petri in successoribus reperiri; cùm enim Christus Lucæ 22. pro eo non vt priuata erat persona, sed vt Pastor erat, aut esse debebat vniuersalis, rogauerit. Pro omnibus similiter, in quibus hæc Pastoralis dignitas residet, eum rogâsse concluditur: ita vt potiùs pro ipsa dignitate & Sede Apostolica, quàm pro D. Petro hanc suam ad Patrem orationem fuderit; siquidem ad Ecclesiam contra Sathanæ tentationes præmuniendam fuit instituta, quæ cum non tãtum tempore D. Petri, sed quouis alio tempore subsequenti aduersus eam essent sæuituræ, debuit Christus non tantùm pro pastore vniuersalis Ecclesiæ Apostolorum tempore, sed pro quouis alio Pastore rogare.

Decretalibus Põtificũ Romanorum probatur sanctę Sedis Apostolicæ infallibilitas.

Quod primũ probatur ex variis Pontificibus martyrio & sanctitate claris, quorum propterea testimonium est omni exceptione maius, neq; ab aliquo non nisi gnauiter impudente potest reiici Lucio I. epist. ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ. *Ecclesia Romana Apostolica est & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tra-*

mite Apostolicæ traditionis nunquam erráße probatur, nec hæreticis deprauata nouitatibus succubuit secundùm ipsius Domini pollicitationem, Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Fœlice 1. epist. ad Benignum: *Ecclesia Romana vt in exordio normam fidei Christianæ percepit, ab authoribus suis Apostolorum principibus illibata manet, iuxta illud: Ego rogaui pro te:* Leone I. *specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri proximè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit:* Agathone epist. quæ refertur & approbatur 6. Synodo act. 8. *Ecclesia Romana nunquam errauit à tramite Apostolicæ traditionis, quia dictum est Petro, Ego rogaui pro te Petre,* & addit, *sic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos meæ exiguitatis prædecessores fecisse semper cunctis est agnitum:* Nicolao I. epist. ad Michaëlem Imperatorem, vbi inter alia dicit, *Priuilegia Sedis Romanæ fore perpetua*, quod præcipuè de infallibilitate intelligit, quia dictum est Petro: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Leone IX°. epist ad Petrum Antiochenum, vbi dicit, *Dominum pro solo Petro hic rogáße;* & subdit, *Quia venerabilis & efficax oratio obtinuit quod hactenus fides Petri non defecit, nec defutura creditur in throno illius.* Et Innocentius III[us] cap. maiores, de baptismo & eius effectu: *Maiores Ecclesiæ causas, præsertim circa articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exoráße ne deficeret fides eius.* Cæteros lubens prætereo, ne in re aperta & trita nimis hæream; Vnum tamen nequaquam omittendum censeo ex Melchiore can. 6. de locis Theologicis, cap. 4. sub finé, olim non aliter

eos qui à fide defecerant in Ecclesiæ gremium receptos fuisse, quàm sub huius confessionis formula à Bonifacio II. epist. ad Eulalium primum præscripta, ab Hormisda ad Episcopos Hispaniæ missa, & ab Adriano I. in 8. Synodo generali publice proposita: *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare; & quia non potest Domini nostri* IESV CHRISTI *prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, anathematizamus omnes, qui cõtra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam suas erigunt ceruices, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas, profitemurque sequestratos à communione Ecclesiæ,* id est, *non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra recitãda non esse mysteria, qui videlicet sanctæ Romanæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur.* Et hanc confessionem Ioannes Constantinopol. publice pronunciauit, cum Ecclesia Constantinopolitana à Romana (à qua authore Acacio defecerat) in pacem vnionemque recepta est: ex quibus efficitur Pontifices Romanos D. Petri successores in definiendis tam fide quàm moribus priuilegio infallibilitatis esse à Christo donatos: & quamuis Richerius & Vigorius Pontifices in propria causa minime esse audiendos astruant; dicendum tamen est primò quæstionem hanc de infallibili Sedis Apostolicæ iudicio, non tam ad Romanos Pontifices, quàm ad totam Ecclesiam pertinere, quæ in illis tanquam regnum in Rege, ædificium in fundamento tota subsistit: vt loco citato præclare docet D. Leo; deinde iã suprà pluribus ostendimus, licere Papæ, non minus

 quàm

quàm huius sæculi principibus, in propria causa ius dicere, ex. cap. cum venissent. de iudiciis; *Cùm super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus per alios de ipsis iudicari.*

Authoritate veteri patrum præsertim Gallorum idem probatur.

Secundum argumentum desumitur ex patribus, quorum testimonium etsi non tanti apud Catholicos momenti sit ac Pontificum Romanorum, quippe qui ex cathedra, & authoritate à Christo accepta definiunt; apud peruicaces, proteruos tamen & Pontificibus infensos, quales sunt Richerius & Vigorius maioris fortè momēti erunt, & ne lectoribus tædium adferamus, Gallorum patrum duntaxat testimonia proferemus. Primumque Irenei Lugdunensis Episcopi lib 3. aduersus hæreses. *Sed quoniam* (inquit) *omnium Ecclesiarum numerare successiones valdè longum est, maximè & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem, peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes qui præterquam oportet intelligunt; ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Hactenus Irenæus. Vbi notabunt aduersarij particulam, (necesse est;) hac enim ostendit Irenæus omnibus quotquot sunt fidelibus de necessitate salutis esse, cum Sede Apostolica communionem habere, &, qui ab ea præscinditur, prophanum extraneum, & extra viam salutis esse. Prosper Aquitanus patria Lemouicensis cap. 2. de ingratis, vbi de Simone Hæresiarcha à Petro mirabiliter profligato, loquitur.

Pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris:
Facta caput, mundo quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

Et in Chronicis, *Ex concilio Carthaginensi ducētorum septemdecim Episcoporum ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata sunt. Quibus probatis per totū hæresis Pelagiana dānata est;* Quippe cùm scil. definitionibus Pontificis nullū errorem obrepere sciret, & firmiter quod ipse definit esse tenendum, iudicaret. Alcuinus origine Scotus, sed præceptura Caroli Magni & Academię Parisiēsis fundatione Gallus, lib. 1. de diuinis offic. cap. 19. *Religionis cultum sic Dominus instituit, vt in B. Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare. Vnde constat ab vniuersi orbis communione separatos esse* (sicut docet beatus Pelagius) *qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant.* Lanfrancus, qui cùm Berengario in Parisiensi Academia scholas rexit tract. de Eucharistia contra eundem: *Beati Doctores* (inquit) *si non iisdem verbis, tamen sententiis iisdem multis in locis concorditer adstruxerunt hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat.* At cur quæso hæreticus haberetur si ipsa in hæresim, aut errorē, definiendo posset incidere, vt aduersarij cōtendunt? Anselmus ex matre quā partus sequitur, Narbonensis, liberalibus disciplinis Tholosæ instructus, & in monasticis Becaci in Normania, & ex huius præfectura ad sedē Cantuariēsem

assumptus, cap. 1. lib. de Incarnatione Verbi. *Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem* (alloquitur Vrbanum Pontificem) *cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur.* Bernardus epist. 190. ad Innocentium PP. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei ea præsertim quæ de fide contingunt; Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; Hæc quippe huius prærogatiua Sedis: cui enim alteri aliquando dictum est, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur; Et tu aliquàdo conuersus cōfirma fratres tuos.* Et serm. de priuilegiis B. Ioan. Baptistæ: *Hinc enim mater & magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est; Ergo rogaui pro te vt non deficiat fides tua, in honorem Ioannis Baptistæ pòst Saluatoris nomen cōsecrata est, & signata.*

Conciliis duobus in Gallia celebratis confirmatur infallibilitas Romani Pōtificis.

His subiiciemus duo Gallicana concilia Aurelianense cap. 10. *Quoties aliquid de solemnitate paschatis dubitatur, inquisita, vel agnita per metropolitanos à Sede Apostolica sacra constitutio teneatur:* Non ob aliam certè causam, nisi quia hanc in doctrina firmissimam conseruari huius concilij patres vnanimiter credebant: & Turonense cap. 21. post decretum Papæ recitatum. *Quis* (inquit) *Sacerdotū contra decreta talia quæ à Sede Apostolica processerunt agere præsumat, & quorum auctorum valere posset prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper intromisit, & patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum*

præcepit auctoritas. Ex quibus velint nolint aduersarij liquidò constat veteres Ecclesiæ Gallicanæ proceres, hanc in summis Pontificibus ex Petri successoribus infallibilitatem semper agnouisse, Christiq; Domini orationem in Petro nõ stetisse, sed ad eius successores certissimè transiisse: eósque qui veritatem hanc impugnare conati sunt, à ducentis aut circiter annis quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cœpisse. Sed rem ipsam rationibus Theologicis quibus post authoritatem in fidei materia locus aliquis relinquitur, confirmemus. Primùm ergo, ratio cur Christus prò Petri fide non deficienda rogauerit, fuit propter Ecclesiam ne scil. prostrata principis fide statim ipsa succumberet: atqui Ecclesia tentationibus continuis non tantùm in moribus, sed etiam in fide vsque ad consummationem seculi agitanda præuidebatur à Christo: igitur non tantùm pro fide Petri quẽ statim post mori oportebat, sed pro fide omniũ eius successorum vsque ad extremum iudicij diem Christus orauit, & quidem si tempore D. Petri necessaria fuerit hæc Christi Domini assistẽtia & auxilium, cùm in Ecclesiam tyrannorum, Iudæorum, hæreticorumque sæuiret persecutio, multo magis subsequentibus seculis ea promissionis Christi efficacia opus habuit Ecclesia, cum & tyranni maiore crudelitate Christianos insectati fuerint, & hæretici maiori potentia multitudine, dolis atque cõuitiis Ecclesiam perturbare, & opprimere conati sint. Secundò, in veteri lege Deuteronomij 17. filiis Israël præceptum hoc erat impositum, vt in rebus dubiis iudicio summi Sacerdotis starent: quem locum dolose nedum turpiter Vigorius,

deprauauit; abrasit enim verbum hoc Sacerdotis in singulari, & Sacerdotũ genitiuum pluralem reposuit, ne in supremo Pontifice infallibilitatem decernendi admittere cogeretur, quod iam ante obseruauimus.

Quòd si hac infallibilitate supremum antiquæ legis Sacerdoté Deus donauerit, multo magis supremum in noua lege, quæ quantum vmbra corpus tantùm dignitate veterem superat, Pontificem ea donasse credẽdum est, præsertim cũ in noua lege multo plures in Ecclesiæ gremiũ essent coaptandi, & maiores frequentioresq; dissensiones quàm inter filios Israël angustiis vnius prouinciolę finibus cõtentos, sub oriri debebãt. Tertiò, plurimi Põtifices varios errores absque vllo generali concilio condẽnarunt, quorum condemnatio à tota Ecclesia acceptata fuit, vt patet ex primis trecẽtis annis, in quibus nulla vnquam concilia generalia propter ingruentes persecutiones coacta leguntur, cùm tamen multæ in fide quæstiones toto hoc tempore fœliciter sopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones: nec dicant aduersarij hos errores pro hæresibus habitos non fuisse, donec his Pontificum definitionibus conciliorum generalium calculus accederet; falsum enim est omnibus quotquot fuerunt erroribus à Sede Apostolica damnatis, & qui iam pro hæresibus in Ecclesia habentur, semper accessisse concilij cuiusdam generalis condemnationem. Quòd enim quæso concilium generale Pelagianos damnauit, vt ipsi pro hæreticis in Ecclesia haberentur, certè vt ex Prospero pręmonuimus, post decreta concilij Africani à Zozimo Papa approbata,

Variæ hęresis à Põtificibus sine conciliis dãnatæ.

approbata, ſtatim toto orbe pro hæreticis habiti ſunt ipſi Pelagiani, quod etiam Nouatianos condamnauit qui iam tempore Cypriani inter hæreticos cenſebantur, & Nicenum concilium omnium œcumenicorum primũ cẽtum ferme quinquaginta annis præceſſerũt. Cherintus iam Apoſtolorum tempore, & paulò pòſt, Appelliani, Valẽtiniani, Marcioniſtæ, tanquã hęretici in Eccleſia denigrati ſunt, & contra eorũ hæreſes Irenæus & Tertulianus, & alij calamum acuerunt, quod quæſo concilium generale tunc celebratum fuit, vt ipſi pro hæreticis per totam Eccleſiam haberentur? Diligentiſſimè itaque obſeruandum eſt, vt aliquod dogma tanquam hæreticum habeatur, non eſſe neceſſariam concilij generalis celebrationem, ſed ſufficere ſummi Pontificis condemnationem, vnà cum acceptatione totius Eccleſiæ per orbem diffuſæ; licèt enim decretum Pontificis quatenus ab eo ſolo promanat, de fide non ſit, cùm eius in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè conſtet, vt ſuprà declarauimus: nihilominus ſi hæc condemnatio ab vniuerſali Eccleſia, licèt diffuſa & non coacta in concilio approbetur, iam nemo citra fidei detrimentum ei poteſt contradicere; eſt enim de fide Eccleſiam non tantùm vt congregatam in œcumenico concilio, ſed vt diffuſam per orbem errare non poſſe. Sed hæc inferiùs pluribus, vbi de conciliis diſſeremus. Quartò conſtat nullum vnquam Romanũ Pontificem hæreſim definiuiſſe, & Eccleſiæ credendum propoſuiſſe: vt diſertè docẽt Theodoretus epiſt. ad Renatum, Nicolaus I. epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, & Leo I. epiſt. ad Petrum Antiochenum; licèt enim Richerij

patronus cum nouatoribus, id quamplurimis Pontificibus affingat, à ſcriptoribus tamen controuerſiarum huius ſeculi optimè vindicantur, de qua re ſequenti capite. Quinto, aliæ omnes Sedes Patriarchales in hæreſim inciderunt, vt Conſtantinopolitana, quæ tres Hæreſiarchas tulit, Alexandrina quæ quatuor, Antiochena quæ vnum, nempe Paulum Samoſatenum, & duos hæreticos monothelitas; Hieroſolymitana denique Ioannem Origeniſtam, contra quem Epiphanius & Hieronymus elegantiſſimè ſcripſerunt. Sextò tantã in Eccleſia obtinere debuit ſummus ille antiſtes poteſtatem, quanta ad vnitatem Eccleſiæ retinendam eſt neceſſaria: Atqui ad hanc vnitatem neceſſaria eſt definiẽdi infallibilitas, aliter enim non poſſent lites & diſſenſiones quæ circa fidem indies emergũt, componi, cùm concilia generalia rarò, & cum maxima difficultate cogantur, & hoc tempore in tanta regum Chriſtianorum æmulatione vix ac ne vix quidem celebrari poſſunt. Septimò & poſtremo, dubia quædam ſuboriri poſſunt in Eccleſia, quibus niſi maturè prouideatur in euidens errandi periculum adducitur, vt ſi dubium, oriretur an Euchariſtia eſſet latria adoranda, & an vſus Calicis populo eſſet neceſſarius, certè ſi concilij generalis definitio expectanda foret ad longum tempus ceſſaret iſtud iuge ſacrificium, & populus à communione arcendus eſſet, cùm nonniſi poſt longum tempus concilia generalia celebrentur. Certum itaque eſt in Pontifice infallibilem decernendi authoritatem relucere, eiuſque definitiones tanquam Spiritus ſancti oracula ab omnibus Catholicis eſſe recipienda.

Argumenta Edmundi Richerij, contra summi Pontificis infallibilitatem diluuntur.

QVÆSTIO III.

QVÆ sunt Richerij prius examinanda sunt; est enim Vigorio, & professione, & sciptione anterior: & quãuis sæpe grauiterq; contra artem syllogisticã peccet, & obscuritate nimia sua inuoluat argumẽta: tamẽ quantũ fieri poterit omnia illustrare conabimur, vt earũ futilitas clarius innotescat. Primũ itaque illius argumẽtum: Oculi, quàm vnicus oculus multo longius, atque acrius prospiciunt, & nemini vni vtpotè Pontifici, ne superbiret, datum est à Deo, vel à natura vt sapiat. Deinde: Corpus Ecclesiæ non est vnum membrum, sed multa: si totum corpus oculus, vbi auditus? igitur toti corpori Ecclesiæ, non vni alicui vtpotè Romano Pontifici conuenit infallibilitas. Tertio, primæ ad Cor. 12. & 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis*, id est, Ecclesiæ, *subiectus est:* Ergo multo magis spiritus Romani Pontificis qui à Spiritu sancto non ita ac Prophetæ afflatur. Quartò, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus circundatus est infirmitate*, ac proinde falli & fallere potest, nisi Ecclesiam quæ 1. ad Timoth. 3. est firmamentum, & columna veritatis, in consilium adhibeat. Quintò, Ecclesiæ non vni & soli Petro Dominus in cœlum ascensurus, spiritum veritatis pollicetur. Ioan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis.* Sextò Matth. 18. Christus Ecclesiam sibi ipsi sufficiẽtem & architectonicem infallibilis tribunalis erectione constituit, dum B. Petrum rescire ge-

ſtientem quoties fratri ſuo peccanti indulgeret, in hũc modum informat: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & illum ſolum, &c.* Quædã alia profert Richerius, ſed quia potiùs infallibilitatẽ concilio generali adſtruunt quàm Pontifici detrahant, ideò lubet ea ad diſputationem de conciliis diſſoluẽda remittere. Vt autem hæc Richerij argumenta faciliùs diluantur, ſciendum eſt primò, donum infallibilitatis actiuè & paſſiuè conſiderari; paſſiuè quidem, quatenus quis in errorem induci non poteſt; actiuè vero quatenus alios in errorem nequit inducere. Secundo, infallibilitatem Eccleſiæ & Põtifici à Chriſto eſſe conceſſam, ſed diuerſo modo (de concilio generali non loquor) illa quidem paſſiuè, quatenus nempe vi promiſſionum Chriſti, & perpetuæ Spiritus Sancti aſſiſtentiæ verum pro falſo nunquã poterit acceptare, huic autem quatenus nũquam pro vero falſum in definiendo obtrudet; & id quidem virtute & efficacia orationis Chriſti Lucæ 22. quam non tantùm de D. Petro, ſed etiam de omnibus illius ſucceſſoribus intelligendam eſſe conſtat ex ſuperioribus. Quod autẽ Eccleſiæ prout à concilio diſtinguitur, infallibilitas tantùm paſſiuè conueniat, manifeſtè patet, quòd ipſa hoc modo ſpectata nihil definiat, nullas leges cõdat, nullaque ad emergentia dubia reſponſa reddat; ſed tantùm definitiones & leges à Pontifice vel concilio latas amplectatur, obſeruétque. vnde ſi quæ illi infallibilitas conueniat, vt certè illi aliqua cõuenit; *eſt enim firmamentum & columna veritatis, & portæ inferi nunquam aduerſus eam præualebunt.* alia à paſſiua eſſe non poteſt: actiua ſi quidem ſoli Pontifici definienti, &

Infallibilitatis donum dupliciter conſiderandum. 238.

leges ferenti conuenit. Hæc autem duplex infallibilitas maximam fidei Catholicæ firmitatẽ arguit. Nam si per impossibile Pontifex in definiendo falleretur, Ecclesia tamen illius errore non inficeretur; etsi similiter per impossibile Ecclesia falsum pro vero coleret; Summus tamen Pontifex huiusmodi falsitatem sua definitione quamprimùm damnaret. Dixi verò, si per impossibile, quia quod alterutrum horum falsum pro vero definiat, nunquam potest contingere. Ex his autẽ contra Richerium euidenter sequitur vtramque infallibilitatem, cùm sit diuersæ rationis, inter se minimè pugnare, neque vnam alteram destruere; ideoque eum perperam & falsò ex eo quod infallibilitas Ecclesiæ conueniat, suam Pontifici denegare. Hoc posito, ad primum illius argumentum respondetur, falsam, ineptam & inutiliter allatam esse oculorum similitudinem; falsam quidem, cùm plures oculi non longius atque acrius prospiciãt quàm vnicus: Illi enim videndi aciem sibi mutuo non intendunt, sed nec intendere possunt: deberent namque in suiipsorum organum aliquid immittere, quod tamen minimè faciunt, vt experientia & ratio naturalis euidenter docent; actiones namque oculorum sunt immanẽtes, & in eodem principio à quo proficiscuntur manent: Ideoque externum aliquod subiectum quales sunt oculi alieni afficere nequeunt: Ineptam verò, siquidẽ tantùm abest vt Richerij intento faueat, quin potius contrarium ex ea facilè infertur: Sicut enim vnicus hic oculus quo lõgius atq; acrius plures alij oculi prospicerẽt, sua videndi facultate non caret; ita nec summus Pontifex, etsi multi prælati maiori de

rebus fidei diiudicandi facultate essent prȩditi, sua tamen infallibilitate in ferendo de his rebus iudicio carebit: inutiliter verò allatam, quia etsi cæteris paribus verum sit plures homines meliùs & consultiùs iudicare, quàm vnus; vbi tamen non sunt omnia paria, vt si iste vnicus acutioris sit iudicij, poterit ipse multo meliùs & certiùs quàm reliqui, etsi plures, iudicare. hoc autem in Pontifice reperiri liquido constat: ille enim virtute promissionis & orationis Christi, *Et tu conuersus confirma fratres tuos*: magis à Spiritu sancto illuminatur quàm reliqui. Quod verò subiungit Richerius: *Vni alicui à Deo, aut à natura datum non esse vt solus sapiat*. Respondeo, summum Pontificem non ita sapere, vt se solo absque vlla perquisitione & consultatione aliquid possit definire, atque adeo si ita definiuisse constaret, dummodo res iudicaretur admodum ardua, & de qua viri doctissimi vltro citroque dubitarent, non censeretur hac in parte se gessisse vt Pontifex: Debet itaque in suis definitionibus perquisitione & consultatione, cum viris peritis semper vti. Non enim, vt eleganter docet Vincentius Lyrinensis lib. cont. hæreses, *Noua fidei dogmata statuit Ecclesia, sed vetera eruit*. Eruere autem est rem ex suis principiis indagare, & perquirere: quod maximè fit peritos adhibendo in consilium qui rem definiẽdam maturè considerent, idque regulis à Christo Ecclesiæ relictis scriptura, traditionibus, consiliorum definitionibus, decretis prædecessorum suorum, vnanimi patrum consensu, & cæteris aliis quæ breuitatis ergo omittimus vtendo, neque aliter, vt in confesso est, apud omnes ei adest Spiritus sanctus. Dicet fortè ali-

Quomodo intelligatur, Plures oculi lõgius vident quã oculus.

Pontifex nõ potest se solus rẽ dificilem & arduam definire.

quis, infallibilitatem Pontificis esse à Deo virtute orationis Christi, & non à consiliariis: Esto, sed tamen Deus eum nunquam infallibiliter diriget, si quæ in tali negotio sunt præstanda non præstet: Vbi obiter notandum est, cùm semel aliquid definiuit summus Pontifex, non esse vllomodo dubitandum quin ipse omnia pro hac definitione necessaria adhibuerit. Qui enim dat esse vtpotè infallibilitatem, dat consequentia & necessaria ad esse, inter quæ potissimum recensetur debita rei definiendæ peruestigatio & inquisitio. Dices, summum Pontificem posse esse peritissimum, quales fuerunt olim D. Gregorius, & Innocentius tertius: Igitur in eo casu solus, nemine in consilium adhibito poterit definire. Respondeo rem definiendam interdum posse esse ita leuem & facilem, & ex alia parte Pontificē ita doctum, vt seipso tanquam ex cathedra eam possit definire: Quando tamen grauis est & nodosis dificultatibus implicata, proprio ingenio fidere non debet, sed peritos secum in consiliū tenetur adhibere, & hoc modo vi orationis Christi infallibiliter ei adest Spiritus sanctus: ex quibus liquet contra Richerium, quo sensu à Deo vni soli interdum datum sit vt de re aliqua plus cæteris sapiat. Ad secundum, nihil planè contra summi Pontificis infallibilitatem concludit. Esto enim Ecclesia non sit vnum membrum, sed multa; neque totum corpus sit auditus, aut aspectus; ex hoc tamen duntaxat infertur Ecclesiam mirabili quadam varietate esse distinctam & exornatā, vt disertè docet Apostolus 4. ad Ephes. *Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quasdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò Pastores &*

Doctores, & ad Corinth. 12. *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu.* Sed quid contra infallibilitatem ſummi Pontificis faciat, hæc ordinum Eccleſiaſticorum varietas hucuſque videre non potui. Inſtabit fortè hanc ordinum varietatem ab Apoſtolo loco citato, ad Epheſios, ad agnitionem fidei & conſummationem ſanctorum referri, ideoq; non vni ſoli, ſed omnibus Eccleſiæ ordinibus infallibilitatem decernendi, quæ per agnitionem fidei ſignificatur, conuenire. Reſpond. me non negare quin ordinibus Eccleſiæ Vniuerſalis ſimul ſumptis infallibilitas conueniat. Hoc enim ſuprà iam demonſtraui; ſed hoc non impedit quo minus ipſa ſummo Pontifici etiam conueniat: nec enim vna alteram deſtruit aut euertit. Ad tertium, quidam putant eo loco Apoſtolum velle ſpiritum Prophetarum aliis Prophetis ſubiicere, itaut ipſe ab aliis probari & examinari debeat, ne fortè ſub ſpecie Spiritus diuini, diabolicus qui in errorem homines abducat, lateat. Sed hæc opinio non probatur; Cùm enim ſpiritus Prophetarum alius non ſit à Spiritu ſancto, omnino repugnat eum alteri, aut etiam ſibiipſi in aliis exiſtēti eſſe ſubiectum; ſubiectio enim alteri aut etiam ſibiipſi imperfectionem ex ſe includit. Eodemque modo citra blaſphemiam dici non poteſt eundem ſpiritum Prophetarum Eccleſiæ ſubiectum eſſe, vt contendit Richerius; cùm enim Eccleſia à Spiritu ſancto differat, ſitque aliquid creatum, ſequeretur Spiritū ſanctum rei creatæ ſubiectū eſſe, quod dicere & cogitare eſt omninò intolerabile. Satius ergo eſt cum Anſelmo, & Gagneo

Quomodo intelligatur, Spiritus Prophetarū Prophetis eſt ſubiectus.

Doctore

Doctore Parisiensi, hanc Spiritus sancti subiectionem ad ipsum hominem in quo est referre; itaut Spiritus Sanctus ex liberali quadam dispensatione, & vt ita loquar, cōdescesione, ita se Prophetis accōmodet, vt eos loqui & tacere quando ipsi volunt, permittat: in quo differt à spiritu Pytthonico, quandoquidem arreptos & possessos ita exagitat, vt eos tacere, aut loqui quando volunt non sinat: Addit Gagneus Apostolum istud eo fine dixisse, vt qui spirituali gratia prophetandi in Ecclesia pollebant, aliis prophetandi locum facerent: Si enim spiritus Prophetarum Prophetis ipsis subiectus sit, itaut eos tacere sinat, quando volūt, certè excusari legitimè nequeunt, qui gratia prophetandi à Deo donati, si aliis loquendi locum in Ecclesia non faciunt: quæ responsio est ad mentem ipsius Apostoli; siquidem eos Prophetas qui nimium loquebantur, nec aliis loquendi locum relinquebāt, eo loco redarguebat. Sed vt vt sit, de huius loci explicatione nihil hæc spiritus Prophetarū subiectio Richerio fauet. Non enim Pontifici spiritum Propheticum quo futura, tanquam præsentia præuideat & reuelet tribuimus, sed tantùm volumus eum ex regulis Ecclesiæ relictis, & adhibita perquisitione, & cum viris doctis consultatione posse infallibiliter decernere. Ad quartum: Summus Pōtifex vt homo, & vt priuata persona circumdatur infirmitate, ideoque falli & fallere potest. Sed vt à Spiritu sancto regitur, eiusque perpetua assistētia munitur, nulla infirmitate tenetur, hæc enim in Spiritum sanctū ipsum sine dubio redundaret, ideoq; hoc sensu falli aut fallere minimè potest. Quod autem de Pontifice vt homine hoc

loco agat Apoſtolus, ex prioribus verbis, *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus &c.* colligitur. Ad quintum cõcedimus Chriſtum ſpiritum veritatis Eccleſiæ promiſiſſe, ſed non propterea ſequitur eundem ſpiritum D. Petro non conceſſiſſe: etſi enim hoc loco Ioannis nulla D. Petri fiat mentio, Lucæ tamen 22. ex oratione ipſius Chriſti ſatis ſuperque conſtat. Quinimmò ex hac ſpiritus veritatis in Eccleſia promiſſionę euidentiſſimè arguitur, eum in Petro magis quàm in cæteris reſidere; quippe qui os, vertex, lapis angularis, crepido, & caput totius Eccleſiæ à Chriſto eſt inſtitutus, eamque perfectiſſimè non minus, quàm Rex vniuerſum ſuum regnum repręſentat: vnde, vt in capite omnes ſenſus multo perfectius & ſublimius, quàm in reliquis membris relucent: ſic in Petro ſapientia & veracitas magis quàm in reliquis Prælatis, ſaltem iuxta definiendi ſoliditatem perfectiſſimè continetur. Ad ſextũ, Aliud eſt tribunal, & aliud cathedra; illud iudicia & ſtrepitus forenſes ſpectat, hæc vero doctrinam & definiendi authoritatem reſpicit. Itaque etſi Chriſtus tribunal Eccleſiæ eo loco ſtatuerit, eique quemlibet Chriſtianum, immò & Pontificem ipſum in nonnullis caſibus, de quibus tractatu de conciliis, ſubiecerit; non tamẽ ſequitur illius cathedram, & definiendi authoritatem conſtituiſſe, & Papam Eccleſiæ quaſi ab ea eius definitiones corrigi & emendari debeant, ſubieciſſe. Deinde falſo Richerius tribunal Eccleſiæ infallibile appellat; ſiquidem, nec Pontifici, nec Eccleſię infallibilitas pro tribunali conuenit. cùm enim iudicia à reorũ confeſſione, teſtium depoſitione, & accuſatorum relatione dependeant, non

Differẽtia eſt inter tribunal ſummi Põtificis, & eius cathedram.

poteſt interdum iudicum ſententiis præ hominum malitia, & vafritie error non obrepere. Ideoq; vulgo fertur multos iure fori damnari, qui tamen iure poli merentur abſolui. Adde nos in Elencho pluribus docuiſſe Chriſtum Eccleſiam, tanquam ſibi ſufficiētem, & veluti architectonicem eo Matthæi loco non conſtituiſſe: Etſi enim poteſtatem reos à communione Eccleſiæ arcendi hîc tradiderit, iſtud tamen ad αὐταρκειαν & ſufficientiam Eccleſiæ non eſt ſatis, cùm nihil hîc de poteſtate euangelizandi, ſacramenta conferendi, leges politiæ Chriſtianæ neceſſarias condendi à Chriſto ſit inſtitutum, quæ tamen magis ad Eccleſiam conſtituendam & ſtabiliendam, quàm excommunicandi poteſtas ſunt neceſſaria.

Argumenta Vigorij proponuntur, & diluuntur.

QVÆSTIO IV.

SED iam Richerio expedito ad Vigorium accedamus: cuius cùm argumenta à Magdeburgenſibus, Caluino, & Philippo Morneo petita, iãdudum à Doctoribus Catholicis ſint ſoluta, puderet me eadem toties recantare, niſi qui hæreticis reſponderunt, in ſuſpicionem nimiæ Paparum aſſentationis ab eo & ſequacibus vocarentur. Primum itaque Vigorij argumentum. Summi Pontifices in errorem, & hæreſim labi poſſunt: igitur infallibilitatis priuilegio à Chriſto non ſunt aut fuerũt donati. Antecedens probat, Marcellinus thus idolis adoleuit; Liberius quod Arianis conſenſiſſet, à Chriſtianis malè audiuit; Innocentius I. permiſit ſacrificiis Gentilibus vti ad ſoluendam Romæ obſidionem, ex Zozimo

In myſterio iniquitatis.

Argumẽta Vigorij cõtra Põtificis infallibilitatem.

lib. 5. Anastasius secundus Nestorianis fauit, Honorius vnicam in Christo voluntatem asseruit, & aliter prædicare vetuit, ex concilio Constantinopol. in Trullo act. 13. Secundò, constat multos ex summis Pontificibus simoniæ labe fuisse infectos ante concilium Lateranense, quæ cùm hæresis nomine in iure veniat eos hæreticos fuisse, est cõsequens, & inter cæteros Benedictum Syluestrum III. & Gregorium VI. ex Glossa in capit. In nomine Domini, notat. Tertiò, Ioan. 22. Beatorũ animas Deum videre negauit Ioan. 23. in 52 art. contra eum edito dicitur esse, & fuisse pertinax, peccator induratus, incorrigibilis, Ecclesiá Dei notoriè scandalizans, & fautor schismatis: Gregorius XII. & Benedictus XIII. à concilio Pisano vt hęretici sunt condamnati. Nec respondeas, inquit Vigorius, eos tanquam Doctores, non vt Pontifices errasse, frustra enim diceretur Papam hæreticum esse deponendum, nisi Papa, vt Papa in hæresim labi posset. Nam non priuatur Pontificatu, vt Doctor, sed vt Papa. Quartò, Adrianus III. statuit ne in creando Pontifice authoritas Imperatoris expectaretur. Adrianus I. & Leo VII. contrarium decreuerunt: Item, Formosus à Ioanne, Stephano, & Sergio summis Pontificibus est condamnatus, à Martino vero & Romano, etiam Pontificibus, absolutus & restitutus: igitur, cum vero verum non sit contrarium, aliquos eorum in errorem lapsos esse necesse est. Quintò, Bonifacius VIII. pronuntiauit esse omninò de necessitate salutis omnia subesse summo Pontifici, extrauagan. Vnam sanctam: idque tanquam Papam, non tanquam Doctorem pronuntiasse, hæc verba indicant, Declaramus,

dicimus, definimus & pronuntiamus. Atqui Innocentius III. capit. per literas, qui filij ſint legitimi, aſſerit Regem Galliæ ſuperiorem in terris minimè recognoſcere, & quod magis vrget, Clemens V. extrauagan. meruit. in ſynodo, definiuit hanc Bonifacij definitionem ad Gallos, & Galliæ regnum minimè pertinere: igitur neceſſe eſt alterutram harum definitionem eſſe temerarium, & erroneam, cùm è diametro inter ſe repugnent. Sexto, Si Petro & ſucceſſoribus eius hæc oratio Chriſti, *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, intelligeretur, certè ſucceſſores Petri in ſede Antiochena hoc priuilegio gauderent: æquè enim ſunt ſucceſſores Petri ac Romani Pontifices: At multi Antiocheni Epiſcopi in hæreſim lapſi ſunt: ergo & Romani Pontifices in hæreſim labi ſaltem poterunt, ſi hactenus lapſi non fuerint. Septimo, in conſtitutionib. Eccleſiæ Gallicanæ, & in ſanctionibus quamſæpiſſime eſt vſurpatum, *(claue non errante;)* hæc autem reſtrictio nō adhiberetur ſi Clauem errare poſſe in Gallia non iudicaretur. Poſtremo (inquit Vigorius) præcipua Scholæ Pariſiēſis ornamenta, ex confeſſione Vallæ, ita ſentiūt, ideoque Chriſtum Lucæ 22 pro Eccleſia, non pro Petro immediatè rogâſſe. Hæ ſunt argumentorum machinæ, quibus infallibilem vim decernendi quam in Pōtifice Romano omnes fere doctores Catholici agnoſcunt, ſubuertere nititur noſter aduerſarius: Sed has procliue eſt retundere, eumq; ſuis iaculis referire. Ad primū, iā ſatis ſuprà oſtēdimus Pontificē perſonaliter in errorē, atq; adeo hęreſim labi poſſe, vt patet ca. ſi Papa; ſed nō iudicialiter, & quatenus ex cathedra definit.

Et ad probationẽ antecedentis, dicimus lapſum Marcellini Pontificis, nullum ſoliditati Sedis Apoſtolicæ præiudicium inferre : etſi enim Marcellinus Idolis metu tormentorum thurificando, contra externam fidei confeſſionem grauiter peccauerit, adeout exterius fidem negare viſus ſit, interiori tamen actu nihil contra fidem molitus eſt; & quod ad rem præſentem maxime facit, nihil aduerſus eam definiuit, & docuit. quinimmò quia ſtatim facti eum vehementer pœnituit, peccatumque coram patribus cõcilij Sinueſſani confeſſus eſt, & martyrium ob fidem quam exterius negauerat poſtea glorioſe ſubiit, fidei iacturã in animo nunquam feciſſe liquidò colligitur: Quod autem eius lapſus Eccleſiæ præiudicium non inferat, docet eleganter Auguſtinus lib. de vnico baptiſmo aduerſus Petilianum. *Non ſanè parua eſt, parumque glorioſa conſolatio cuiuſque noſtrum, ſi ab inimicis Eccleſiæ cum ipſa Eccleſia criminatur, eius tamen defenſio, non in eorum hominum defenſione conſiſtit, quos iſti nominatim falſis criminationibus appetunt prorſus quales fuerunt Marcellinus, Marcellus, Sylueſter, Melchiades, Menſurius, Cæcilianus: atq; alij quibus obiiciunt pro ſua defenſione quod volunt, nihil præiudicat Eccleſiæ Catholicæ toto orbe terrarum diffuſæ, nullomodo eorum innocentia coronamur, nullomodo eorum iniquitate damnamur.*

Marcellinus thus idolis adolendo, non propterea propriè errauit, ſed tantùm peccauit.

Quod idem in facto Liberij cernitur, licet enim non mediocriter peccauerit Arianis communicando, & D. Athanaſium iniuſte condemnando, fideique formulæ nomine conſubſtantialis carenti, quamuis Catholica eſſet, ſubſcribendo: & propterea meritò in ſuſpicionem hæreſeos in foro ſaltem exteriori venerit,

Quid de Liberio ſentiendũ ſit.

& à ſummo Pontificatu ea de cauſa exciderit, in eiuſque locum citra illius iniuriam Felix ſub Conſtantio poſteà glorioſus martyr fuerit ſuffectus: Nihilominus Liberius nihil quicquam contra fidem definiuit, ſed eius error ſi in aliquē lapſus ſit, duntaxat fuit perſonalis, & non ex cathedra: quinimmò poſt mortem Felicis, non ſine manifeſto diuinæ prouidentiæ iudicio, quaſi poſtliminiò ad publicam fidei, contra Arianos proteſtationem reuerſus, à Clero Romano Pontifex legitimus haberi cœpit, & turpiſſimam maculam quam ſibiipſi propria culpa inuſſerat, fidei Catholicæ confeſſione, & ad mortem vſque defenſione eluit: Vnde merito ab Ambroſio, Epiphanio, & Baſilio, vir beatiſſimus appellatur.

Lib.3.de virginibus initio hæreſ.75. epiſt.74.

Quantùm ad Innocentium primum, ſuum Vigorius animum aduerſus Sedem Apoſtolicam manifeſtè prodit; quippequi vt tam ſanctum piumque Pontificem notaret, teſtimonium Zozimi pagani neglectis authoribus Chriſtianis proferre non erubuit. Narrat quidem Zozimus hunc Pontificem in obſidione vrbis Romæ ſuaſu quorumdam Thuſciæ Aruſpicum, qui aliter vrbem liberari non poſſe iactabant, gentilitios ritus permiſiſſe, & propterea qui in ſenatu pagani reſtabant, ſtatim tam in Capitolio, quàm in reliquis vrbis delubris diis ſacrificaſſe. Sed nihil hac de re Sozomenus lib.9.cap.7. etſi integram huius obſidionis hiſtoriam referat: neque Oroſius lib. 7. cap.39. Immò ipſemet, ait Innocentium I. Romæ tempore obſidionis non degiſſe, ſed Rauennæ cum Honorio Imp. *Ne* (inquit) *periret cum noxiis, & ne populi peccatoris videret excidium.* Si ergo tunc Romæ non degeret In-

De Innocentio I.

nocentius, & arctissima obsidione tota ciuitas premeretur, quî potuit eis præsertim ad instantiam Aruspicum Gentilitios ritus edicto publico permittere; hoc certè omni vacat probabilitate.

De Anastasio II.

Quod ad Anastasium secundum, ab hæreticis non minus quàm à Vigorio Nestorianis fauisse fertur, duplici de causa: prior, quia voluit in sedem Constantinopol. Acacium Nestorianum restituere: posterior quia ab eo baptizatos, & ordinatos rebaptizari, & denuo ordinari noluit. Sed cùm falsitas vtriusque rationis facilè detegatur, id quod iis innititur falsum similiter esse manifestè ostenditur: prior etenim ratio fabulosa est & commentitia; cùm enim ad apicem Pontificatus euectus est Anastasius, iam obierat Acacius, tempore nimirum Felicis Papæ, ex Liberato in Breuiario. Non ergo ad sedem suam cum potuit restituere, nisi in Romano Pontifice potestatem mortuos suscitãdi velit admittere Vigorius, qui illi vbique suam potestatẽ ordinariã denegat. Dices, noluisse quidem Anastasiũ Acaciũ sedi suæ restituere, sed ad sacra diptica eius memoriã referre voluisse. Respõdeo tãtùm abesse, vt illud tentauerit Anastasius Pontifex, quinimmò Anastasium Imperatorem, per legatum obnixè rogauit, quatenus nomẽ Acacij è sacris illis dipticis penitùs eraderetur, nullaque illius memoria vnquam in Ecclesia fieret; & quamuis Festus senator Romanus, hoc tempore Constantinopoli, cum Imperatore agens clanculo illi sit pollicitus: (si Theodoro lectori lib. 2. Collat. fides habeatur,) persuasurum se Romano Episcopo apud quem plurimum poterat, vt concordiæ Zenonis quæ Acacio tota fauebat, subscriberet; nihilominus

Euagr. lib. 3. c. 23. Niceph. lib. 15. 17. & Liberato in Breuiario cap. 18.

nihilominus mira Dei erga Ecclesiam prouidentia in hoc negotio claruit: Festus enim vbi Romam aduenit, Anastasium vita functum reperit, ex quo euidentissimè constat feum Festi senatoris perfidia nondum tentatum, saluum, & integrum in confessione fidei Catholicæ diem clausisse. Posterior ratio, nihil quicquam contra Anastasium molitur; legitimè enim potuit immò debuit baptismi, & ordinis Sacramenta ab Acacio collata, tanquam reipsa valida defendere, cùm sit traditionis Apostolicæ sacramenta ab hæreticis, nihil essentiale omittentibus collata, non esse irritanda aut iteranda, vt varijs concilijs sub Stephano Papa celebratis olim est definitum, ex quibus quantum in Anastasio deceptus sit Gratianus, iurèque meritissimo ab emendatoribus decreti redargutus, nemo non videt. Non enim definiuit ordinatos ab Acacio, post latam in ipsum sententiam suis ordinibus legitimè fungi potuisse, hoc enim canonibus antiquis palam aduersabatur, & etiamnũ videmus eos qui à similibus Episcopis per sentẽtiam scilicèt iudicis damnatis ordinantur, à diuinis esse suspensos, & si celebrare præsumant fieri irregulares. Tantùm ergo definiuit Anastasius firmam esse sacramenti ordinis, vtpotè caracterem imprimentis, gratiam ab Acacio traditam, nec ipsum sacramentum esse vllomodo iterandum, quod concilijs antiquis prorsus est consentaneum.

De Honorio.

Pro Honorio, an in hæresim Monothelitarum consenserit grauis est quæstio, diu multumque vẽtilata, & hoc nostro tempore à Doctoribus Catholicis vtrimque agitata. Sed ne in re adeò trita, & peruia le-

Melchior Canus li. 6. de Locis cap. vlt. Bannes in 2.2. quæst. 1. art. vlt.

ctorem remoremur, probabilius est Honorium Monothelitis nũquam fauisse, nec in eorum hæresim vnquam lapsum esse. Tãtùm enim sua ad Sergium Constantinopol. epist. de vna aut duabus operationibus in Christo tacendum esse definiuit, ne qui dicerent vnam in Christo operationem fuisse, Euticheti vnicam in Christo naturam asserenti fauere viderentur; & qui duas statuerent, partes Nestorij duas in Christo personas pugnaciter astruentis tueri viderẽtur: ideoque cùm res nondum esset ab Ecclesia definita, & quorsum quisque hac in quæstione se verteret ad alterutrius scopulos nauem suam allideret, à nomine vnius aut duarum operationum abstinendũ esse prudenter decreuit. Ex hoc tamen non magis hæresim definiuisse sequitur, quàm si nunc temporis quæstio de auxilijs vniuersas Christiani nominis academias tantopere exagitans definiretur, sequeretur felicis recordationis Clementum VIII. in hæresim prolapsum esse, qui omnibus & singulis Doctoribus, ne alterutram quæstionis partem condamnare, seu vt eius verbis vtar, qualificare auderẽt, bulla expressa prohibuit: itemque Xistum quartum si Conceptionis beatæ Virginis quæstio terminaretur, cùm capit. *Alma Mater*, de treuga & pace. prudenter vetuit, ne à quoquam alterutra illius pars damnaretur, aut tanquam hæretica & temeraria reprobaretur. Quod cùm nemo sanæ mentis dixerit, idem est de Honorio sentiendum, etsi postea quæstio duarum in Christo operationum & voluntatum, contra Monothelitas fuerit definita. Adde quod quamuis Honorius horum nominum duarum, aut vnius operationum mentionem

fieri noluerit, reipſa tamen duas in Chriſto operationes diuinam ſcilicèt & humanam agnouit, vt ex hoc ſolo manifeſtè conſtat: quod cùm Sergius ex Secretario Honorij in celebri diſputatione inter Maximũ, & Pyrrhum ſcripſiſſet, prædicare quoſdam duas eſſe in Chriſto voluntates contrarias. *Nos reſcripſimus* (inquit Secretarius) *Chriſtum duas voluntates contrarias, vnam carnis, alteram verò ſpiritus non habuiſſe.* Ex quo euidenter infertur, Honorium, quando vnam tãtum in Chriſto voluntatem ſtatuit, de humana tantum loquutum eſſe: Nec enim in Chriſto à peccato prorſus immuni vlla interceſſit voluntatum humanarum pugna, & contrarietas: quaſi caro eius aduerſus ſpiritum, vt in nobis aſſolet, concupierit; & ſpiritus aduerſus carnem: non autem de voluntate abſolutè & in vniuerſum, itaut voluerit abſolutè vnam tantum in Chriſto eſſe voluntatem; etſi in duabus naturis intellectualibus ſubſiſteret. Hoc certè nunquã voluit Honorius, ſed ſolùm non fuiſſe in eo vnam carnis, alteram verò ſpiritus voluntatem. Quòd autem (vt ſubiungit Vigorius) concilium Conſtantinopolitanum VI. act. 13. anathema aduerſus Honorium pronuntiauerit, eiuſque epiſtolas tanquam hæreſis labe infectas comburi iuſſerit. Reſpond. primo, exẽplaria ſextæ & ſeptimę ſynodi, per falſarios & opera Theodori Conſtantinopolitani Monothelitæ hæretici deprauata fuiſſe. Hic enim cùm à ſynodo ſexta condamnatus fuiſſet loco Theodori, in his exemplaribus Honorij meminit, vt non ſe, ſed Honorium hæreſis conuictum & condamnatum adſtrueret. Sed vt vt ſit, de hac Honorij in ſynodo ſexta & ſeptima condamna-

Honorius nunquam fuit Monothelita.

tione. Respōdeo, nō propterea de fide esse, aut etiam absolutè certùm Honorium à partibus Monotelitarum stetisse: Quandoquidem concilijs generalibus, sicut & summis Pontificibus, cùm via ordinaria ex allegatis, & probatis iudicant, error potest obrepere. Sic autem Honorius per falsos testes Epistolam, quasi eius nomine conscriptam offerētes, in qua Eutichetis hæresis definiebatur, à concilio condamnationis & anathematis sententiam accepit, cùm tamen ipse ab hac hæresi fuisset perquam alienissimus, vt ex epist. 1. Agathonis Papę ad Imperatorem, quæ in sexta synodo lecta est, euidenter colligitur. Ait enim *omnes prædecessores suos* (inter quos vnus erat Honorius) *hæresibus semper restitisse, suosque fratres in fide confirmasse*. Tertiò respondeo nondum Monothelitarum sententiā pro hæretica fuisse in Ecclesia habitam, cùm in 6 & 7 Synodo, quæ post mortem Honorij indictæ sunt & coactæ, duas esse in Christo voluntates & operationes fuerit definitum.

Ad secundum, impudenter Vigorius falsos & intrusos pontifices pro veris & canonicè electis obtrudit, vt eorum vitiis & sceleribus sanctissimā Sedem Apostolicam proscindat & cōculcet. Quod enim spectat ad Benedictum IX. quem falsò X^um nominat, Alberici Comitis Tusculani tyrannide in Sedem Apostolicam intrusus est, de qua propter vitam insolenter traductam fauore Ptolemei Consulis potentiss. deiectus, in eius locum Siluester ex Episcopo Sabinensi arte simoniaca est subrogatus: sed vix tribus mēsibus ab adepto pontificatu elapsis reuertitur Benedictus, & Siluestrum tanquam inuasorē inuasor ipse deiicit:

qui rursus à Ioanne Archipresbytero similiter inuasore deiicitur, vitáq. priuatam in paterna domo ducere cogitur: sic eo tépore Ecclesia miserrime dilaniabatur,& ni supra petrã solidissimã fundamenta habuisset, ad instar aliarũ huius mundi monarchiarũ funditùs corruisset. His successit presbyter Romanus Gratianus nomine, qui statum Ecclesiæ miserrimũ miseratus,singulos horũ trium pseudopontificum adiit,& pecuniis non ad emendam dignitatem pontificiã,sed redimendam Ecclesiæ vexationem qua tunc crudeliter iactabatur, erogatis, annuisq.reditibus ipsis pseudopontificib. assignatis,Sedi Apostolicæ renunciare suasit;qui Gratianus statim cum vniuersa Cleri & populi acclamatione Põtifex creatus, antecessorũ schisma, & Comitũ tyrannidem fœlicissime propulsauit. Hunc autem Vigorius cum Bennone tanquã hæreticum simoniacum sugillat, sed à Glabro & Petro Damiano, qui tunc viuebant apertæ falsitatis arguitur; cum enim religiosissimum, ac sanctitate conspicuum prædicát.*Cuius bona fama*(inquit Glaber)*quicquid prius fædauerat,in melius reformauit,eiusque promotione*(inquit Damianus) *sordibus expurgatis pristinum decorem consequuta est Ecclesia.*Et ob eã causam ex Othone Frisigési à Romanis ciuibus Ecclesię Dei liberator est habitus. Sed hæc non est prima,nec vltima in summos Pontifices impudentissima Vigorij calumnia.

De Gregorio VI.

Baron. ad an. 1044.

Ad tertiũ error Ioannis 20[i],qué Vigorius vulgi sententiam sequutus vigesimum secundum falso nominat, fuit tãtum personalis, quem nunquam definiuit, sed paulo ante mortem laudabiliter retractauit: cuius rei testis est Guillelmus Olram Ioanni aliàs infensissi-

De Ioan. 20. vulgo 22.

mus; ait enim eum his verbis vſum fuiſſe. *Nunquam meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem: etſi aliquid diximus, totum ex tunc reuocamus.* Quod ad Ioannem 21. vulgo 23. dicimus imprimis eum non fuiſſe certum & indubitatum Pontificem, duo enim alij ſe tunc pro Pontificibus gerebant, Benedictus XIII. & Gregorius XII. itaut vix ſciri poſſit quiſnam eorum verus & legitimus eſſet: Quamuis enim in concilio Piſano à Cardinalibus vtriuſque partis electus fuiſſet Alexander V. cui ipſe Ioannes vigeſimus tertius ſucceſſerat, non conſtabat tamen pro certo an Cardinales iſtud præſtare poſſent: præſertim cùm minacibus & acerrimis proteſtationibus Gregorius & Benedictus illis contradicerent. Deinde etſi art. 52. Ioan. ille dicatur *Homo duræ ceruicis, pertinax, peccator induratus, incorrigibilis, Eccleſiam Dei notoriè ſcandalizans, & fautor ſchiſmatis;* non tamen in hac condamnatione hæreticus appellatur, vnde nuſquam contra fidem, aut bonos mores aliquid definiuiſſe probauit Vigorius, quod tamen ad rem de qua eſt quæſtio plurimùm faciebat: Cæterùm, quia vitam ſatis inſoléter ab ineunte ætate traduxerat, & etiamtum traducebat, populus idem quod de laxioris vitæ hominibus, exiſtimare cœpit, eum nempe vitam futuram, carniſque reſurrectioné minimè credere. Sed quàm incertum, & fallax vulgi ſit iudiciũ, vel ex hoc vnico patet; quod ex prauis operibus hæreſis non rectè inferatur. Quot enim Chriſtiani perditiſſimè viuunt, fidemq; Catholicam cum diſſolutis ſuis moribus ſartam tectam retinent. Eccleſia areæ paleas cum frumento continenti, ſagenæ miſſæ in mare, & ex omne genere piſcium bo-

De Ioan. 21. vulgo 23.

De concilio Piſano.

norum, & malorum congreganti, & regno cælorum, in quo cum Virginibus prudentibus totidem fatuæ numerantur, in Scriptura comparatur. *Habet* (inquit Augustinus) *Ecclesia secum connexos communione sacramentorum, secum non mansuros in æterna sorte sanctorum:* Ideoque etsi prædictus Pontifex, multis vitijs laboraret; immeritò tamen propterea in hæresim lapsus dicitur: & quamuis lapsus esset, non tamen eam vnquam ex cathedra definiuit: Eademque est ad Benedictum XIII. & Gregorium XII. responsio, eos quidem à concilio Pisano, tanquam hæreticos & schismaticos fuisse damnatos, & de gradu Pontificatus eo nomine deiectos: Sed præterquam istud Pisanum concilium œcumenicum non fuerit, cùm omnibus Prælatis liber aditus non pateret, ijs nempe qui à partibus vtriusque Pontificis stabant, & in duorũ Pontificum dissidio maximo fuerit celebratum, prelatique multi per Italiam, & Aragoniam illud pro vero & legitimo, agnoscere semper detrectarint: apertissimè constat eos tanquam certos & indubitatos Pontifices ab Ecclesia nunquam habitos fuisse: ideoque eorum errores, si quos habuerint, in Ecclesiæ perniciem minimè redundare potuisse. Hinc est quod in concilio Constantiensi oẽs communi totius Ecclesiæ consensu fuerint depositi, & in eorum locum Martius V. fœlicibus totius Ecclesiæ auspicijs fuerit suffectus. Addam à concilio Pisano eos tanquam hæreticos & schismaticos fuisse declaratos, quia Pontificem suprà concilium credebant; quæ tamen propositio, cõtra fidem minimè pugnat, vt infrà pluribus ostendemus. Instat Vigorius, eos fuisse depositos vt Papas,

Lib. 1. de Ciuitate Dei.

De Benedicto XIII & Gregorio XII.

non vt Doctores priuatos: ergo quatenus Papæ hæresi & schismate laborabant. Respondeo falsum esse eos fuisse depositos vt Papas; tum quia incertum erat an essent veri, & legitimi Papæ, tum quia fuerunt depositi quatenus hæresi aut schismate pertinaciter laborabát, non autem quatenus Papæ. Exem. gr. Quando homo in dignitate aliqua cõstitutus, propter furtum aut homicidium extremo supplicio afficitur, nõ punitur quatenus homo, aut vt tali refulget dignitate, sed quatenus fur est, aut homicida: ita Sũmus Pontifex in hæresim vel schisma lapsus, non vt Pontifex, sed vt hæreticus pertinax de gradu deiicitur.

Ad quartum. Caluinistarum & Centuriatorum imposturas, pro veris obtrudit Vigorius. Quod enim spectat ad Adriani III. constitutionem, qua legitimè, & iuxta antiquorum canonum præscripta, statuit ne in creando Pontifice Imperatoris authoritas expectaretur: scio quidem Sigebertum monachum Gemblacensem, mendacissimè ad gratiam Henrici IV. Imperatoris schismatici gratiam aucupandam, tradidisse Adrianum I. cum vniuersali synodo Carolo Magno Francorum Regi, ius eligendi Pontificen contulisse, necnon ordinandi Sedem Apostolicam, dignitatem quoque ac principatus definiuisse, insuper Archiepiscopos & Episcopos, per singulas prouincias, ab eo inuestituram accipere debere, & vt nisi à Rege laudaretur: id est, inuestiretur Episcopus, à nemine consecraretur, omnesque huic decreto rebelles propterea anathematizasse, & nisi resipiscerent bona eorum publicari permisisse; Hæc Sigebertus. Sed primũ huic Sigeberticæ relationi repugnant eiusdem Caroli Magni

De Adriano I. & III. & iure inuestiturarum in Carolo Magno.

Magni Capitularia nuper à Pithœo Antiquitatis Gallicę studiosissimo edita, notisq; variis illustrata: in quibus lib. 1. cap. 84. ita scribitur. *Sacrorum Canonum non ignari assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, vt scilicèt Episcopi per electionem clericorum, & populi, secundum statuta canonum, de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.* Quæ constitutio cum à Carolo Magno Imperij fascibus iam adornato prodierit: nõnisi sub finem vitæ illius edita est, quippecum ab adepto Imperio ad mortem illius vsque, nouem anni duntaxat effluxerint: Quod si ab Adriano Pontifice inuestiturarum iure iam fuisset donatus, nulla constitutione ei iuri vnquam renunciare voluisset. Certè Æginardus rerũ Carolinarum accuratissimus, & fidelissimus scriptor, quippequi Caroli lateribus iugiter inhærebat, de hoc inuestiturarum iure ne minimum quidem scripsit. Quinimmò si ita res se habuisset, vt vult Sigebertus, quinquies vel sexies Romam venisset Carolus, cùm tamen quater tantum in vrbem se contulisse referat Æginardus, primo aduersus Longobardos ann. 773. Secundo voti adimplẽdi causa ann. 780. Tertio aduersus ducem Beuentanum ann. 786. Quarto ad restituendum Leonem Papam in locum suum ann. 780. à quo Occidentalis Imperator est creatus. Dicet fortè Vigorius, Gratianum dist. 65. can. 22. relationem hanc Sigeberticam ad verbum corpori decretorum inseruisse. Respondeo hac in re lapsum esse Gratianum, & nullo præuio diligentiori examine de Sigeberti impostura habito, istud inuestiturarum de-

cretum iisdem ferè verbis exſcripſiſſe, ſimilique credulitate idem Gratianus intexuit commentitium illud decretum Leonis octaui (quem Vigorius ſeptimum mendoſe nominat) quo Othoni Imperatori eadem, quæ olim Pipino & Carolo conceſſa ſunt priuilegia. Mera & mira certè eſt impoſtura: tum quia Leo ille, à quo tale decretum dicitur emanaſſe, Antipapa fuit, & Ioanni XII. atque Benedicto V. rebellis: tum quia concilium Romanum cui inſeritur, non legitimum, ſed illegitimũ fuit. ex quibus facilè eſt recognoſcere Adrianum I. & III. veros Pontifices, ſibi inuicem non repugnare: nec decreta ſibi inuicem contraria, circa Pontificum electiones vnquam edidiſſe.

Formoſi Pontificis hiſtoria.

Iam de Formoſo à nonnullis Pontificibus excommunicato, & ab alijs reſtituto agendũ eſt, eiuſque hiſtoria breuiter texenda; ex huius enim relatione calumnia Magdeburgenſiũ, à quibus iſta mutuatus eſt Vigorius, apertè detegitur. Formoſus itaque Epiſcopus Portuenſis à Ioanne VIII. depoſitus, degradatus, & ad ſortem laïcorum redactus ex vrbe migrare cogitur, inſuperque ſe nunquam ad Epiſcopatum rediturum iurare: Ioãne mortuo ſucceſſor eius Marinus, vel vt alij, Martinus II. à iuramento incautè vel coactè præſtito abſoluit, & Epiſcopatui reſtituit. Marino mortuo Formoſus Pontifex creatur, & in Pontificatu nonnullos Sacerdotes, & Epiſcopos creat: ſucceſſor eius Stephanus, vi vehemẽter cõtra illius memoriam infenſus, quod Arnulphũ Regem, qui in nonnullos procerum Romanorum crudeliter ſæuierat, Romam vocaſſet, publicè in concilio Epiſcoporum eum legitimum non fuiſſe Pontificem decreuit, eiuſque acta

irritauit, ordinatoſque ab eo iterum reordinari iuſſit. Quod Stephani decretum omnibus admodum diſplicuit, & ideo tres Pōtifices ordine ſuccedētes Romanus Theodorus II. & Ioanne IX. conuocato alio concilio Formoſum inter ſupremos Pontifices legitimè cenſuerunt, & Stephani VI. ſentētiam, tanquam perperam latam irritarunt. His tribus ſuccedit Sergius qui Stephani VI. veſtigiis inſiſtens, Formoſi corpus è ſepulchro extraxit, eumq; tribus digitis quibus ordines cōtulerat mutilauit, & ordines ab eo collatos eſſe denuò repetendos edixit: Quod negotium etſi ex odio vehemēti à Stephano & Sergio peractus ſit, diuina tamen prouidentia factū eſt, vt infenſi illi Pontifices nihil quicquā contra fidem definierint; nā præcipua quæſtio ab eis definita fuit, an Formoſ⁹ eſſet inter legitimos Pontifices annumerandus, quæ vt ſatis cuique compertum eſt, facti, non iuris eſt quæſtio: Ideoque non mirum ſi Stephanus & Sergius, cùm conciliis prouincialibus in hoc decernendo errauerint, & quamuis ſimul quoque definierint, nullos eſſe ordines à Formoſo collatos, & ab eo ordinatos denuò eſſe ordinandos: Hæc tamen definitio potius ex tribunali quàm ex cathedra, ratione cuius ſolius Pontifex infallibilitate gaudet, prodijt; quippequæ circa hanc hypotheſim, an ſcilicet hi numero ordines à tali Pontifice collati eſſent irriti, necne, verſabatur, non autem circa theſim ſeu propoſitionem vniuerſalem: an ab Epiſcopo degradato ordinati denuò eſſent ordinandi: priorem, quæ particularis eſt, & quæ tribunal, nō cathedram ſpectabat, Stephanus & Sergius definierunt, & definiēdo errarūt; non autem

posteriorem quæ vniuersalis erat, & fidem ipsam maxime respiciebat: Ideoq; dissidium Marini, Romani, Theodori, & Ioannis, contra Sergium & Stephanum ad quæstioné fidei non pertinuit: ex. cau. quæstio hęc an sub his speciebus post verba cõsecrationis, ab hoc singulari sacerdote prolatis corpus Christi contineatur, non est nec potest esse citra specialem reuelationem fidei, & si Põtifex absque simili reuelatione eam definire præsumeret, eius definitio nõ esset infallibilis veritatis, quia fides non minus quàm sciẽtia respectu sacramẽtorum, aliarumque actionum supernaturalium in obiectum vniuersale fertur, vt pote quod sub speciebus ritè consecratis corpus Christi contineatur, quòd Baptismus omnia peccata remittat: quò fit vt Stephani & Sergij contra ordinatos à Formoso definitio ad fidem nullatenus spectet, sed tantùm ad facta quædam particularia in quibus falli, & fallere posse Pontificem nullus est qui in contrarium abeat.

Ad Bonifacium & Clementem V. procliuis est responsio; vtriusque nempe extrauagantes inter se minime pugnare: primùm, quia Bonifacius etsi vtriusq; gladij spiritualis & tẽporalis mentionem faciat, huncque sub illo esse in progressu suæ cõstitutionis dicat: in definitione tamen seu conclusione (cuius potissimum sicut & in conciliorum decretis habenda est ratio, cùm hæc sola ad credendum obligationem inducat) hoc tantùm in genere pronuntiat: *Porro esse de necessitate salutis omnis humanæ creaturæ*, non omnia (vt pro more mentitur Vigorius) *subesse Romano Pontifici declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus.* Quod certe verissimum est. Clemẽs autem V. extrau.

Meruit, in contrarium non abiit. Nec enim Galliæ Regem atque adeo eius subditos Pontifici minimè subesse definiuit, sed tantùm post Bonifacij extrauagantem non magis quàm antea subiectos esse censuit, & meritò: Quis enim extrauagante, hac *vnam sanctam*, nouum ius in regnum Galliç Pontifici Romano quæsitum esse asserit, aut post extrauagãtem meruit, Pontificem tãquam superiorem non amplius in Gallia debere agnosci; vtrumque certè est extrauagantissimum. Dices, extrauagantem illam à Bonifacio præcipuè, contra Regem regnumque Galliæ latam esse; ergo cùm Gallos Clemens V. ab ea exceperit, non potest, non esse Bonifacio contrarius Respond. quamuis animo & intentione fortè inter se fuerint cõtrarij; Bonifacius enim Philippũ Pulchrũ, eiusq; subditos vehementer oderat, hos autẽ Clemens V. natione Gallus impẽse amabat, non tamen in decernendo, vt ostendimus vllomodo inter se pugnarunt. Vrget Vigorius Innocentium III. extra. capitulo, *per literas* (dicendum *per venerabilem.*) Qui filij sint legitimi. asserere Regem Galliæ superiorem in terris neminem recognoscere: quod Bonifacij constitutioni aduersatur, qua temporalia regnorum omniũ sibi subesse affirmauit. Verum facilè confutatur, tum quia in definitione Bonifacij nullum extat verbum huiusce temporalium subiectionis, licèt in præmissis quæ sunt ad definitionem apparatus, & quibus inniti videtur definitio illud expresse habeatur. Sed in his præmissis, vt oẽs norunt, infallibilitas Pontificum & conciliorum non est sita, potest enim rationibus definitionũ error obrepere, non tamen definitioni: vt suprà ostendimus, tum

quia esto Vigorij intentum, à Bonifacio VIII defini-
tum fuisset, non tamen propterea falsum esset quod
ait Innocentius, Regem Gallię superiorem in tempo-
ralibus non agnoscere; nullius enim cuiuscumque di-
gnitatis & papalis Rex Gallię est feudatarius & vassal-
lus, nec ab vllo præterquam à Deo, *per quem Reges re-
gnant, & legumlatores iusta decernunt*, precariũ tenet im-
perium. Tum demum, quia à regula generali Bonifa-
cij de subiectione temporalium potestati Pontificiæ
regnum Galliæ semper exciperetur. Nec enim inso-
lens est propter specialem cuiusdam præeminen-
tiæ gradum quædam à regularum generalium rigore
excipi. Notum est nomine clericorũ in materia odio-
sa, non venire Episcopos, nec interdum nomine mo-
nachorum in eadem materia religiosos, neque simi-
liter nomine Dominorum Reges propter dignitatis
Regiæ sublimitatem & maiestatem. Dicam amplius,
nomine regũ in materia odiosa nõ venire fortè Regẽ
Galliæ, propter singulares quibus cæteris regibus prę-
cellit prærogatiuas; est enim Christianissimus, Ponti-
ficẽ in sedem suam sępius restituit, & à regibus Lon-
gobardorum aliisque tyrannis missis sæpius eo fine
in Italiam exercitibus defendit, ac proinde merito de-
clarauit Innocentius, nihil regno Galliæ per extraua-
gant. Vnam sanctam, deperiisse; nec plus iuris Ec-
clesiæ in illud accessisse, quàm antea haberet.

Cap. Quã periculosum. de sent. ex- comm. & cap. statutum. de elect. in 6. Siluest. in verb. *Religio* 7.

Ad sextum, aliud est Papam incidere in hæresim, &
aliud falsum seu hæresim definire, & toti Ecclesię cre-
dendam obtrudere; istud quidem potest Pontifex ex
can. *si Papa*: hoc verò minimè, vi & efficacia orationis
Christi cuius munere iugiter ei ne falsum definiat,

adest Spiritus Sanctus. Instabit forte Vigorius: Potest Pōtifex labi in hæresim, ergo falsum pariter definire. Patet consequētia, tum quia in eo casu sicut & in aliis ex propria animi sententia definit, tum quia aliter esset stupendum miraculum, vt inquit Almaïnus homini hæretico ita adesse Spiritum sanctum, vt non sineret eum iudicare & definire, quæ ipse vera esse crederet, quinimmò ad iudicandum oppositū assensionis suæ violēter compelleret. Respond. Pōtificem mente & corde hæreticum, si se ad aliquid definiendum accingat, contra mentem suam definiturum; nec mirum, Caïphas enim Ioan. 11. instante Passionis Christi tempore prophetauit, & verum contra mentem propriam definiuit: ratio verò ab Euangelista subditur, per quam os Vigorij, & quorumcumque aliorum loquentium iniqua obstruitur: *Cùm* (inquit) *esset Pontifex anni illius.* Vnde præclare August. epist. 166. & l. 4. de doctrina Christiana cap. 27. *Illa ergo cathedra non eorum, sed Moïsi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua: Docere autem sua cathedra illos non permittebat, aliena. Multis itaque prosunt dicendo quæ non faciunt, sed longè pluribus prodessent faciendo quæ dicunt.* Ex quibus vulgatum hoc à nonnullis colligitur: *Tanta vis est cathedræ, vt cogat benedicere male sentientem, & nec sua, sed aliena docere permittat*: Hoc in Vigilio Pontifice meridie clarius apparet, cùm enim Theodoræ Augustæ se Antemum Constātinopolitanum ad sedem Constātinopolitanum reuocaturum promisisset, vbi Romā peruenit, & sedit in cathedra tātum abfuit, vt eum restitueret, quin potius multo acrius & seuerius quàm

De nomine Pontificis.

ſui prædeceſſores in eum excoicatione propter Eutichianam hæreſim ſæuierit. Adde quod ſi per aſinam Balaam Deus verum eſt prolocutus. Num. 15. quidni minori certe miraculo per Pontificem vel ignorantẽ vel hæreticũ rebus Eccleſię iſtud poſtulantibus idem præſtabit, præſertim cùm Deo non ſit difficile Pontificem, cuius cor in manu habet, ad quodcumque voluerit inclinare & dirigere, ne ex propria animi ſententia rem de qua in Eccleſia coorta ſeditio eſt, audeat definire: ſed in conſilium viros pios & doctos ſemper adhibeat, qui rem ipſam maturè diſcutient, ſuumque de ea iudicium fideliter fortitérque manifeſtent, ſicq; etiamſi videat iſtud doctorum iudicium cõtra ſuum pugnare, propter indeficientem tamẽ Spiritusſancti aſſiſtentiam illud infallibiliter ſuo abiecto ſequetur, totiq; Eccleſiæ proponet. Nec dicat Caïpham mortis Christi vtilitatem definiendo, Euãgeliſta teſte, neſciuiſſe quid diceret, Pontifex autem mentaliter hæreticus apprime ſciret ſe contrarium menti ſuæ definire. Reſp. definitionem Caïphæ fuiſſe propheticam, vt habetur Ioan. 11. Prophetæ autem in actu prædictionis extra ſe vt plurimùm aguntur; ſunt enim tunc à ſenſibus ita abſtracti, vt de rebus externis nihil percipiant, immò neque ſeipſos vllomodo attendant, vt Reg. cap. 3. de elizeo: at verò definitiones ordinariæ ſummorum Pontificum non ſunt Prophetice, potius enim ſunt de præterito quàm de futuro, cùm noua fidei dogmata non inſtituantur, ſed quæ latebant antea eruantur & inueſtigentur, vt habet Vincentius Lyrinenſis, ideoque ſunt veluti emergentium in Eccleſia dificultatum deciſiones & reſolutiones; quo fit vt intel-

vt intelligere debeant quid definiant, & quamuis aliquis eorum lapſus eſſet in hæreſim, tamen definiendo contrarium, ſe contra mentem agere apertè videret, & intelligeret.

Ad ſeptimum hæreſim manifeſtam hic obtrudit Vigorius, Antiochenos ſcilicet Patriarchas æque eſſe ſucceſſores D. Petri ac Romanos Pontifices: nullus enim hactenus viſus eſt in Eccleſia qui ſe in Eccleſiæ primatu Petri ſucceſſorem aſſeruerit, vel qui pro tali vnquam ſit habitus præter Romanum Pōtificem, qui Petro in vrbe morienti quo viuens ſedē ſuā trāſtulerat, ſucceſſit; etſi enim Antiochenam Eccleſiam primum Euangelij Lucæ illuſtrarit, eam tamen viuens deſeruit, & alio nempe Romam tranſtulit; vbi vſque ad mortem 26. annis aut circiter manſit, eamque ſuo ſanguine purpurauit: Ideoque Patriarchæ Antiocheni Petro tantum in particulari Epiſcopatu, non autem in œcumenico ſuccedunt: vnde concilium Nicænum can. 6. eum duntaxat tertium Patriarcham declarauit: ſicut etiam ante illud ſemper fuerat tertius; nec vnquam altioris loci ambitione captum fuiſſe legimus: vnde priuilegium infallibilitatis Patriarchæ Antiocheno minimè competit, cùm illius error toti Eccleſiæ detrimentum & præiudicium non inferat. Nec enim ipſe Petra eſt, & crepido Eccleſiæ, ſicut eſt Romanus Pontifex.

Ad octauum, reſpondeo in conſtitutionibus Eccleſiæ Gallicanæ, ſanctionibus regiis, nec non ſchola Pariſienſi vulgatiſſimum hoc pronuntiatum (claue errante) de errore facti qui in Pontificem, non minus quàm in concilia generalia cadit, non autem iuris ſeu

fidei eſſe intelligendum. Quod enim conſtitutiones Eccleſiæ Gallicanæ, necnon ſanctiones Regiæ de errore facti dũtaxat intelligãt, ex eo perſpicuũ eſt, quod huius ſolùm meminerint, vbi de beneficiorum pragmaticis, excõmunicationibus latis, & abſolutionibus conceſſis ſermo eſt, Scholam ſimiliter in altero ſenſu non capere, ſatis ex eo patet, quod de dogmatibus fidei vltro citroque in Theologicis concertationibus diſputans, aſſerta, reſponſa & quæcunque alia etiam in trãſcurſu allata ſanctę Sedis Apoſtolicæ decretis cum magna animi demiſſione ſubmittit. Si ergo iſtud claue errante nonnunquam enuntiet, de errore facti, & non iuris intelligit.

Ad nonum. Ioannes Gerſon, Iacobus Almaïn, & Ioannes maior celebres ſcholæ Pariſienſis Doctores cum nonnullis aliis priuilegium infallibilitatis Pontifici denegarunt, ſed illud ei conceſſerũt alij quorum quidam multo ſunt illis celebriores, vt D. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 10. *Ad ſummum Pontificem pertinet, ea quæ ſunt fidei definire, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneantur.* Itemque D. Bonauentura ſingulare ſcholæ Pariſienſis decus, & ornamẽtum, & cuius doctrinam Gerſon ad ſtudentes in Collegio Nauarræ miris laudibus ad cœlum vſque extollit: Herueus Armoricus, Henricus Gandauenſis, & Ioannes de Cellaia ambo ſocietatis Sorbonicæ: itẽq; Doctores illi qui in comitiis ſcholæ generalibus errores maleſoni condamnarunt his verbis; *Ad ſanctam Apoſtolicam Sedem pertinet authoritate iudiciali ſuprema, circa ea quæ ſunt fidei iudicialiter definire.* Quo fit vt inique Vigorius me tãquam ſcholæ Pariſienſis deſertorem, & veluti per duellem ſcri-

Doctores Pariſiẽſes, qui infallibilitatẽ ſummi Pontificis tuentur.

ptis ſuis traducere & proſcindere præſumat, præſertim, cū vt in Elencho contra Richeriū apertè ſignificauimus, nihil quicquam à Facultate Pariſienſi contra Pontificis infallibilitatem vnquam ſit definitum.

Aliquot dubia circa Pontificis infallibilitatem diluuntur.

QVÆSTIO V.

SOLVTIS Richerij & Vigorij obiectionibus ne vllus de Pontificis infallibilitate ſcrupulus reſtet, hæc ſunt nobis breuiter diluenda: Primùm quo pacto Spiritus ſanctus adeſt Pontifici ne definiendo erret. Certum eſt imprimis per immediatam & expreſſam illuminationem illi non adeſſe, tum quia hæc illuminatio eſt miraculoſa; nulla autem eſt neceſſitas ſtatuendi tale miraculum, cum alia via ad infallibiliter definiendum de qua ſtatim, Pontifici ſuppetat: tum quia eſt perſonalis, & extraordinaria. infallibilitas autem per ſe & ordinariè annexa eſt dignitati Pontificis virtute orationis Chriſti, *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, quam non ſolum de Petro, ſed etiam de ſucceſſoribus eius intelligendam eſſe ſuprà oſtendimus, ex quo eam eſſe ordinarium quoddam dignitatis Pontificiæ priuilegium manifeſtè conſtat, tum quia nullus vnquam Pontificum expertus eſt, ſe cū vult quidpiá definire à Spiritus ſancto immediatè, & expreſsè illuminari, & ſi qui illud nonnunquam experti ſint, cum tamē illud ſit de raro contingentibus, & perſonam potius quàm dignitatem reſpiciat, ad generalem regulam non eſt pertrahēdum: Quartò non magis à Spiritu ſancto Pontifex cēſetur

illuminari, quàm concilium generale legitimè conuocatum & coactum: cui per se vel per legatos præest: de fide enim est tale concilium errare non posse, atqui concilium talem illuminationem non habet, nec vnquam habuit, & si aliquod vnquam habuisset maximè primum omnium conciliorum quod Apostoli Hierosolymis celebrarunt, hoc enim tempore Spiritus sanctus visibiliter in fideles descendebat: At vero in hoc concilio per expressam & immediatam illuminationem, exortam de legalibus concertationem Apostoli non definierunt, sed per longam aliquam discussionem & perquisitionem. Quintò, Tostatus Episcopus Abulensis pluribus locis, sed præcipuè quæst. 2. in cap. 93. Regum quadruplicem statuit illuminationē extraordinariam, vnā visibilem seu ocularem, alteram vocalē seu auricularem, tertiam imaginariam, quartam vero intellectualem, visibilem qua vel Deus vel Angelus, non αὐτοπρόσωπος sed ἑτεροπρόσωπος id est, in aliena quadam specie eaque corporea se viuentium oculis offert: Vocalem, qua nihil Dei videtur, sed ipsius tantùm vox percipitur: Imaginariam, qua se nunc vigilātibus, nunc etiam somno oppressis per simulachra quæ in phantasia concipiuntur insinuat: Intellectualem vero quæ menti, & intellectui obiicitur: Atqui constat Pontificem nullo horum modorum à Deo affici, cum est in procinctu ad aliquid definiendum, totique Ecclesiæ proponendum: Nec enim fit illi quædam apparitio, nec vox aliqua corporea in eius aurem insusurratur, nec simulachrum aliquod eius phantasiam exagitat: nec denique in eius intellectu quidquam miraculose effor-

Quadruplex illuminatio extraordinaria.

matur,vt ad aliquid de nouo intelligendum eleuetur, quod aliter nõ poterat intelligere, cùm enim hæc eleuatio contingat ex Tostato dupliciter, aliquãdo cum ectasi seu raptu sicut in B. Paulo 2. ad Corinth. 13. aliquando sine ectasi, sicut in Elizeo 4. Reg. 13. constat Pontificem ad definiendum se accingentem non agi in ectasim, aut extra se rapi: ipsemet enim satis agnoscit, nullam vocem spiritalem & intellectualem, in eius intellectu efformari: nec vllus vnquam Pontifex definire aliquid volens se à Deo hac de re reuelationẽ accepisse dixit: fertur Ioãnẽ 22. cùm nõdũ esset ad apicem Apostolatus euectus nonnullis reuelationibus à Beatissima Virgine dignatum esse, quatenus scil. cum sederet Pontifex cultum eius satis hoc tempore neglectum, promoueret. Sed his reuelationibus eius definitiones, si quæ sint minimè nituntur, neque vnquam se reuelatione à Deo accepta definire est protestatus. Postremò qui diceret Pontificem per immediatam & expressam reuelationem suas definitiones habere nonnihil ad hæresim quorumdam nostri sæculi nouatorum qui se à spiritu particulari de rebus fidei edoceri, & cõfirmari iactant propenderet: quorum hæresis tanquam latissima ad errores via ab omnibus orthodoxis reprobatur. Dicendum ergo est Spiritum sanctum per maturam disquisitionem diligentemque consultationem Pontifici ita adesse vt sine errore definiat, tum quia ita se gesserunt Apostoli quando controuersiam de legalibus Hierosolymis terminarũt, tum quia hæc est fuitque cõtinua Ecclesiæ praxis, vt scil. propositio antequam fidelibus credenda proponeretur vltro citroq;

Spiritus sanctus adest Põtifici per maturam & diligẽtem discussionẽ.

prius discuteretur, & examinaretur tũ quia solet semper Põtifex in cõsiliũ, vel Cardinales, vel viros peritos antequã quidquã definiat adhibere, tum quia ex Vincẽtio Lyrinẽsi noua dogmata fidei non cõdit Ecclesia, sed ea quæ iam sunt, & quæ latent eruit & inuestigat: eruere autem & inuestigare discussionem sonant: tum quia regulis quibusdã vti Pontifex debet ad definiendum, scriptura, traditione, patribus, & reliquis: atqui illuminatio specialis, & immediata nullis vinculis regulariter circũscribitur, sicut ipsa perquisitio: tum demum quia Pontifex non est scriptor canonicus, cui proximè Spiritussanctus res fidei reuelat, & secũdùm aliquos verba ipsa specialiter dictat: igitur in decernẽdo, cõsilio, & discussione preuia, vt illi adsit Spiritus sanctus, vti debet. Dices Pontificem posse esse in definiendo negligentem, licèt enim Christus pro eius fide non deficienda orauerit, idem tamen pro eius diligentia rogasse non legitur: ergo saltem in casu quo negligẽter in discutiendo se gesserit labi poterit. Respondeo, eum qui Pontificem non erraturum promisit, & qui pro eius in fide definienda infallibilitate rogauit, sua prouidentia curaturum ne vnquam temere, aut absq; sufficienti ex amine aliquid definiat. Qui enim finem promittit, etiam media ad hunc finem consequẽdum cẽsetur promittere. Instabis. Nescimus si necessariam diligentiam in definiendo ipse adhibuerit, ergo scire non possumus an eius definitio sit infallibilis. Respondeo, quoties cõstat Pontificem aliquid definire à quibusuis fidelibus credendum est, eum sufficiẽtem adhibuisse diligentiam vi promissionis à Christo Sedi Apostolicæ factæ:

Quid enim iuuaret ſcire Pōtificem errare non poſſe, vbi ſufficientem adhibet diligentiam, niſi etiam certo conſtare deberet eam in definiēdo adhibuiſſe: quamuis negandum non ſit interdum maiorem interdum vero minorem pro rei definiendæ qualitate eſſe neceſſariam: nam ſi res ſit valde perſpicua, & apertè ex ſcripturis, aut traditione ſeu patribus eruatur mediocris tantùm perquiſitio requiritur: nuuquam tamen tam grauis & ardua res poteſt occurrere, quin eam Pontifex adhibito Prælatorum peritorumque conſilio legitime poſſit definire.

Pontifex in definiēdo neceſſariam diligentiam ſemper adhibet.

Secundò quæritur, an quiuis Pontifex infallibilitatis priuilegio gaudeat, difficultas ex duobus naſcitur, primo propter Ioānem duodecimum qui ſecundùm aliquos decennis ad Pontificatum aſcitus eſt, non ſolum viribus, & potentia patris Alberici Comitis Tuſculani, ſed etiam totius cleri Romani electione: Atqui nemo eſt, qui audeat aſſerere eum in tali ætate fuiſſe infallibilem, cùm nequidem prima religionis Chriſtianæ rudimenta vtpotè in curia patris ſine vlla inſtructione educatus tunc calleret. Reſpondeo eſſe multo veriſimilius eum cum aſſumptus eſt ad Pontificatum fuiſſe octodecim annorū: etſi enim ex Luitprando lib. 6. cap. 6. eorum quæ tunc gerebātur oculato teſte, ſuſpicari quis poſſet eum nondum integram pubertatem expleuiſſe propter verba Othonis Imperatoris, cùm iam ipſe octauum Pontificatus annum ageret: *Puer eſt, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum*, excuſantis hoc modo inauditas illius turpitudines: Tamen ſtatim à promotione cum libidinibus horrendis ſe inquinaſſe dicatur, certè ad minus de-

De Ioāne XII. Papa.

cimum ſeptimum aut 18. annum eum tunc attigiſſe oportuit, vt ex ipſomet Luitprando non eſt arduum colligere; annum enim nuptiarum patris cum Alda Hugonis filia, quorum primo genitus fuit hic Ioannes refert. Et quamuis hæc ætas ad epiſcopatum non ſufficiat, minuſq; ad Vniuerſalis Eccleſiæ pontificatũ in quo quanto vniuerſalior incumbit cura, tãto plus prudentiæ & ætatis,quę ante canos vt plurimum non venit, requiritur: ideóque ne ſchiſmate diſciſſa iaceret, toleratus potiùs Pontifex, quàm verus & legitimus eſt dicẽdus: nihilominus in hoc caſu dicimus hunc Ioãnem XII & ſi vnquam talis eligeretur(quod Deus auertat) nunquam ex propria animi ſententia, ſeu motu proprio aliquid definiturum, ſed ex virorum peritorum conſilio, ſicque vi promiſſionis Chriſti Sedi Apoſtolicæ factæ nunquam à vero definiendo poſſet deflectere,& ſicut vmbra Petri miracula ingentia edebat, ſic & illi Pontifices tantùm vmbram Petri præ ſe ferentes non falſum, ſed verum ex cathedra ſemper dicẽt. Nec enim opus eſt vt plura aut tam multa quam alij ſciat Pontifex, ſatis enim eſt ſi cum aliis doctioribus, aut ſaltem per eos,diligentem adhibeat diſcuſſionem: tunc enim ei Spiritus ſanctus non poteſt non adeſſe, præſertim cùm in ſcholis communiter circunferatur, in Prælatis ſeu conſiliariis Papæ diſcernendi acumen reſidere, quia plura vident oculi quam oculus, in Papa vero decernendi ſoliditatem à quavis obligandi oritur,ſubſiſtere.

Secundò naſcitur dificultas quod interdum accidat, vt qui pro Pontifice habetur à parte rei non ſit Pontifex:fieri enim poteſt,vt vel canonice electus,vel

baptizatus non fuerit, vel alius defectus essentialis intercedat: atqui tali Pontifici non potest infallibilitas conuenire, cùm vero & legitimo duntaxat sit promissa. Grauis est hæc dificultas, & quæ non mediocres in nonnullis Academijs turbas excitauit, liberè tamen & ingenuè mentem meam aperiam. Primùm, qui dixerit hunc vel illum, qui nunc Petri sedem tenet, posse non esse summum Pontificem, & Christi Vicarium: ad minimum est temerarius, & scandalo atque offendiculo vniuersis fidelibus eoq; nomine grauiter puniēdus. Hoc enim pugnat cōtra id quod omnes generatim docent & credunt. Secundò practicè & moraliter esse certissimum eum qui nunc magno Dei beneficio in Ecclesia sedet, nempe Paulum V. esse verum & legitimum Pontificem, quia eum pro tali tota agnoscit, & suspicit Ecclesia, quæ in causa facti generalis, & ad generalem statum omnium fidelium pertinentis, qualis est vera & canonica electio Pontificis, errare non potest. Qui enim se adfuturū Ecclesiæ tam arctè est pollicitus hos diuina sua prouidentia defectus non sinet cōtingere. Tertiò, quod ipse sit verus & legitimus Pontifex nonnihil accedit ad fidem, itaut contrarium, vt docet Turrecremata lib. 4. part. 2 cap. 8. Versicul. Octauum genus. hęresim sapiat: Cùm enim omnium fidelium consensu & existimatione sit canonicè & legitime electus, certè qui hoc nonobstante negare auderet, eum esse summum Pontificem videretur aliquo pacto vniuersalē hanc propositionē negare, eum qui est legitime electus esse Vicarium Christi & Petri successorem, quod qui negat sine dubio est hæreticus. Quartò nihilominus nō est certum

De Pontifice illegitimo, sed qui ab omnibus creditur legitimus.

fide diuina & Catholica, hunc vel illũ Pontificem esse verum & legitimũ Christi Vicarium : quia veritas huius propositionis, hîc vel ille qui nunc in Ecclesia præsidet est summus Pontifex, & D. Petri successor, pendet ab altera propositione, hic vel ille est legitimè electus in Pōtificem Romanum : atqui veritas huius propositionis non est de fide diuina & Catholica, quia hæc fides in obiectum vniuersale, saltē respectu rerum humanarum tantummodo fertur, vt eum qui est legitimè electus esse verum & legitimum Pontificem, abstrahēdo ab hoc vel illo particulari, non minus quàm de speciebus Eucharistiæ quę populo adorandæ proponuntur, suprà ostendimus. Deinde quoties in syllogismo vna propositio est de fide diuina, altera verò euidenti tantùm naturæ lumine cognita, conclusio non potest esse de fide, cum semper (vt loquuntur Philosophi) debiliorem partem sequatur: atqui in hoc syllogismo, quicũq; est legitimè electus in Pontificem Romanum, ille est verus Petri successor: at hic vel ille est canonicè & legitimè electus: ergo est verus Petri successor. Prima propositio est de fide; secunda vero tantum naturæ lumine cognoscitur : igitur conclusio non poterit esse de fide; sic enim fortiorem potius quàm debiliorem partem sequeretur: scio quidem propositionem quæ cum altera de fide coniungitur, ad maiorem certitudinem per hanc coniunctionem eleuari, sed tamen nunquam (vt norunt omnes melioris notę Theologi) de fide Diuina & Catholica futura est. Dices, Ecclesia vniuersalis hunc vel illum qui nunc Ecclesiæ clauum tenet, credit esse summum Pontificem, ergo illud est de fide diuina. Nega-

Non est de fide diuina & Catholica, hunc vel illũ in particulari esse realiter summum Pōtificem & Christi vicarium.

tur consequentia ,quia non omne quod amplectitur vniuersalis Ecclesia est fidei diuinę. Tota Ecclesia credit Christum esse risibilem, amplectitur similiter omnes consequentias quæ ex scriptutis apertè deducuntur, quæ tamen nemo de fide diuina esse dixerit, nisi prout sunt ab ipsa Ecclesia definitæ, etsi ex hypothesi Ecclesia redacta esset ad certum quendam numerum personarum adstantium Missæ & Eucharistiam in manibus Sacerdotis adorantium, tota Ecclesia hanc Eucharistiam absolutè adoraret, eamque propterea verumChristi corpus crederet; cùm tamen non sit de fide diuina Christum sub his aut illis speciebus realiter contineri, id enim tantum morali certitudine creditur, & sic iudicandum est de veritate huius aut illius summi Pontificis in particulari, quæ non fide Catholica, sed tantùm moraliter certa est : Ita tamen vt hæc moralis certitudo tanta sit quanta moraliter esse potest, & comparatione aliarum certitudinũ in apice veluti cõsistat. Instabis. Si istud morali certitudine duntaxat constet , ergo poterit ei subesse falsum, ac per consequens in re maximi mométi tota Ecclesia errabit. Respõdeo posse quidẽ ei subesse falsum speculatiue propter defectus quos ipsa hominum electio interdum non potest dignoscere, practicè tamẽ & moraliter nullum falsum subesse potest, hos enim defectus prouidentia diuina de communi Ecclesiæ salute impensissimè sollicita nunquam sinet contingere. Rursus, dices, si moraliter duntaxat certum sit, hunc vel illum esse summum Pontificem, ergo eius definitiones moralẽ duntaxat habituræ sunt certitudinem. patet consequentia, quia non potest effectus superare

causam suam: Igitur si Pontifex causa efficiens istius definitionis solùm moraliter certus sit, eius definitiones moraliter quoque duntaxat certæ erunt. Respon. definitiones Pontificis nō esse de fidé, donec Vniuersalis Ecclesia, quam de fide est errare non posse, eas acceptauerit; licèt enim certissimum sit infallibilitatem in definiendo Pontifici conuenire, hoc tamē non est de fide, sed tantum ea maxima certitudine morali, de qua paulo ante diximus, constat: & hæc solutio mihi magis arridet quàm ea qua nonnulli respondent definitiones fidei auctoritate summi Pontificis factas non pendere ex veritate huius propositionis, Hic vel ille est summus Pontifex: sed ex veritate huius, Hic vel ille in tota Ecclesia habetur pro Pontifice; semper enim manet dificultas, nam veritas huius posterioris propositionis certitudinē moralem etiā non excedit: quia tota Ecclesia id tanquam de fide minimè credit.

Definitiones Pō-tificis, nō sunt de fide, donec Ecclesia eas acceptauerit.

Sed ponamus dicet quis Pontificem, quem Ecclesia agnoscit propter defectum quendam occultum, verum non esse, an illius definitiones erunt infallibiles. Respondeo 1. quamuis talis Pontifex priuilegio infallibilitatis non gauderet, eius tamen error in Ecclesiam minimè redundaret, quia vbi aliquid falso definiuisset, ante receptionem generalem ab Ecclesia falsitas definitionis, aut etiam ipsius definientis appareret. Secundò, dicimus talem Pontificem pro vero creditum nunquam erraturum, quia cùm Pontifex non sit propter se, sed propter Ecclesiam, iuxta illud August. *Quod Christiani sumus propter nos est, quod præpositi propter vos.* Ne in Ecclesiam falsum pro vero obtrudatur, nunquam eum Deus errare sinet, & quidem

Definitiones Pō-tificis illegitimi cuius tamen nullitas ignoratur sunt infallibilis veritatis.

ſecundùm legem communem & ordinariam Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam:* Ideo in tali caſu ratæ eſſent, & certæ illius definitiones, nec cuiuis abire in contrarium liceret l. Barbarius. D. de officio præſidis.

Tertiò quæritur an ſemper Pontifex hoc infallibilitatis priuilegio gaudeat. Ratio dubitandi petitur ex opinione cuiuſdam Pariſienſis Doctoris, qui aſſeruit ſummum Pontificem congregato concilio œcumenico deſinere eſſe infallibilem, ſed totam infallibilitatem tunc à Chriſto in concilium trāsfundi. Poſt concilium vero, quia eius ſolius eſt Eccleſias particulares, vbiq; terrarum regere, hanc infallibilitatem ad eum quaſi poſtliminio redire. Hæc opinio pace authoris, quem aliàs vehementer colo, noua eſt, & falſa. Noua quidem, quia ſine teſte & authore quem viderim obtruditur. In rebus autem grauiſſimi momenti quales ſunt quæ ad Eccleſiam, & ſupremum Pontificem ſpectant, à nouitatibus procul eſt recedendum, vt diſertè monent Vincentius Lyrinenſis, & Gerſonius lib. de examine doctrinarum: falſa verò, tum quia iam ſatis oſtēdimus priuilegium infallibilitatis annexum eſſe dignitati Pontificiæ vi orationis Chriſti, *Rogaui pro te Petre:* Atqui Pontificia dignitas per conuocationem & celebrationem cōcilij, nec deperditur, nec imminuitur; hanc enim tenet in ſolidum, non minus quam Epiſcopi particularem ſuam Epiſcopalem dignitatem, vt author eſt Cyprianus; tum quia tantùm abeſt, vt aliquid ſuæ dignitatis Pontificiæ in concilio œcumenico deperdat ipſe ſummus Pontifex, quinimmò multo tunc lucidiùs claret & irradiat; cùm ni-

In concilio œcumenico, nō amittit Pontifex ſuam infallibilitatem.

Tractatu cōtra hæreſis.

mirum ſedet in medio omnium Prælatorum tãquam Rex in ſolio, intuitu ſuo diſſipans omne malum, vel tanquam Sol in medio planetarum quas tanto vberius & clarius, quo propius & immediatius ſuo lumine colluſtrat. Ad quid ergo priuilegio ſuo tunc à Deo priuaretur? Tertio ſi ita eſſet, cõcilium non egeret approbatione, immò nec præſentia Pontificis, ſaltem non magis indigeret, quàm præſentia alicuius alterius Prælati, quandoquidem per eiuſmodi receſſum infallibilitatis ab ipſo Pontifice, & transfuſionẽ in ipſum conciliũ prout eſt congregatũ, ſatis ſuperq; eſſet confirmatum & approbatum: ideoque infallibilitas Pontificia ſolùm ad moderationem & directionem Eccleſiarũ diſgregatarũ, non autẽ ad Eccleſiæ in vnũ collectæ gubernationem & directionem extenderetur: quod quam à ratione, & continua Eccleſiæ praxi alienum ſit, nemo eſt qui non videat, illudque 4. partẽ planius erit nobis demonſtrandum. Denique gratis & ſine ratione obtruditur hæc opinio, immò contra rationem, tum quia miracula prorſus inaudita abſque vlla neceſſitate multiplicat, tranſitum nempe huius infallibilitatis, quæ eſt donum aliquod ſupernaturale, illudque maximum, de Pontifice ad concilium, & poſtea recurſum eiuſdem de cõcilio ad ipſum Pontificem; tum quia deteriorem ſtatuit conditionẽ Põtificis durante cõcilio, quàm eo finito & diſſoluto, cùm tamen in cõcilio tanquã Sol in medio planetarũ magis eius maieſtas & authoritas reſplẽdeat: tũ demũ quia hęc opinio nõnihil ad dogma Richerij accedit: vult enim cum Richerius, ſummum Pontificem Eccleſias diſgregatas non ipſum concilium regere &

moderari,ſed hac de re pluribus infr.4. parte de comparatione Pontificis & concilij.

Quomodo dignoſci poteſt Pontificẽ agere vt Pontifex.

Quartò quæritur,quãdonam ſcire poſſumus ſummum Pontificem, non vt priuatum doctorem,ſed vt Pontificem definire,& ſic nullomodo errare. Notandum eſt res definiendas verſari in duplici genere;aliæ enim ſunt duntaxat credendæ quibus nempe ſolùm aſſentiri firmiter debet intellectus,aliæ vero quæ prę-ter aſſenſum intellectus ordinem ad actus exteriores includunt.Eius generis ſunt legum & canonum conſtitutio, ſanctorum Apotheoſis, religionũ approbatio, & ſimilia : Si quid in priori genere definiendũ ſit, ſummo Pontifici conſulenda ſunt ea quibus fides pura & integra conſeruatur : cuiuſmodi ſunt Scriptura Sacra, traditiones, conciliorum definitiones, decreta prædeceſſorum, vnanimis Patrum &Doctorum conſenſus ; denique conſenſus omnium fidelium, non tantùm eorum qui viuunt, ſed etiam qui iam è viuis exceſſerunt : in his enim tanquam in obſignatis quibuſdam tabulis fides conſeruatur, nutritur, & corroboratur : ſi quid vero poſterioris generis definiẽdum occurrat, vt ſancti alicuius apotheoſis, eius vita & mors, miracula ante & poſt mortem ſcedulo ſunt attendenda & perueſtiganda, quãuis præcipua conſideratio de morte eſſe debeat, præſertim in martyre: cuius vita etſi flagitioſiſſima, nulliſque virtutibus, & miraculis exornata fuerit, ſi tamen mortem pro fide, aut pia aliqua cauſa quæ in honorem Chriſti, & religionisCatholicæ cædit,conſtanti animopertulerit,in ſanctorum album meritò à ſummo Pontifice referri poteſt.Item ſi aliquod religionis inſtitutum Pontifici

approbandum proponatur, finis &media ad huius asſequutionem, qualia ſunt ſtatuta, & regulæ conſideranda veniunt, an ſcil. nihil ſit in illis quod vel à lege naturali, diuina, aut Eccleſiaſtica abhorreat, & an expeditiorem quandam viam ad ſalutem huiuſmodi ſtatuta contineant. In ſumma ad rite & infallibiliter definiendum debet Pontifex quæcumque negotio propoſito conſentanea ſunt & neceſſaria præſtare. Tunc enim illi infallibiliter adeſt Spiritus ſanctus.

Secundò, notandum eſt nos imprimis dignoſcere ſummum Pōtificem non vt priuatum doctorem, ſed vt communem totius Eccleſiæ paſtorem ſe gerere, quoties ad id de quo conſulitur & interrogatur abſolutè & abſque vlla hæſitatione reſpondet, totique Eccleſiæ credendum proponit; Certū enim eſt tunc vt generalem Eccleſiæ paſtorem rei propoſitæ reſpōdere: vbi hæc duo coniungimus, abſolutè nempe reſpondere, & toti Eccleſiæ credēdum proponere; prius enim abſq; poſteriori nō ſufficit, abſoluta nāque reſpōſio à priuato doctore non minùs quàm à generali paſtore datur: quo fit vt ei falſum ſubeſſe poſſit, ſi Eccleſiæ ſimul nō proponatur vt ex hiſt. Cęſarij Ciſterc. conſtat, qui li.3.c.32. refert Abbatē Ciſterc. & cæteros huius ordinis Abbates Innoc. III. cōſuluiſſe quid agēdum eſſet confeſſario per viam confeſſionis agnoſcenti monachum aliquem abſque ordine indies aut ſæpiùs celebrantem, nec à celebratione vllis monitis & præceptis eiuſdem confeſſarij abſtinere volentem; an eius confeſſio in hoc caſu eſſet detegēda. Innocentius (inquit Cæſarius) conuocauit Cardinales, viroſq; litteratos, & quid de ea re ſentirent quæſiuit

siuit omnibus penè in hoc consentientibus, quod confessio non esset prodēda. Respōdit Innocentius: *Ego dico in tali casu confessionem esse prodendam, quia potius est blasphemia quàm confessio, nec debet confessor tantam blasphemiam ac insaniam celare, per quam periculum toti Ecclesiæ poterit incumbere: & placuit sententia Innocentij omnibus, & scripsit sequenti anno ad capitulum generale, quod à se fuerat determinatum.* Hæc Cesarius. Quæ tamen Innocentij responsio simpliciter, & absolutè data, non solùm communi Theologorum doctrinę aduersatur, vt videre est apud Nauarrum in cap. Sacerdos. de pœnitentia. dist. 6. sed etiam concilio Lateran. cap. 22. sub eodem Innocentio celebrato repugnare videtur. Quamobrem vt responsio summi Pontificis infallibilis ab omnibus habeatur, non tantùm opus est eum absolutè respondere, sed etiam vt responsionem suam omnibus fidelibus credendam proponat. Secundò suppetunt similiter aliqua alia quibus definitionem Pontificis ab eo, tanquam Pontifice manare dignoscimus, vt si contra eum qui oppositum dixerit, anathema pronuntiet, vel si dicat qui contrarium senserit hæreticus habeatur, vel si affirmet de consilio fratrum nostrorum, hoc vel illud definimus. Quòd si nullum prædictorum signorum aut similium responsioni vel definitioni apponatur, non est omnibus modis ipsa definitio infallibilis, nec Pontifex, vt Pontifex agere censetur.

Notæ quibus Pontificē agere vt Pontificē dignoscimus.

Quin etiam contra Alphonsum à Castro lib. 1. aduersus hæreses cap. 4. aliquid non propterea de fide est, aut à Pontifice vt Pontifice manat, etsi corpori iuris canonici inseratur: multa enim sunt in corporę

Non omnia quæ sũt in iure canonico sunt fide credenda, aut etiam infallibilia.

decretorum quæ à Pontificibus, non vt Pastoribus vniuersalis Ecclesiæ, sed vt Doctorib. sunt definita, de quibus legendus est Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. & lib. 6. cap. 9. Vnũ aut alterũ exemplum lubet subiicere. Celestinus III. definiuit altero coniugum labente in hæresim, matrimonium dissolui, capitulo *Quanto* de diuortijs. Affirmat autem Hostiensis Celestini decretalem olim in corpore iuris insertam fuisse. Sed hanc definitionem à Celestino Pontifice quatenus Pontifex, non prodiisse, luce meridiana clarius est, ex Innocentio III. qui hanc sententiam reprobat his verbis: *Licèt quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur*; sensisse ait, non definiuisse. Item, videantur sensisse, non senserint. dicam amplius, eundem Innocentium capit. citato contrarium absolutè non definiuisse: Sic enim habet, *Non credimus quod in hoc casu qui relinquitur possit ad secundas nuptias transire.* Alexander III. capit. *cùm esses*, de testamentis, ait: *Alienum est à generali consuetudine & à diuina lege, & sanctorum Patrum institutis vt testamẽta, nisi quinque vel septem testium fuerint, subscriptione firmata pœnitus rescindantur.* ibi Alexander non iudicauit vt Pontifex, quia lex ciuilis contraria hodie à permultis Theologis approbatur, & vsu vbiq; ferè locorum recipitur: Quamuis dici possit hanc Alexandri decretalem ad mores qui pro varietate locorum & temporum variantur, pertinere. Sed vt vt sit de hac Alexandri constitutione satis constat, decretum, etsi corpori canonico inseratur, non propterea à Pontifice quatenus Pontifice proficisci: nisi aliquod signorum prædictorum apponatur. Nihilominus Bannes art. 10. quæst. 1. D. Thomæ in 2ª. 2ªᵉ. du-

bitatione 2.cõmentarij obseruat eum temeritatis meritò redargui, qui eiusmodi decreta præsertim in ijs quæ ad fidei doctrinam spectant negaret: etiamsi nullum prædictorum signorum iis apponeretur, quod non caret maxima probabilitate; nam eo ipso quod corpori iuris decretum aliquod inseritur, argumento est à Pontifice, non vt Doctore, sed vt legislatore & ius ipsum dicente & definiente manare.

Vtrùm cathedra & Ecclesia Romana, non minùs quàm Pontifex sit infallibilis.

QVÆSTIO VI.

HVIVS disputationis campum nobis aperit Vigorius, quippe qui pag. 68 punct. 6. distinguat primò cathedram Romanam à Pontifice, dicens eos, qui hæc duo inter se confundunt, grauiter allucinari, mirarique se, quo pacto distinctionem vtriusque ex apertis patrum testimoniis non comprehenderint. Quid autem per cathedram Romanam intelligat, non aliter explicat quàm quod velit eãdem esse cum Ecclesia Romana, seu clero eiusdem vrbis aut prouinciæ. Secundo ait, Ecclesiam hanc Romanam seu cathedram nunquam à vero deflexisse, quamdiu iudicium Dei sequuta est, sed vbi iudicium hominum Dei iudicio præposuit, & auaritia atque ambitione duci cœpit, errores in eã inualuisse. Quod autem Romana cathedra, non eadem sit cum Romano Pontifice, primùm probat ex Hieronymo (sed quàm arguté lector iudicabit) *Hieronymus, dubius an in Deo tres hypostases admitteret, & aliter de hac quæstione quàm quod Damasus sentire nolens, dixit, Beatitudini tuæ, id*

est Petri cathedræ communione consocior. *Vide* (inquit) *quemadmodum Hieronymus non Damasi, sed Petri consortium efflagitet. Nam si illi tantum Damasi communio sufficeret, vtpotè infallibilis, ad quid addidisset, id est Petri cathedræ?* Igitur per cathedram seu sedem Petri, non Pontificem, sed Romanam Ecclesiam intellexit. Pergit deinde ex Cypriano lib. 1. epist. 3. vbi rescribens ad Cornelium, dixit: *Florentissimo illi clero tecum præsidēti.* Et epist. 1. ad Cornelium scripta, modo singulariter, modo vero pluraliter eũ alloquitur, vt apertè significet se non tam ad personã eius, quàm ad Ecclesiã, cui ipse præsidebat sermonem dirigere: subiungit verba Felicis Papæ in anathemate, contra Petrum Antiochenum: *Firma sit hæc tua depositio à me, & ab eis qui vna mecum Apostolicum thronum regunt.* Itemque verba concilij Sardicensis can. 5. quibus cathedram concilium vocat, & certè Christus ipse Matthæi 23. cathedram Mosis concilium Scribarum & Pharisæorum appellat, non autem ipsum Pōtificem. Secundò vero quod ipsamet Ecclesia Romana, vbi iudicium hominum sequi cæpit, à vero quàm lōgissimè deflexerit, probat, primum similitudine ex Ecclesia veteri, quæ in traditionibus suis humanis, auaritia & ambitione ducta turpiter errauit. Item sicut Petrus quamdiu verbis Christi fidem habuit, super aquas ambulauit. Sed vbi suborta tempestate dubitauit, cœpit penè submergi. Sub finem profert concilia Romana sub Stephano contra Formosum, sub Romano contra Stephanum, & sub Sergio cōtra Romanũ, in quibus nulla Christi, & Spiritussancti mentio facta est, & quæ cùm sibi è diametro aduersentur, necesse est aliqua horũ à vero

deflexisse: Aitque sub Adriano Papa Cardinales pactum cõtra Fridericum Imperatorem inter se iniisse, quod quãdo mortuus esset Papa, illi de numero conspiratorum alterum eligerent, vt refert Abbas Vrspergensis: tandemque subiicit quo pacto Cardinales per simoniam Pontifices eligebãt, vt ex conciliis Lateranensibus latissimè probatur: Ideoque iam in Ecclesiam & cathedram Romanam, non minùs quàm in summum Pontificem errores inualuisse nemini dubium esse concludit.

In Chronico.

Hucusque credidi Vigorium in solum Pontificem iratum & infensum, sed iam cogor mutare sententiam, quippe qui Romanã Ecclesiam doctrina Apostolorum ex Ireneo lib 3. cap. 3. munitam, traditionibus locupletatã, meritis illustratam, dotibus auctam Petri & Pauli sanguine purpuratam & consecratam crudeliter proscindit, asserens eam nunc non diuino, sed humano iudicio incedere, & propterea eius definitiones variis erroribus redundare. Quod quam à vero abhorreat paucis aperiemus: si priùs quid cathedræ nomine veniat breuiter demõstremus. Nomine ergo cathedræ Romanæ, non est intelligenda sedes illa lignea, in qua olim Petrus Romæ sedisse perhibetur: etsi ipsa miraculis olim refulserit, & in eius ligno arido viridem curationum gratiam Deus ostenderit. Duo itaque significat, successionem iugem, & continuam iustorum & Sacerdotum, ex Augustino & Ireneo; sed frequentiùs principatũ & authoritaté. Cùm enim Põtificis duo sint munera, docere & regere, & vtcũque cum authoritate. Nec enim Pontifex ad instar Doctorum Classicorum docet. *Qui* (vt inquit Au-

Quid per cathedrã Romanã significetur.

gustinus) *ratiocinantes, diuidentes, definientes, & inanem sapientiam buccis concrepantibus ventilantes suos discipulos instruũt.* Sed iudicialiter & cum authoritate rẽ de qua est quæstio definiendo, suamque definitionem omnibus fidelibus, sub interminatione maledictionis æternæ credendam proponendo. Quod autem pro principatu & authoritate sæpissimè vsurpetur, constat ex antiquioribus Ecclesiæ Romanæ monimentis quibus solemnitatis cathedræ D. Petri officium continetur, in quibus ex Cardinale Sitleto sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario hæc ad Deum oratio dirigitur: *Qui ineffabili sacramento Apostolo tuo Petro principatum Romanæ vrbis tribuisti, vnde si Euangelica veritas, per tota mundi regna diffunderet, &c.* Et in sacramentario D. Gregorij, quod vetustissimum asseruatur in Vaticano. *In his* (nempe in Petro & Paulo) *glorificatus es vehementer, per quos vnigeniti tui sacrum corpus exornas, & in quibus Ecclesiæ tuæ sacramenta constituis, quam in Patriarchis mundasti, in Prophetis præparasti, & in Apostolis condidisti. Ex quibus B. Petrum Apostolorum principem ob confessionem vnigeniti filij tui, per os eiusdem verbi tui confirmatum in fundamento domus tuæ mutato nomine cælestium claustrorum præsulem custodemque fecisti, diuino ei iure cõcesso, vt quæ statuisset in terris seruarentur in cælis.* Quæ cùm de cathedra D. Petri Romana, & non Antiochena à D. Gregorio dicta sint; quis non videt cathedram non Ecclesiam Romanam, sed principatum & potestatem Romani Pontificis apertè significare? Reliqua prætermitto testimonia ne in re trita, & omnibus peruia tanquam in salebra hæreamus. Quod verò pro docendi munere simili modo sumatur, te-

ſtatur Hieron. in 21. Matthæi, vbi explicans verba hęc Chriſti, *ſuper cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: Niſi fortè* (inquit) *columbarum inſtitores ſedebant in cathedra, quod abſurdum, quia in cathedris magiſtrorum magna dignitas deſignatur, quæ ad nihilum redigitur, cùm mixta fuerit lucris.* Itemque Auguſt. 2. contra literas Petil. c. 6. vbi ait, *Moſis cathedram Chriſti cathedram adũbraſſe:* Atqui cathedra tam pro authoritate quam pro docendi munere vſurpatur: Moſes ſiquidem populum docuit & gubernauit. Et in Pſal. 1. ſtatim à principio, docet cathedram peſtilentiæ pernicioſam doctrinam, cùm ſermo vt cancer ſerpit, ſignificare: Ergo à contrario cathedra Eccleſiæ veram & catholicam doctrinam ſignificabit. Et tract. 1. de diſcipl. Chriſt. cap. vlt. ait Chriſtum habere cathedrã & ſcholam in terra: *Schola ipſius, corpus ipſius, caput docet membra ſua.* Quibus contra Vigorium poſitis, hæ nobis ſunt ſtatuendæ concluſiones.

Cathedra authoritatem & docendi munus ſignificat.

Prima: Cathedra Romana à Romano ſummoq; Pontifice non differt, eſt enim ipſemet Pontifex quatenus docẽs, metonymicωs. Cùm enim cathedra principatum & authoritatem propriè ſignificet, principatus autem Eccleſiaſticus non in pluribus, ſed in vno ſupremo Paſtore ſubſiſtat; ſtatus quippe Eccleſiæ eſſentialiter eſt monarchicus, non ariſtocraticus, certè cathedram eandem eſſe cum ipſo ſummo moderatore neceſſe eſt. Secundo, cum ad Sedem Apoſtolicam pro fidei dubiis accedimus, ſingulos Eccleſiæ Romanæ fideles adire non ſolemus, nec clerum ipſum Romanum in concilium cogimus, ſed ad Pontificem, cuius ſentẽtiam & iudicium expectamus acce-

Cathedra Romana idem eſt ac Romanus Pontifex.

dimus. Neq; enim Romanus populus aut Clerus Ecclesiam vniuersalem docet: etsi enim grassante Decij persecutione Sedes Romana vno anno & amplius à Fabiani morte vacante clerus ipse Romanus à Cypriano de libellaticis Christianis consultus fuerit, & ad illius consulta coactis comprouincialibus Episcopis responderit, non tamen cum authoritate & obligatione vniuersorum fideliũ responsum dedit, quamuis tuto possent fideles ipsius cleri decisionem & conclusionem amplecti & sequi, vt suprà demonstrauimus. Quartò, priuilegium infallibilitatis Petro fuit peculiariter concessum. *Oraui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua:* quæ ex superioribus soli eius personæ conueniunt. Et quamuis Ecclesia vniuersalis huius infallibilitatis priuilegio pariter gaudeat, non tamen Ecclesia particularis, qualis est Romana, si seorsim à suo capite nimirũ Pontifice sumatur. Postremò idem apertè colligitur ex August. epist. 162. statim initio: *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.* Vbi (ni pœnitus cæcutiat Vigorius) videre potest cathedram ab Eclesia Romana differre: Itemque cap. 18. vitæ eiusdem August. refert Possidius, eum dixisse, Imperatores sedis Apostolicæ iudicium in puniẽdis hæreticis reuereri. Per hoc autem iudicium Innocentij & Zozimi summorum Pontificum decretum aduersus hæreticos, & præsertim Donatistas in Africa intelligit, ex quo euidenter constat cathedram Romanam metonymicωs ipsum esse Põtificem, quatenus vt Pontifex agit.

Sed esto cathedra Romana, vt contendit Vigorius, à Pontifice distinguatur, & eadem sit cum Ec-

clesia

clesia ipsa Romana, an legitimè ex eo infertur hanc cathedram à vero deflexisse. Hæc certè illatio Vigorio cum Lutheranis, Caluinistis, cæterisq; qui ab Ecclesia tanquam perduelles defecerunt, communis est. Sed cōtrà, secūda hæc cóclusio statuetur. Ecclesia seu cathedra Romana quamdiu summo Pontifici adhæret, infallibilitatis priuilegio gaudet, nec humanum iudicium neglecto diuino suis in definitionibus & responsis amplectitur: illudq; facilè probatur ex concilio Complutensi à Sixto IV. speciali extrauagante confirmato, in quo Petrus Oxomensis clericus & Doctor Parisiensis dānatus est, vt in summa cōciliorū in vita & gestis Xisti IV[i]. refertur, & à Banne in 2[am] 2[ae] art. 10. quæst. 1. disp. de Ecclesia, his verbis: *Denique in cōgregatione facta ante annos centū Compluti per Alphonsum Carillo Archiepiscopum Toletanum, de mandato summi Pontificis Xisti IV. contra Petrum Oxomensem Doctorem aliàs Parisiensem clericum secularem qui Salmanticę Sacræ Theologiæ primariæ cathedræ præfectus fuit, qui solus magistrorum Dominicanæ familiæ seriem in eadem cathedra ab ipsius institutione præsidentium interrupit satis infœliciter. Nam eius libri simul cum cathedra in qua sedebat in media schola maiori, igni sunt traditi comburendi. Huius Doctoris inter alias septima propositio erat, Ecclesiam Romanam* (quam pro particulari, non pro vniuersali sumebat) *posse errare in fide, quæ condamnata est tanquam hęretica. Et ipse Xistus IV. in extrauagante contra eundem Petrum confirmauit illius congregationis acta, & eandem propositionem damnat tanquam hæresim. Quapropter ipse Petrus coactus est sententiam retractare sub hac verborum forma: Consentio sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ & Sedi*

Cathedra Romana quamdiu adhæret summo Pontifici errare nequit.

De Petrō Oxomēsi Doctore Parisiensi.

Apoſtolicæ & ore & corde confiteor, me tenere illam fidem quam Dominus Xiſtus Papa modernus auctoritate Apoſtolica & Euangelica tenet, & omnes qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio. Hæc Bannes. non nugator qui ad placitum conſtitutiones comminiſcatur, vt impudenter mentitur Vigorius, ſed celeberrimi nominis doctor, qui poſtquam varios Philoſophiæ peripatheticæ libros commẽtariis egregiis illuſtraſſet, Eccleſiam ipſam doctiſſimis in 1. & 2^am^ D^i^ Thomæ partem enarrationibus locupletauit: quem qui non nouit, Theologiam ſe non nouiſſe fateatur neceſſe eſt. Ceterùm, definitio hæc Xiſti IV non eſt de fide, ſed tantùm maximè certa, cùm definitiones ſummorum Pontificum vim fidei Catholicæ nõ habeant, donec vel ab Eccleſia vbique locorũ diffuſa, vel à concilio generali ſint receptæ; tum quia nullibi extat ab Eccleſia definitum, ſummum Põtificem, etſi agat vt Pontifex, infallibilitatis priuilegio gaudere; tum etiam quia doctores qui eum in definiendo nõnunquam poſſe impingere docent ab Eccleſia tolerantur, nec tãquã hæretici damnantur. Et hoc obiter dictum ſit, ne quis putet me eorum quæ ſuprà quæſt. 3. docui eſſe immemorem.

Definitio Xiſti IV. cõtra Petrũ Oxomenſem, nõ eſt de fide.

Secundò ergo probatur concluſio. Eccleſia Romana prout ab Vniuerſali Eccleſia differt, eſt Epiſcopatus Romanus in particulari, tantumque à cæteris aliis Epiſcopatibus diſcrepat, quòd ei annexus ſit ſupremus Pontificatus, ſicut monaſterio Ciſtercienſi & Carthuſiẽſi annexa eſt horum ordinum præpoſitura generalis. Cùm ergo ex ſuperioribus abunde conſtet ſummum Pontificem errare non poſſe, iiſdem argu-

mentis constat Episcopatum illum particularem Romanum, quamdiu vocem Pastoris sui audit, eique adhæret, à vero non posse deflectere.

Ex quibus ad argumenta Vigorij procliuis est responsio. Ad primum quod pro cathedræ Romanæ à summo Pontifice distinctione profert: Respondeo Hieronymũ per cathedram Petri ipsum Pontificem sedentem in cathedra intellexisse: postquam enim dixit, *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Petri cathedræ communione consocior*, paulò post addit, *Quicunque tecum* (in concreto) *non colligit, spargit.* Et clarius tom. 2. Dialogo contra Luciferianos: *Ecclesię salus in summi Sacerdotis dignitate pẽdet, cui nisi exors quædam, & ab hominibus eminens potestas detur, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot Sacerdotes.* Instat Vigorius, si satis fuisset Hieronymo iudicium Damasi, vtpotè infallibile, ad quid addidisset, *Id est Petri cathedræ*, & si per cathedrã Petri Damasũ ipsũ intellexisset certè illa repetitio nugatoria & identica fuisset: idẽ enim est ac si dixisset, Damasi, id est Damasi communione consocior. Respondeo Damasum duas personas sustinuisse vnam priuatam prout Doctor, alteram publicam prout Pontifex, & vt ex cathedra definit, priori modo errare potest & interdum errat, posteriori verò minimè. Vt ergo Hieronymus ostenderet, se tacendarum aut dicendarum trium hypostaseωn facultatem petere non à Damaso, vt priuato aliquo doctore, sed vt à Pastore ex cathedra agente & definiente, hanc explicationem beatitudini tuæ, id est Petri cathedræ addidit. Nec enim ignorabat Damasum, hoc pacto definientem à vero non posse deflectere, vnde nulla hîc nugatio

committitur, non enim actu aut æquipollenter fit iterata nominis huius Damasi repetitio, Damaso, id est Damaso, sed Damaso vt in cathedra sedenti, & ex ea definienti. Ad Cyprianum respondeo eum per florentissimũ clerũ cum Cornelio præsidentem intellexisse Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Romanæ, quę iam tum in eadem erant authoritate qua nunc pollẽt, eodem etiam munere fungebantur, quo nunc Cardinales, erant quippe consiliarij & assessores Romani Pontificis, sine quorum consilio arduum nihil solebat agere, quamuis adhibito solo peritorum consilio quæcunque negotia legitimè definire & terminare posset. Dicam insuper Cyprianum scripsisse ad Cornelium, quatenus concilium, quod ipse vocat Presbyterium coëgerat, ex epistola Cornelij ad Cyprianum, quæ est num. 46. Ideoq; cùm Cardinales & Episcopi concilio tanquam iudices assideant, meritò dixit Cyprianus florentissimo illi clero tecum præsidenti, & hæc causa est, cur modo pluraliter, modo vero singulariter Cornelium alloquatur. Pro verbis Felicis Papę quibus statum Ecclesię aristocraticum esse contendit Vigorius, sciendum est, Felicem è synodo Romana ad Petrum Fullonem in Antiochenum Archiepiscopatũ intrusum, hanc anathematis, & depositionis sententiam transmisisse, sicque per Apostolicum thronum, quem secum Ecclesiam regere dixit, synodum Romanam contra eundem Petrum coactam intellexit; in qua etsi ipse Felix præsideret, alij tamen vel Episcopi comprouinciales, vel Presbyteri & Diaconi Romanæ Ecclesiæ, qui iam tunc authoritate velut Cardinalitia pollebant, tanquam iudices ei synodo

Cradinales tẽpore Cypriani.

De Petro Fullonein episcopatum Antiochenũ

aderant: ideoque meritò asseruit Felix eos vnà cum ipso Apostolicum thronum regere: & quamuis sententia anathematis Petri Antiocheni ab ipso concilio prodierit, peculiari tamen modo Felici, vtpote totius concilij præsidi attribuitur, eiusque nomine vulgatur vt ex his ad ipsum Petrum, verbis apertè colligitur: *Nec ambulare in veritate, nec nostris duabus epistolis aurem voluisti accommodare: nunc igitur sum exorsus aduersum te proferre sententiam.* Ex quo facilè videbit Vigorius, ni ex malitia cæcutire velit, monarchicam Felicis III. contra ipsum Petrum authoritatem apertissimè hîc relucere.

Quod ad concilij Sardicensis canonem mala fide illum citat, nec enim eo statuitur Romanum Pontificē pro iudiciis appellationum, concilium cogere debere, sed tantùm quod *si iustè existimauerit eius rei quæ iam iudicata est examinationem renouari, coepiscopis scribere dignabitur qui sunt propinqui prouinciæ, vt ipsi diligenter, &c.* Vbi verbo *(Dignabitur)* manifestè ostenditur summum Pontificem pro appellationibus iudicandis ad cogendos comprouinciales Episcopos non teneri, nec eorum sententiæ ita alligari, quin possit alios peritos & doctos iuxta rei qualitatem ad se pro appellatione iudicanda accersere & conuocare. Eiusdem etiam falsitatis illud est, quod ex Matth. 23. refert Christum per cathedram Mosis super quam sedebant Scribæ & Pharisæi concilium Iudaïcum significasse. Quæ falsitas vt euidenter constet sciendum est primò, nomine Scribarum & Phariseorum Christum Sacerdotes & Pontifices intellexisse, cùm enim nollet ordinem Sacerdotalem, cui plurimùm deferebat, sub

Quid per cathedrā Mosis à Christo intelligatur.

nomine proprio traducere & reprehédere ipſos Pontifices & Sacerdotes, ſub nomine Phariſeorũ & Scribarum arguebat & increpabat. Secundò, nomine cathedræ non intellexit ſedem ligneam, cui ipſi cùm ad populum conciones haberent inſidebant, vt putat Eutimius: ſi quidem ſtantes potiùs quàm ſedentes populum docere conſueuerant. 2. Eſdræ 8. & Actuum 13. ſed authoritatem docendi & iubendi ea quæ ad cultum Dei pertinebant intellexit: quam authoritatem cum primus in populo Iudaïco Moſes obtinuerit, cathedra Moïſi potiùs quàm alterius nuncupatur. Quibus poſitis liquido contra Vigorium conſtat Chriſtum per cathedram Moſis concilium Iudaïcum non intellexiſſe: tum quia potius ex Auguſtino, in hunc Matthęi locum ſucceſſio Sacerdotum nullo vnquam tempore à Moïſe interrupta, hoc nomine cathedræ ſignificatur; quæ cum maximum veritatis alicuius doctrinæ argumentum ſuppeditet, vt idem teſtatur Auguſtinus. *Multa me in Eccleſiæ gremio retinent, tenet me conſenſus populorum vbique firmatus, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, ſucceſſione roborata.* Iure meritiſſimo ex hac Sacerdotum ſucceſſione ſub intulit Chriſtus Iudæos debere Scribas & Phariſeos audire, eorumque doctrinam ſequi, mandatiſque obtemperare; tum etiam quia quoties Iſraëlitæ populum docere volebant, concilium quoddam ariſtocraticũ Sacerdotum, & Leuitarum non ſolebant iudicere, & quamuis cum aliquid difficile, & ambiguum oriretur, Põtifices ſolerent Sacerdotes cogere, & cum iis rem illam diſcutere, attamen ſententia mandatumque nomine Sacerdotis ſupremi dabatur, vt iam mul-

Cap. 4. cõt. epiſt. fundam.

toties ex Deuteron. 17. docuimus, & hæc pro huius nominis cathedræ ſignificatione dicta ſint, quæ ſupremum ipſum Pontificem cum authoritate imperantem & docentem ſignificare liquidiſſimo conſtat.

Ad id auté quod cathedram ſeu Eccleſiá Romaná erraſſe cõtédit, idque ex ſimilitudine veteris Eccleſię quæ à verò traditionibus hominum inſiſtendo deflexit. Reſpondeo hoc argumentum ab omnibus noſtri ſeculi ſectariis aduerſus Eccleſiãvniuerſalem obiici, ſolumque ab iis diſcrepare Vigorium, quod quæ contra Eccleſiam in genere hæretici conuitia euomunt in cathedram ſeu Eccleſiam Romanam in ſpecie effundat & torqueat. Sed certè nihil quicquam hoc ſuo argumento efficit: Promiſſiones enim infallibilitatis pro veteri Eccleſia fuerunt duntaxat temporales, non autem æternæ ſeu vſque ad conſummationé ſæculi. Cùm enim hæc Eccleſia eſſet ſolùm ad tempus donec ſcilicèt intraret plenitudo gentium, non potuerunt eius proprietates, inter quas eſt infallibilitas, diutiùs ei cõuenire. Quo fit vt ſicut quamdiu fuit vera Eccleſia tamdiu ab errore immunis fuit: ita ſtatim vt deſiit eſſe vera Eccleſia, quod maximè Chriſti tempore contigit: ſic etiam ab infallibilitatis priuilegio excidit. Sed cùm nouæ legis Eccleſia pretioſiſſimo Chriſti Domini ſanguine conſperſa & fundata, ſit vſque ad mundi finem, ſeculorumque conſummationem duratura, nunquam alicui errori obnoxia eſſe poterit, niſi fortè velit Vigorius; cùm in cœlum poſt reſurrectionem tota conſcenderit: Deique conſpectu claruerit, in errorem incidere, quod nemo mente fideque ſanus vnquam dixerit: Quod auté Petrus quãdiu

Promiſſiones infallibilitatis in veteri Eccleſia fuerunt ſolũ ad tẽpus.

fidem habuit, ſuper aquas ambulauerit, & ſuborta tempeſtate dubitans penè ſubmerſus ſit, hoc adhuc cum Caluiniſtis cæteriſque hæreticis in opprobrium D. Petri obiicitur à Vigorio, qui Chriſti animaduerſione & reprehenſione non contentus, ſeueriorem in illum cenſuram ſtringit, non conſiderans humanum eſſe præſentibus periculis commoueri. Dico ergo Petrum voluntariè de Chriſti Domini ſuper aquas poteſtate nequaquam dubitaſſe. Si enim tantillum de ea dubitaſſet, non exclamaſſet (vt præclarè in hunc locum monet Theophilactus) *Domine, ſaluum me fac:* ideoque iacturam fidei paſſus non eſt, ſed tantùm timore aliquo correptus, actum fidei cum tanto feruore ac antea non exeruit, & propterea à Chriſto, tanquam *modicæ fidei* merito fuit increpatus. Quod ab Hieronymo his verbis apertè inſinuatur. *Ardebat animi fides, ſed humana fragilitas trahebat in profundum: paulum ergo relinquitur tentationi, vt augeretur in eo fides, & intelligeret ſe non facilitate poſtulationis, ſed potentia Domini conſeruatum.* Sed eſto D. Petrus in mediis illis fluctibus tunc à fide omninò exciderit. (quod tamen à vero perquam abhorret) nondum tamen ad ſupremum totius orbis Pontificatum euectus erat, nec adhuc à Spiritu ſancto confirmatus; nondumq; (quod Vigorio magis nocet) Chriſtus, ne deficeret eius fides, orauerat: Nihil ergo ex hac Petri ſuper aquas dubitatione quicquam aduerſus Romani Pontificis infallibilitatem ſequeretur. Quoad ea quæ contra Formoſum à Sergio, & Stephanum in conciliis Romanis decreta ſunt, iam ſuprà abundè reſpondimus, vbi totius rei hiſtoriam ex qua tanquam ex vngue Leonem quid

D. Petrus ſuper aquas de Chriſti omni potentia nō dubitauit.

quid de his pſeudoconciliis ſentiendum ſit lector facilè dignoſcere poterit.

Vtrùm ſummus Pontifex in decretis ad mores pertinentibus gaudeat priuilegio infallibilitatis.

QVÆSTIO VII.

VIGORII ſententia imprimis aperienda eſt, ne nos mentem ſuam non fuiſſe aſſequutos, ſed noua ſibi dogmata ad eum faciliùs refellendum affinxiſſe conqueratur. Quod etſi arduum ſit, eſt enim ad inſtar hęreticorum verſipellis ingenij, qui lapidem proiiciens manum ſub pallio artificioſe tegit: Nihilominus ſemel & iterum librum eius euoluẽdo, hæc tanquam certiora & contra quæ excipere non poteſt, tandem eruimus. Primùm ergo docet huius ſolius eſſe canones condere, cuius infallibilitas eſt propria: cum ergo hęc Chriſto naturaliter, & Eccleſię priuilegio conueniat, non autem Romano Pontifici eius minimè erit canones condere, legeſque fidelibus toto orbe diffuſis ſciſcere. Secundò, ſi quos aliquãdo canones ipſe Pontifex condiderit, nõ aliter quàm in ſynodo eum iſtud feciſſe. Tertiò, ſynodum non expectata Papæ authoritate poſſe leges canoneſq; condere: Quartò, canonum duntaxat executionem & interpretationẽ (cum hac reſtrictione ſi modo amplius non ſedeat concilium Pontifici competere; ſubditq;, (in quo Richerium magiſtrũ ſuum nouo & inaudito dogmate ſuperat) Pontificem hanc executionem & interpretationẽ nõ aliter quàm ex Eccleſię Romanæ, atque adeò comprouincialium Epiſcoporum cõſilio præſtare poſſe: itaut ex eius ſententia nihil ſummo

Num. 7. pag. 62.

Pontifici quatenus ſolus & abſque ariſtocratico Epiſcoporum conſilio agit, cõueniat. Verùm, omnes huius doctrinæ prorſus ſchiſmaticæ articulos hac quæſtione non enucleabimus de iis ſequenti parte commodiùs diſſeretur. Quamobrem de eius in legibus ad mores fidelium pertinentibus infallibilitate ſolùm hîc agemus: hanc autem non minùs quàm in fidei definitionibus agnoſcunt omnes Catholici doctores, quorum ſententia duabus concluſionibus cõtinetur. Prior: Summus Pontifex in cõdendis legibus ad ſtatum Vniuerſalis Eccleſiæ ſpectantibus errare nequit: primũ, quia ſi in his morum decretis Põtifici error obreperet, Deus contra ſuauiſſimas ſuæ prouidentiæ regulas Eccleſiæ deeſſet, & irrationabiliter illi præciperet, vt ſummum Pontificem tanquã Legiſlatorem à ſe conſtitutum perpetuò audiat, & ſequatur; talis enim interdum poſſet committi error circa mores vt fidem ipſam maximè labefactaret, & velut à fundamentis ſuccuteret, verbi gratia, ſi Pontifex quotidianam communionem omnibus, & ſingulis fidelibus ſub pœna anathematis iniungeret, certè multum imminueretur, tandemque tolleretur feruor & reuerentia Euchariſtiæ debita. Hac autem reuerentia extincta fides ſenſim deperderetur. Secundò, ſi in moribus decernendis erraret, certè illud tunc cõtingeret quando ex hypotheſi virtutem prohiberet, & vitium præciperet: atqui fides Catholica virtutem in vniuerſum bonam eſſe docet, ac proinde minimè prohibendam; vitium vero malum, ac per conſequens minimè pręcipiẽdum: ergo ſi in morum decretis à vero deflecteret, error ille ſine dubio in fidem redundaret,

eamque pœnitus destrueret. Postremò Ioan. 16. Apostolis promisit Christus se post ascensionem suam missurum Spiritum sanctum, qui eos omnem veritatem doceret: hoc autem ad minimum debet de re quacunque ad salutem necessaria intelligi: at mores ad salutem nó minus sunt necessarij quam fides; *Frustra enim quis sibi de fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur, & frustra Christiani nomen sortitur, qui Christum bonis operibus non imitatur:* igitur tá pro fide quam pro moribus decernendis sua debet supremus Pontifex infallibilitate gaudere. Dices, summus Pontifex non est impeccabilis, aliquos enim à recto virtutis tramite deuios fuisse constat. *Non semper tenent sanctorum opera, qui loca sanctorum obtinent,* dist. vndecima cano. Multi. ergo non erit infallibilis saltem respectu decernendorum preceptorum moralium. Patet consequentia, quia peccatum in voluntate errorem in intellectu sæpissimè parit. *Non error peccatum, sed peccatum errorem gignit,* & hæresis non tam est delictum quàm pœna delicti. Respondeo disparem esse peccati, & erroris rationem; peccatum enim tantum personam priuatam respicit, legis vero definitio publicá, & ideo sicuti etiãsi Pótifex errare possit, vt priuatus & in eo errore obstinato animo perseuerare, non tamé potest vt persona publica, seu quatenus ad iudicialiter, & ex cathedra aliquid definiendum se accingit: ita etsi peccare possit vt priuatus, non tamen publicè, & ex cathedra aliquid contra bonos mores statuere. Instabis; Christus solum orauit ne deficeret fides Pontificis, non autem charitas aut gratia. Respondeo nos iam supra pluribus ostendisse oratio-

Bernardus.

Cyprian.

nem Christi Lucæ 22. de Petro & successoribus quatenus futuri erãt vniuersalis Ecclesiæ Pastores & principes esse intelligendam: Ideoque ne firmitas & stabilitas in fide sufficiat ad iusta & æqua decernẽda, solius fidei in oratione sua Christus meminit: nisi mauis Christũ pro fide viua per charitatẽ operante rogasse: quod tamen non est probabile, cùm ad rectè de moribus decernendum fides & prudentia sufficiant, quæ non minùs in peccatoribus, quàm piis & iustis reperiuntur. Contra hanc conclusionem nulla argumẽta profert Vigorius, sed qui in fide decernenda errare Pontificem affirmat, consequenter idem de moribus decernendis ait esse iudicium. Posterior conclusio. summus Pontifex in legibus ad particularem Ecclesiam spectantibus similiter errare nequit, quæ conclusio etsi non ita certa sit ac præcedens, absolutè tamen tenenda est. Primùm quia eodem modo se habet Pontifex, cum ab aliquo particulari de fide interrogatur, ac cum de moribus: atqui respondens vt Pontifex de quæstionibus fidei alicui particulari errare nequit, ergo neq; quando de moribus ab aliquo particulari interrogatur. licèt enim interrogatio sit particularis, status tamen quæstionis generalis est, & qui toti Ecclesiæ conuenire potest, ergo pari modo responsio. Secundò, quæ in decretalibus habentur magna ex parte sunt responsa particularibus personis, vel Ecclesiis data; atqui vt docet Bannes loco supra citato, temeritate non vacat dicere summum Pontificẽ in decretalibus corpori can. insertis errasse: illudq; maxime colligitur ex solutione argumentorũ quibus decretales inter se pugnare pugnaciter, sed

In legibus ad Ecclesiam particularem spectantibus nequit Pontifex errare.

inaniter & frustra contendebat supra Vigorius. Tertio, Pontifex non minus est Pontifex istius particularis prouinciæ, quàm totius & vniuersalis Ecclesiæ (dempta Romana diœcesi, cùm non tantùm est vniuersalis Pontifex, sed etiam specialis Episcopus) ergo respectu vtriusque datæ sunt illi claues regni cœlorum, ac proinde vtrobique pari infallibilitate gaudebit. Quartò, fideles particularis Ecclesiæ non peccant obseruando, quod à Pontifice vt Pontifice illis præscribitur, immò peccarent si non obseruarét; est enim prætor qui ius dicit, & cui habet quilibet Christianus parere necesse: ego signum est Pontificé vitiosam & iniquam legem iis non posse præscribere. vbi per iniquam legem solùm intelligimus eam quæ legi naturę aut diuinæ repugnat, quia certum est posse interdum summum Pontificé leges inutiles immo propter hominum malitiam alicui ecclesiæ & prouinciæ quodãmodo nociuas ferre, aut interdũ ita eas multiplicare, vt fidelibus nocumento potiùs sint quàm adiumẽto: nũquam tamen inter illas aliqua cum iure naturæ aut diuino pugnãs dabitur, & hoc solum est quod in hac nostra conclusione contendimus. Dices Christum promisisse infallibilitatem solùm respectu Ecclesiæ vniuersalis, cuius D. Petrus & ex cõsequenti successores pastores instituebantur, non autem respectu Ecclesiarum particularium. Ergo respectu earum errare poterit. Respondetur quamcumque Ecclesiam particularem quamdiu summo Põtifici adhæret, eúmque sequitur, errare nõ posse, sicut de Episcopatu Romano docuimus; est enim vtrobique par ratio, cùm hic non erret propter vnionem & adhæsionem quam cũ

eo semper habere supponitur. Vnde contrà dicimus quamcumque Ecclesiam particularem (inuidia rumpantur Vigorius & Richerius) esse errori valde proximam vbi à Pōtifice seiungitur: *Quisquis extra hanc domum agnum comederit, prophanus est: quisquis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio: & quisquis ille est quãtumuis laudabiliter se viuere existimet, hoc ipso tamen quo ab Ecclesia seiunctus est vitam non habebit.* Seiũgimur autẽ & discindimur ab Ecclesia, cum à Pōtifice eius capite spõso & moderatore supremo per hæresim, schisma, atque inobedientiam deficimus: ex quibus manifestè patet summum Pontificem in ferẽdis legibus ad Ecclesiam particularem spectantibus errare non posse. Cæterum, nō minùs etiam gaudet infallibilitate cùm pios homines in sanctorum cathalogum referet; ea enim de causa inter plerasque alias damnatus est Vviclefus sess. 8. Concilij Constantiensis, quòd dixisset Augustinum, Benedictum, & Bernardum in inferis torqueri si in fine vitæ de religiosis ordinibus institutis eos non pœnituisset. Ratio verò huius condemnationis ex Sanctorum apotheosi in qua Pontifex est infallibilis, desũpta est; nec enim credi potest Spiritum sanctum sinere Pontificem labi in errorem qui in totam Ecclesiam redundaret, & honorẽ atque reuerentiam erga sanctos omninò imminueret, imò funditùs destrueret: quod certè accideret si in inferno degerent, quos Ecclesia tanquam sanctos veneratur & colit; cùm ipsi econtrà omni dedecore & ignominia ab omnibus excipiendi essent. Quòd si Pontifex in ferendis legibus ad vniuersæ Ecclesiæ statum spectantibus errare nequeat, cum hæc sanctorũ apo-

D. Hier.

August.

Pontifex nequit errare in sanctorũ canonizatione.

theoſis ad eũ ſtatũ citra dubiũ pertineat, in hac ſimiliter errare non poterit. *Iniuriam facit martyri* (inquit Auguſtinus) *qui pro martyre orat.* Et ex Innocentio III. eadem eſt ratio confeſſoris prout eſt à Pontifice in Sanctorum numerum relatus. Addam quoties aliquis eſt inter ſanctos annumerandus, diligens vitæ morũque illius fit perquiſitio, adhibitis ſub iuraméto multorum grauiſſimorum virorum teſtimoniis: indicuntur etiam preces & ieiunia, miracula quoque maturè examinantur, præſertim quæ poſt mortem contigerunt, & quæ ad illius ſancti inuocationem edita ſunt. At miracula poſt mortem ſatis ſupérque perſonæ ſanctitatem & beatitudinem atteſtátur; etſi enim miracula quæ ab homine in vita fiunt, non neceſſario illius ſanctitatem arguant, quia ſunt gratiæ gratis datæ, quæ non tam ad vtilitatem perſonæ operantis, quàm ad fidelium ſeu totius Eccleſiæ ædificationem referuntur, quæque propterea improbis, & piis hominibus communia ſunt Matth. 7. *Multi in illa die veniẽt dicẽtes, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, &c. Amẽ dico vobis* (inquiet illis Chriſtus) *ego neſcio vos:* At vero quæ poſt mortem in ſepulchro alicuius vel ad ipſius inuocationẽ fiunt, ſi nõ arguerét eũ eſſe in gratia & in ſtatu ſalutis via ad ſuperſtitioſum cultum patẽtiſſima ſterneretur, cùm ex recta ratione & quaſi naturali omnium hominum conſenſu & ſuffragio eum à quo tale beneficium nos eſſe cõſecutos credimus, æſtimemus, & honoremus. Ideoque cùm Eccleſiæ conſtat ad alicuius ſepulchrum aut eiuſdem inuocationem miracula eſſe edita, eum in album ſanctorum referendo, non errat, præſertim cùm hac in

re non minùs quàm in cæteris ad statum ipsius Ecclesiæ facientibus instinctu Spiritus sancti regatur. Sed dices ex D. Thoma art. vlt. quodl. 9. Sanctorum apotheosim pia fide duntaxat credendam esse: igitur nō fide Catholica & infusa, cui soli falsum subesse non potest. Sic enim loquitur D. Thomas: *Canonizatio Sāctorum medium est inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei & iudicium fallibile eiusdem in causis ciuilibus & criminalibus, seu quod idem est, in quæstionibus facti. Quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quædam est professio fidei qua sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod neque etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.* Respond. fide diuina credere oportet eum quem Pontifex vt sanctum à tota Ecclesia colendum proponit, æterna frui beatitudine, quia si ad inferos damnatus esset, ludibrio maximo esset ipsis dæmonibus Ecclesia, cùm viderent eam tam impensè colere & venerari quē exquisitissimis tormentis indies cruciant, & in perpetuū cruciabunt. Quo fit vt summus Pontifex in hac apotheosi decernenda non nitatur solùm informatione & depositione testium, sed etiam assistentia Spiritus sancti qui in negotio illo generali non deest, maximè cum quicquid moraliter pro eo perficiendo præstari debet abundè ab ipso summo Pontifice præstetur. Vnde sicut in humanis multa citra temeritatē & impudentiam negari nequeunt propter testimonia virorum omni exceptione maiorum, vt quod Vespasianus Hierusalem destruxerit, quod Roma sit, necnon Constantinopolis: ita & in diuinis vbi sedula & diligens facta est perquisitio, & adhibita sunt omnia quę moraliter erant adhibenda, quod in sanctorum canonizatione

Fide infusa & Catholica credenda est sanctorū canonizatio.

nizatione ſemper obſeruari cernimus, non poteſt citra blaſphemiam & errorem negari, præſertim cùm à tota Eccleſia talis pro ſancto habeatur. Inſtabis. Nemo certus eſt de ſua ſanctitate, ergo multo minus de alterius. Nam 1. ad Corint. 2. *Nemo nouit quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt*: ergo nemo de alterius ſanctitate & beatitudine certitudinem habebit. Reſpondeo cum D. Thoma loco cit. adhibitis omnibus cautelis & circunſtantiis ſuprà recẽſitis vnà cum Spiritus ſancti auxilio Eccleſiam ea de re certam eſſe: Quo fit vt tunc magis certi ſimus de ſanctitate D Auguſtini & D. Bernardi, quàm ipſi de ſeipſis fuerint dũ viuerent, niſi fortè de ea ſpecialem à Deo reuelationem habuerint. Porro non minùs pariter certò conſtat eidem ſummo Pontifici in confirmandis & approbandis religionibus errorem minimè obrepere: quod ita intelligendum eſt, vt ſummus Pontifex religionem euangelio aut legi naturæ contrariam nunquam poſſit approbare, aliàs circa decreta morum ad vniuerſam Eccleſiam pertinentia cõtra ea quæ ſuprà diximus erraret, licèt nonnunquam contingere poſſit vt negligentia aut ignorãtia duci poſſit in confirmatione religionum plurium quàm in Eccleſia opus ſit: nunquam tamen huiuſmodi negligentia eo attinget, vt falſam vitioſamque religionem ſuo calculo confirmet, & fidelibus toto orbe diffuſis amplectendam proponat, & hæc de ſingulari infallibilitate Romani Pontificis priuilegio.

Summus Pontifex in approbandis cõfirmandiſque religionibus non errat.

TERTIA PARS

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Vtrùm summus Pontifex absq; concilio Aristocratico leges seu canones condere possit.

QVÆSTIO I.

DE Ecclesiastica disciplina, qua totius Ecclesiæ politia nititur, hac in parte disserere statuimus, quæ cum à legibus nõ solùm diuinis, sed multo magis Ecclesiasticis depẽdeat, iisque quàm maximè foueatur, & conseruetur, ante omnia de legum, seu canonum institutione ineunda est disputatio, scilicèt in quo potestas legum pro Ecclesiastica disciplina condendarum resideat. Quo in negotio, non minùs quàm in plerisque aliis hæreticorum castris adiunxit se Vigorius: Ait enim Pontificibus Romanis absque Aristocratica synodo fas non esse leges fidelibus toto orbe diffusis præscribere, & si quæ ab eo latæ sunt, vel nullæ sunt omninò, vel fidelium cõscientiis nullam planè obligationem inducunt. Quæ propositio qua parte Pontifici potestatem condendi leges adimit, est Valdensium ex Antonino part. 4 tit. 11. cap. 7. §. 2. Marsilij Paduani in suo defensorio, & Lutheri de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo. *Quo iure* (inquit) *Papa super nos leges condit, dedit ei potestatem libertatis nostræ per baptismum nobis donatæ*, & epistola ad Sikignium: *Am-*

Cap. 7. num. 1. pag. 62.

plius dico, neque Papam, neque Episcopos, neque vllum hominem habere ius constituendi vel vnicam syllabam super hominem Christianum sine eius consensu, quod aliter fit venit à spiritu tyrannico. Qua verò potestatem hanc Pontifici tribuit, sed in Episcoporum synodo vel generali vel saltem particulari, consentit cum Caluino 4. Institut. cap. 20. §. 12. Petro Martyre, in cap. quintum prioris ad Corinthios: vbi ait, *esse quidem in Ecclesia virgam seu authoritatem; tamen non esse in vno aliquo homine, vt in Papa vel Episcopo, sed in cœtu Ecclesiæ*, id est synodo: & Anti-Bellarmino Caluinista. *Nostri* (inquit de omnibus Caluinistis) *concedunt legitimos Ecclesiæ Pastores, siue potius ipsas Ecclesias:* (Notētur hæc verba) *potestatem aliquam habere Dei verbum promulgandi, deque rebus externis siue ritibus adiaphoris aliquid constituendi.* Quorum testimonia placuit annotare, vt quisque videat quibus authoribus perniciosum hoc dogma Richerij & Vigorij in Ecclesiam sit inuectum. In Elécho nostro, summū Pontificem, absque generalibus conciliis canones multos, cùm de fide, tum de moribus edidisse docuimus, nec rationes eo loco allatas fastidiosa repetitione placet adducere; solùm ergo hîc probare intendimus absque vlla particulari synodo ipsummet Pontificem tali iure gaudere, & quamuis nonnunquam varia decreta in synodis quibusdam particularibus episcopis prouinciæ Romanæ, vel Cardinalibus conuocatis statuerit, vt cùm Nouati errorem Cornelius, cùm Cypriani & Donatistarum Stephanus condamnarunt, non tamen propterea infertur semper ita se in condemnādis erroribus, aut legibus condendis se gessisse, aut se ex officio gerere debere, quin-

Pontifex absque concilio Aristocratico potest leges condere.

immò absque vlla synodo, vel consultatione Cardinalium viros doctos in consilium adhibendo, potest Pontifex præ suæ potestatis monarchicæ plenitudine & errores damnare, & leges ferre quæ in conscientia fideles obligent, simulque ardua quælibet Ecclesię negotia tractare, eodem prorsus modo quo Reges, qui propter monarchicam suam authoritatem absq; senatu, vel comitiis, vel officiariis, verè & propriè edicunt. Primumq; ex Ioannis vigesimo primo: vbi Christus realiter Petro exhibiturus, quod ante Matth. 21. fuerat pollicitus, dixit: *Pasce oues meas*, seu Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. vbi verbum, ποιμαίνειν regium est & monarchicum, ex Homero. Illiad. B. vbi Agamemnonem ποιμένα τῶν λαῶν vocat, & ex Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*: Ligare autem est legem imponere, hæc enim propriè homines stringit & ligat, mirorque, hoc non vidisse Vigorium. cum ff. lege leges tit. 17. dicatur, leges sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas, ab omnibus debent intelligi, quod 25. Matthæi docuit Christus dicens Phariseos alligare onera grauia, & importabilia in humeros hominum, propter onerosas leges quas olim Israëlitis imponebant; sed ad hoc respondet Vigorius: *Ligare*, inquit, *apud Matthæum à Ioanne dici Retinere*. Atqui verbum Retinere non significat legem imponere. Qui enim posset quæ accepisset retinere, posset similiter legem ferre? quod nemo dixerit. Respondetur verbũ Retinere hoc loco accipi pro Ligare. Sicut enĩ qui funibus ligatur, retinetur ne quo libuerit excurrat & diuagetur: ita qui præceptis & legibus adstringitur, quodãmodo ligatur & retinetur,

ne amplius impunè aliter quàm lex iubeat, agat. Hoc autem nõ eò adducimus animo, vt hæc verba Christi Ligare & Soluere de præceptis & legibus dũtaxat intelligantur. Constat enim de peccatorum absolutione seu reseruatione quoque intelligi. Sed vt contra Vigorium ostendamus Christum amplissimam potestatem tam pro foro interiori in quo peccata retinẽtur aut soluuntur, quàm pro exteriori in quo leges conduntur & promulgantur, cæteráque alia ad externam Ecclesiæ politiam spectantia perficiuntur, his verbis Præsulibus Ecclesiæ, & præsertim omnium supremo contulisse. Secundo, hæc potestas condendarum legum in Prælatis ex vsu Ecclesiæ ab Apostolorum tẽpore ad nos vsque deriuato patet. Apostolus enim 1. ad Timoth. 3. legem statuit ne bigami ordinẽtur. & 1. ad Timoth. 5. ne aduersus Presbyterum accusatio recipiatur nisi sub duobus aut tribus testibus. Per Presbyterum autem ex Chrysostomo hominem seniorem siue laïcum siue sacerdotẽ intelligit. Atqui constat hanc legem ab Apostolo absque vlla synodo præuia latam esse, cùm Apostoli nõ synodi nomine data sit epistola. Fortè dicet Vigorius Apostolos fuisse Euangelij & legum à Christo institutarum præcones, ideoque absque vlla synodo has legitimè promulgasse. Contrà, lex de bigamis & accusatione Presbyterorum non sunt Euangelicæ, nec à Christo Domino institutæ, sed merè Ecclesiasticæ & humanæ, & idcirco ab Apostolis quatenus ad ædificationem Ecclesiæ eas valde congruere iudicabant; sancitæ. Vnde ibidem dicit Apostolus, *Præcipio ego, non Dominus.* & 1. ad Corinth. *Laudo vos quòd præcepta mea tenetis.* & 1. ad

Quid sit in Euangelio Ligare.

Lex de bigamis nõ ordinandis & accusatione Presbyterorum est Ecclesiastica.

Thessal. 4. *Scitis quæ præcepta dederim* de nõnullis, scilic. ritibus & cæremoniis in rerum sacrarum administratione obseruari solitis. Tertio, à Gratiano distin. 3. distribuuntur canones in duo genera: *Alij enim sunt decreta Pontificum, alij statuta conciliorum: conciliorum verò alia sunt vniuersalia, alia verò prouincialia: Prouincialium alia celebrãtur authoritate Romani Põtificis, præsente videlicet Legato sanctæ Romanæ Ecclesiæ, alia vero authoritate Patriarcharũ vel primatũ, vel metropolitanorũ eiusdẽ prouinciæ.* Hæc Gratianus. Ex quo apertè liquet Põtificem canones & decreta absq; Episcopis suæ prouĩciæ interdum cõdere. Frustrà enim dixisset Gratianus alios esse canones summorũ Pontificum, & alios conciliorũ prouincialiũ, si nulla vnquam absq; illis conciliis ipsi cõdidissent. Quarto, idem Gratianus ex epistolis Põtificum varia decreta descripsit, & in corpus canonicum transtulit: atqui hæ epistolæ non à concilio, sed à solo Põtifice datæ sunt, vt tã ex prográmate quàm ex subscriptione epistolarum manifestè cõstat, vbi solus summus Põtifex est qui salutat & sub scribit: & quamuis interdum aliquos fortè Episcopos priùs coegisset, cùm tamen ipse solus loquatur, signum est eos tanquam Pontificis consiliarios, non autem tanquam iudices ad definiendum & iudicandum assumptos fuisse, nisi vbi dicitur Clemens, Sixtus, Vrbanus, aut Eugenius cum concilio; tunc enim nemo est qui audeat negare Episcopos tanquam rei ipsius iudices & definitores adfuisse.

Sed iam aduersariũ rationibus Theologicis quæ ad res fidei confirmãdas non infimũ locum tenẽt, vrgeamus iis maximè quas in Elencho nostro adduximus;

eas enim denuo placet assumere, vt cōtra Vigorium, qui eas dissoluere conatus est, defendantur.

Summus Pontifex absq; synodis leges potest condere.

Prima: Ecclesia est respublica vndequaque perfecta ad imaginem triumphantis expressa, ita vt nihil quod ad eius conseruationem faciat, ei deesse debeat: At in Ecclesia triumphante vnus est supremus monarcha, qui leges supremas & independenti authoritate sanxit, & sub eo est omnium angelorum supremus, qui vicaria authoritate imperat, & qui (vt ait Dionysius) in omnes inferiores angelos suaue quoddam imperium exercet: Igitur & in militante adest aliquis supremus monarcha, qui sub Deo & Christo toti Ecclesiæ leges potest iure præscribere. Respondet Vigorius Pōtificem non habere similem potestatē in terris, quam Deus Opt. Max. in cœlo: *& hoc asserere* (inquit) *est impiissimum.* Verùm non videt primò nos Pontificem cū Deo non conferre, sed cum omnium angelorum supremo, cui in potestate vicaria, quā in terris sub Christo sustinet proportione quadam & analogia respondet. Deinde etiamsi Pontificem cum Christo in ratione condendi leges cōferremus, immerito tamen propterea alicuius impietatis argueremur, neq; enim parem candémve Dei & Pontificis potestatem in condendis legibus facimus, si quidem Deus in legibus ferendis deliberatione non vtitur, nec ad actualem earum obligationem vllam subditorū acceptationem receptionémve postulat, quod tamen in legibus stabiliendis Pontifex præstare tenetur & expectare, saltem vt suæ leges actualem obligationem inducant. Tātùm ergo in eo stabit similitudo, quòd sicuti Deus vi suæ potestatis monarchicæ, se solo absque Sy-

Lib. de cælestis Hierar.

nodo, leges potest constituere; sic & Romanus Pontifex monarchica potestate, quamuis longè inferiori præditus, absque vlla aristocratica synodo leges Ecclesiæ Militanti iure præscribit. Quòd si vrgeat statum Ecclesiæ non esse absolutè monarchicum, sed aristocratica temperatum, initio abundè ostendimus in quo aristocraticum hoc temperamentum cõsistat.

Secunda ratio, lex à ligando dicitur: atqui Christus Petro & Apostolis potestatem ligandi Matthæi 18. & Ioan. 20. contulit: Igitur & leges ferendi; hoc concedit Vigorius dummodo Petro & Apostolis potestas illa condendarum legum collectiuè conuenire dicatur. *Secus* (inquit) *est ineptissimum argumentum, nam cum quilibet Sacerdotum ligare possit, leges etiam posset legitimè condere, quod tamen nemo dixerit.* Sed hęc respósio confutata fuit in Elencho, & suprà demonstrauimus, de fide esse Apostolos seorsim iurisdictionem habuisse, & seorsim eam exercuisse; tum quia Petro seorsim ab aliis Apostolis Ioannis vltimò dictum est: *Pasce oues meas*, & Matth. 16. *Dabo tibi claues regni cœlorum*, quæ ita Petro propria sunt, vt nulli cæterorum Apostolorum conueniant, tum quia Paulus se solo absque vlla vel collegarum vel aliorum Episcoporum synodo, Episcopos per diuersa loca constituit, vt Titum Cretæ, Timothæum Ephesi, & Apollinem Corinthi, incestuosum Corinthum anathemate perculit, eumque postea absoluit. Item præcepit obseruari mandata & traditiones seniorum, & quod amplius est, ipsemet præcepta instituit, vt de bigamis aut neophytis à sacris ordinibus arcendis; quod autem simplices Sacerdotes ligare possint, nec tamen leges condere, nihil mirum

mirũ est; ſiquidem hi præcisè & ex vi ſuæ ordinationis in corpus Chriſti verum poteſtatem habẽt: ſupra verò corpus Chriſti myſticum ſeu Eccleſiam, tantùm in foro interno & conſcientiæ; (vt vocant) non autem externo: ideóque etſi in eiuſmodi foro ligent & ſoluant, non tamen propterea leges ferre queunt, cùm poteſtas condendarum legum ad iuriſdictionem externam pertineat; lex enim bonum publicum, nõ priuatum eſſentialiter reſpicit.

Cur non omnibus Sacerdotibus leges condere no côueniat

Tertia. Reges terræ ad Eccleſiæ incolumitatem, & canonum Eccleſiaſticorum executionem leges ſancire poſſunt: igitur multò magis Prælati, & præſertim ſummus. vnde ſi canones nouos non poſſit condere, ſed veterum tantùm executionem procurare, aut eorum interpretationem iuridicè afferre, non maiorem in Eccleſiam quàm Imperator vel magiſtratus obtinebit poteſtatem. Hîc concedit Vigorius Pontificem, Prælatóſque cæteros poſſe de nouo canones cõdere, ſed in ſynodis, extra quas (inquit) licèt ſummam habeant poteſtatem in Eccleſia, tamen eam dicimus regulari ſecundùm canones. Sed hæc reſponſio ex ſupradictis ſatis refellitur, docuimus enim multas leges à Pontifice ſine ariſtocratica cõgregatione conditas. Quod ſi quædam in concilio conditæ fuerint, à particulari tamẽ, ſecundùm Dialecticos, vniuerſale non infertur, id eſt, leges omnes Eccleſiaſticas non aliter à Pontifice, quàm cum ariſtocratica congregatione fuiſſe ſancitas.

Quarta. Schola Theologica Pariſienſis ex Richerio, decreta quædã etiam in materia fidei poteſt condere, & cenſura in libros hæreticos, aut ad hæreſim

accedentes, animaduertere: atqui Pontifex est eius superior, neque hác potestatem ab alio quàm ab eo accipit: igitur, cùm propter quod vnumquodque tale, & illud magis; Pontifex decretorum & canonum de nouo edendorum facultatem habebit, maximè cùm à Scholæ decretis ad summum Pontificem locus sit prouocationi. Maioré negat Vigorius. *Nunquã enim Schola* (inquit) *noua decreta condidit, sed errores legi diuinæ & constitutionibus Ecclesiasticis cõtrarios declarauit, & quidem doctrinaliter duntaxat, vt Schola loquitur.* Sed certè malitiosè dissimulauit (probè enim id nouerat) me hanc rationem tantùm ad hominem (vt Dialectici loquuntur) adduxisse; cùm enim Richerius ad calcem libelli sui quasdam declarationes Scholæ Parisiensis, quas decreta temere nominauerat, apposuisset, statim ad hominem subsumpsi, multò magis hanc decretorum edendorum potestatem Pontifici, vt pote superiori, & cui Schola ipsa totum quod habet acceptum refert, conuenire.

Cap. 2. lib. 1. Post. Anal.

Secunda conclusio. Leges summorum Pontificum absque synodis cõditæ & promulgatæ fideles in conscientia obligant & astringunt. ad Heb. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis,* Lucæ 10. *Qui vos spernit, me spernit;* Ergo Apostolos & præsertim D. Petrum eiusque successores aliquid præcipientes spernere, non potest non esse peccatum; spernuntur autem cùm eorum leges conscientiam fidelium dicuntur non obligare: hæc autem generaliter ad omnes Ecclesiæ præpositos pertinere, iisque dictá esse affirmant patres. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, & lib. 4. epist. 9. ad Florentium. Basilius in constitutionibus mona-

Leges Põtificum absq; synodis cõditæ obligant in conscientia

ſticis Conſtit. 23. ad Rom. 13. *Omnis poteſtas à Deo eſt, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ex quibus verbis meritò infertur leges principum in conſcientia vim obligandi habere, cùm Apoſtolus de poteſtate in vniuerſum locutus ſit: atqui poteſtas Eccleſiaſtica non minùs, immo magis eſt à Deo quàm politica & ſecularis, cùm ad actus ſupernaturales & extraordinarios tota referatur: igitur ſi hæc ex eo quod à Deo deriuetur leges obligatorias ferre poſſit, idipſum multo magis poterit Eccleſiaſtica. Quòd ſi in veteri lege, qui Sacerdoti imperanti morem non gerebat decreto iudicis, capite plecteretur, Deuteron. 17. quis non agnoſcet Sacerdotis leges conſcientiam Iſraëlitarum obligâſſe: ergo & in noua lege, leges Eccleſiaſticæ conſcientias fidelium ſub pœna mortis ſpiritualis, quæ per peccatum infligitur, obligabunt. Poſtremò, omnis lex cùm ſit recti regula, includit obedientiæ pręceptum, eſt enim ex Ariſtotele 10. Ethic. cap. 9. lex *Sermo ab aliqua prudentia & mente præceptus, vim habens cogendi*, id eſt, obedientiam imponendi: ὁ δὲ νόμος (inquit) ἂν ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν, λόγος ὢν ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ: atqui obedientia per ſe eſt virtus, ſicut inobedientia per ſe peccatum; ergo leges Pontificiæ, cùm ſint verè leges, ſub pœna peccati fidelium conſcientiam obligabunt; quam concluſionem cùm non abnuat Vigorius, in ea confirmanda non eſt quod diutiùs immoremur.

Vtrùm soli Ecclesiæ Prælati leges pro Ecclesiastica disciplina ferre possint, ita vt hoc Principibus secularibus nullo modo conueniat.

QVÆSTIO II.

PRIVSQVAM Catholicorum sententiam demonstremus, paucis est aperienda Vigorij opinio; hac enim semel declarata, quos authores patronósque habeat quisque facilè recognoscet. Distinguit ergo duplex disciplinæ genus, vnum priuatæ, quod cancellos Ecclesiæ non egreditur; *Quãdo* (inquit) *regularia examinantur*, id est, cùm de fidei articulis, aut sacramentis, aut rebus ad internum conscientiæ forum spectantibus, quæstio est: alterum vero publicæ, quod in legibus Ecclesiæ præscribendis, conciliis cogendis, causis Clericorum cognoscendis, iudicandis, & cæteris ad gubernationem Ecclesiæ vtilibus, aut necessariis consistit; prius innuit esse Episcoporum, posterius vero audacter adstruit esse principum & magistratuum; *Ita vt qui hoc ignorat, omnia* (inquit) *ignorare fateatur necesse est.* Ex quo manifestum est eum Ecclesiæ prælatis, prædicationem fidei, administrationem sacramentorum, & quæ ad conscientiam fidelium interiùs dirigendam conferunt, duntaxat relinquere; huic autem perniciosissimo dogmati, & vniuersum Ecclesiæ statum subuertenti, sectarij nostræ ætatis patrocinantur, qui cùm se tam paucos, tam nouos, tam turbulentos authoritatem

Vigorius summam Ecclesiasticæ Disciplinæ refert ad principes seculares.

habere non posse: & vt cum Augustino cap. 14. lib. de vtilitate credendi, loquar, *se abiectissimè iacere conspicerent, si eorum authoritas cum Ecclesiæ Catholicæ authoritate conferretur* ad principes & magistratus seculares, vt ab iis iuuarentur, & fouerentur, summam Ecclesiasticæ disciplinæ transtulerunt. Brentius in suis prolegomenis: *Sicut* (inquit) *quilibet priuatus priuatam, ita Princeps publicam de doctrina religionis iudicandi habet potestatem.* Melancthon in locis communibus de magistratu ciuili: *Magistratus pius, quia verè membrum Ecclesiæ, propterea debet iudicare cum alijs pijs & eruditis, iuxta normam Verbi Dei.* Respondebit fortè Vigorius hos duos Hæresiarchas, doctrinam fidei principibus & magistratibus diiudicandã astruere, se verò tantùm velle externam Ecclesiæ disciplinam à principibus debere stabiliri; Sed quamuis res ita se habeat, negare tamen non potest quin hi duo Hæresiarchæ summam huius externæ disciplinæ ad principes & magistratus multo magis retulerint, in quo propterea cum iis consentit, licèt in altero, nempe in fide decernenda, non consentiat. Sed & Heluetiorum & Germanorum Ecclesiæ, authore Musculo, & Gualtero Tigurino, illud idem cum omnibus Anglis, qui nunc in Ecclesia Laïcocephali dicuntur, astruunt: Sed quàm falsa sit & schismatica hæc opinio, & quàm hęresi proxima facile est demonstrare, si priùs, ne quis in hac principum & Episcoporum comparatione, tanquam in loco dificili & salebroso hęreat, quędam pręmittamus.

Duplex vita, ciuilis, & Ecclesiastica.

Primùm, hominem duplici vita viuere, humana seu politica & ciuili (nam de corporea quæ illi cum

brutis communis est non differimus) cuius finis pax & tranquillitas Reipub. præfigitur, officia vero neminem lædere, ius suum cuique tribuere, honestè viuere, seu rectæ rationis regulam in agendo sequi: Altera Christiana & Ecclesiastica, cuius finis est beatitudo æterna, officia vero pœnas peccantibus decernere, & præmia supernaturalia benè operãtibus promittere. In priori occupantur Principes & Magistratus, in posteriori vero Episcopi & Sacerdotes. Secũdò, repetendum est quod prima parte disputationis quæst. 1. diximus, inter ciuilem & Ecclesiasticam potestatem hoc esse discriminis; quod ciuilis à Deo sit, sed ex communi doctorum sententia per intermedium ius gẽtium, cum iure naturæ omnes homines sint æquales, neque seruitutes, rerum omnium diuisiones, & dominia alio iure quàm Gentium sint introducta; potestas autem spiritualis immediatè sit à Deo, quippe quæ simpliciter sit diuina, & ad actus omninò supernaturales extendatur. Tertiò, ciuilem potestatẽ ad executionem mandatorum vtriusque tabulæ, & ad castigationem corpoream delinquentiũ, esse institutam, ad Rom. 13. *Princeps Dei minister est, tibi facienti benè in bonum. Dei autem minister & vindex in iram ei qui malũ agit, non enim frustrà gladium portat;* Christianam vero & Ecclesiasticam ad custodiam religionis Christianæ, & ad illius mysteria fideliter dispensanda, & ad internam malorum vindictam, bonorumque remunerationem, quæ saltẽ in altera vita copiosè adimplebitur, 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* & rursus 2. ad Corinth. 3. *Qui fecit nos idoneos ministros Noui Testamenti non litera, sed spi-*

Differentia ciuilis & Ecclesiasticæ potestatis.

ritu. Quartò, potestatem ciuilem ad conseruationem religionis Ecclesiæ posse & debere concurrere, quo sensu de regibus prædixit Isaïas: *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutritiæ tuæ,* pias scilicet leges pro religionis conseruatione ferendo, & in earum transgressores iustè animaduertendo: *Reges* (inquit Augustinus contra Cresconium lib. 3. cap. 51.) *in quantum Reges sunt, seruiunt Deo, iubendo bona, & prohibendo mala, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad diuinam religionem.* & contra Gaudentium hæreticum lib. 2. cap. 17. & 26. *Reges qui Ecclesiam tenent certissimè iudicant ad curam suam pertinere ne vos aduersus eam rebelletis impunè.* Et sic Iustinianus Imperator contra Antimum, Seuerum, & alios hæreticos 5. synodo act. 1. damnatos, *Rem non insolitam Imperio, & nos facientes ad præsentem venimus legem; quoties enim Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio, de sacris sedibus deposuit, toties Imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum Sacerdotum authoritate fuit,* ad eam scilicèt confirmandam, & bracchio (quod vocant) sæculari corroborandá. Huc refertur quod nonnulli dicunt, potestatem sæcularem habere quidem in causis religionis & Ecclesiæ authoritatem facti, seu coërcitionem, qua nimirum iubet, & cogit id fieri quod ius & ratio postulant. Quintò, esto in politia veteris legis ciuilis potestas vt potè regia, in Sacerdotes ius habuerit, non tamen propterea idem de Sacerdotibus nouæ legis est sentiendum, quasi illi Regum & Imperatorum potestati subsint; Sacerdotium enim veteris legis erat imperfectum, vmbram gerens futurorum, & legales tantùm munditias afferens: at vero nouæ legis Sacerdotium

Potestas ciuilis potest & debet ad cōseruationem religionis concurrere.

Etsi Sacerdotes veteris subiecti essent regibus in ratione Sacerdotij, non tamen eadem est ratio de Sacerdotibus nouæ legis.

perfectissimum est, nec alterius imaginem gerens, nec legalem & externam, sed internam & realem munditiam conferens, suisque propterea cultoribus Cæli ianuas reserans, quas tamẽ sacerdotium veteris legis minime reserabat. Vbi obiter notandum est nos ideo nolle regiam potestatem sacerdotali in veteri lege excellentiorem & superiorem esse, sed hoc tantùm; quòd & si potestas regia fuisset sacerdotali superior, inde tamen nihil quicquam in sacerdotij nouæ legis detrimentum sequi, Quæ cùm apud omnes certissima sint, hoc vnum in controuersiam vertitur, an sicut Reges ad religionis & Ecclesiæ conseruationem possunt edicere: ita pro illius disciplina leges ponere & præscribere; vel quod idem est an sicut potestate facti in causas Ecclesiasticas potest aliquid princeps secularis, sic etiam in eas gaudeat potestate iuris, quæ est decernere & ordinare quid, quando, & quomodo ea quæ ad religionem spectant fieri debeant.

Disciplina Ecclesiæ etiam externa non est penes principes seculares.

Affirmat Vigorius, negant Catholici, & merito, primùm, quia principes sæculares seu Magistratus sunt de numero ouium, non pastorũ; Pastor enim non aliter quàm per legitimã vocationem, electionem & ordinationem, quæ per manuum impositionem fit, constituitur. De vocatione est illud Hebr. 5. *Nemo sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. De electione exemplum habemus Act. 1. vbi eligitur Matthias. & Act. 6. vbi Diaconi. De ordinatione ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur*, id est, ordinentur. vnde act. 13. *Paulus & Barnabas per impositionem manuum*, quæ ab ordinatione non

differt,

differt, *segregantur.* & ijdem act. 14. per eandem manuum impositionem alios Presbyteros subinde creauerunt χειροτονήσαντες: atqui principes sæculares seu Magistratus vocatione, electione, & ordinatione destituũtur, solos enim Apostolos Christus vocauit, elegit & ordinauit, Apostoli vero nullos principes sed tãtũ sacerdotes ad Ecclesiastica munia promouerũt: Igitur principes nõ sũt pastores, sed oues; qui discere, nõ docere; obsequi, non imperare; leges Ecclesiasticas seruare, nõ sancire debẽt: & certè principes nõ tantùm à sacerdotibus in numero ouiũ sunt habiti, sed ipsimet se oues in Ecclesia reputarunt, dignitatéque pastoralem numquã sibi arrogare præsumpserunt; quod ex veterum monimentis liquido videre est; sic enim Nazianzenus oratione ad ciues timore perculsos, & præfectũ irascentem: *Non dubito* inquit ad præfectum, *quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sue vt pote sacri mei gregis ouis sacra magniq; pastoris alumna.* Sic Ambrosius ad imperatorem Valentinianum, *Quid honorificentius quàm vt imperator Ecclesiæ filius esse dicatur, Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Ambrosio autem filius idem est ac ouis. Sic Augustinus ad tribunos, comites ac iudices populi frequentissime scribens eos nõ aliter quàm filios appellat, & tanquã sibi charissimos admonet, hortatur, incitat, reprehẽdit. epist. 16. 159, & 182 quin & ipsi Imperatores honori maximo semper duxerũt se esse & dici oues Ecclesiæ. Valentinianus Imper. rogans Episcopos, vt idoneum Episcopum Ecclesiæ Mediolanensi præficerẽt, apud Paulum Diaconum cap. 12. *Talem* (inquit) *eligite, cui &*

Principes seculares sunt oues & filij Ecclesiæ.

nos qui gubernamus imperium, ſincerè capita noſtra ſubmittamus. Conſtantinus Magnus, apud Ruffinũ lib. 1. hiſtor. cap. 2. Epiſcopos Nycenæ ſynodi ſic alloquitur: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari, propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia quæcunque ſunt ad Dei reſeruentur examen; vos autem nobis dati eſtis dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus diiudicat.* Plus dicam, populus Chriſtianus nullis vnquam minis & terroribus adduci potuit, vt principes & magiſtratus, tanquam Eccleſiæ Paſtores & Prælatos agnoſceret, cuius rei luculentum nobis ſuppetit exẽplum ciuium Edeſſenorum, apud Theodoretum lib. 4. cap. *18*. qui cùm à præfecto vrgerentur, vt cum Valente Imperatore communicarent, eiuſque mandata & iuſſa de religione ſequerentur, liberè reſponderunt, *Nunquid cum Imperio eſt Pontificatum aſſecutus?* quaſi dicerent ſe Valentem, licet Imperialibus titulis præfulgeret, ouem de grege Chriſtiano, nõ Paſtorem gregis agnoſcere. Quòd ſi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ actus, quales ſunt Epiſcopos & Clericos deponere, de cauſis clericorum cognoſcere & iudicare, Eccleſias gubernare, leges denique pro eius diſciplina ſancire, ſedulò expendamus, comperiemus profectò, id nunquam tuliſſe aut permiſiſſe Eccleſiam, vt principes politici vllam in iuriſdictionis Eccleſiaſticæ actus poteſtatem habuerint. Si enim de primo quæritur, ſuppetunt verba Hoſij ad Conſtantinum Imp. qui depoſitionem D. Athanaſij non tam

Athanaſij epiſt. ad ſolitariam vitã agẽtes.

rogabat quàm flagitabat. *Ne te* (inquit) *miſceas Imperator rebus Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce, tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit:* Eodemque modo eidem Imperatori in ſimili cauſa reſpōdit Leontius martyr, & Epiſcopus Tripolit. *Miror quomodo ad alia vocatus alijs rebus te immiſceas, militaribus & politicis rebus præfectus in his quæ ad ſolos Epiſcopos pertinent præeſſe vis.*

Principes ſeculares non poſſunt Epiſcopos deponere.

ApudSuidam, verbo Leontius.

Si de ſecūdo, Hilarius in opere imperf. ad Cōſtant. *Prouideat clementia tua, vt ad omnes vbique iudices prouinciarum, ad quos ſola cura publicorum negotiorum pertinere debet ſcribatur, ne poſt hac præſumant atque vſurpent cognoſcere cauſas Clericorum:* Quam præſumptionem Antichriſti abominationem & tyrānidem Athanaſ. ep. cit[a]. non veretur appellare. *Quis videns eum* (Conſtantium) *in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non merito dicat illum eam ipſam abominationis deſolationē eſſe, quæ dicta eſt à Daniele Propheta?* Item, *quid hic quod Antichriſti ſit, omiſit? ſi quidem iam denuo in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum Palatium Tribunal earum cauſarum conſtituit, ſeq; earum litium ſummum principem & authorem facit.*

Non poſſūt etiam de cauſis clericorū cognoſcere.

De tertio ſic idem Athanaſ. ep[a]. cit[a]. *Si iudicium eſt Epiſcoporum, quid cōmune cum eo habet Imperator, ſin cōtra iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis, quando à condito æuo auditum eſt, iudicium Eccleſiæ ab Imperatore ſuam authoritatem accepiſſe, aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitū eſt, plurimæ ante hac Synodi fuere, multa Eccleſiæ iudicia habita ſunt, ſed neque patres iſtiuſmodi res principes perſuadere conati ſunt nec princeps,* ſcilicèt Conſtantinus pater Conſtantij, *ſe in rebus Ec-*

Non poſſunt de clericorū cauſis iudicare.

clesiasticis curiosum præbuit. & apud Gratianum dist. 96. can. Satis euidenter, *Illicitum est eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis se immiscere tractatibus.* & can. Si Imperator, *Imperatores Christiani subdere debent excutiones suas præsulibus non præferre.* & can. Nunquam, *Episcopis caput subdere principes solitum est, non de eorum capitibus iudicare.* In quam sententiam videre est Iustinian constitut. 123. ex translatione Holoandri, & Basilij Imperatoris in concilio generali 8. oratione ad concilium, quas breuitatis ergo libenter prætermittimus. De quarto, sic Ambrosius epist. 23. Valentiniano Imperatori Ecclesiam pro Arianis poscenti generosè respondit; *Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt ius aliquod imperiale habere: Noli te extollere, ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ.*

Non est principũ Ecclesiã gubernare.

De quinto, & postremo ita Damascenus orat. 2. de imaginibus non regis regulis, sed patrum institutis, tam scriptis quàm non scriptis Ecclesiam censeo gubernari: Immò vero idipsum hæreticorum testimoniis (pudeat Vigorium) confirmatur, qui etsi Sedis Apostolicæ hostes sint infestissimi, & eam omnibus modis & artibus deprimere studeant, nunquam tamen eo sunt impudẽtiæ prolapsi, vt disciplinæ Ecclesiasticæ moderationem & constitutionem ad principum & magistratuũ politicorum arbitria detulerint. Musculus in locis communibus capite de magistratibus, sectione vltima: *Hoc* (id est) *constitutio disciplinæ Ecclesiasticæ per Principes, nihil aliud esset quàm versionem facere, & arbitrariam religionis constituendæ potestatem, Põtificum magisterio ereptã magistratibus assignare;* Quod

Neque leges Ecclesiam præscribere.

à Luthero tom. 2. contra artic. Louanienses didicit. *Non est* (inquit Lutherus) *Regum aut principum etiam veram doctrinam confirmare, sed ei subiici & seruire.* Melanchthon sibi non adeo constans, in examine ordinandorũ ita loquitur: *Non condant magistratus dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus.* Quos non tam ad doctrinã fidei quàm ad Ecclesiæ disciplinã spectare cõstat, *vt fecit Nabuchodonosor.* Magdeburgensiũ cõmunis hæc vox est: *Sint sanè magistratus mẽbra Ecclesiæ, flagrẽt quoque zelo pietatis, sed non sint capita Ecclesiæ, quia ipsis non competit iste primatus:* & propterea Ioannes Caluinus in 1. Oseæ, & 7. Amos, sacrilegos eos vocat magistratus qui non putant se posse regnare, nisi aboleãt omnem Ecclesiæ authoritatem, & sint summi iudices tam in doctrina quàm in spiritali regimine. En Vigorius hæreticos pernicioso hoc dogmate superat, & ille alter Anonymus nullo certè vnquam nomine dignãdus, qui libro de delicto occulto, & casu, vt vocant, priuilegiato, Regem Galliæ caput Ecclesiæ Gallicanæ nominat, & Laïcocephaliam temerè impudenterque in hoc Christianissimum regnum conatur obtrudere, scilicèt nouissimorum hominum, quos vt pestiferos fungos nox intempesta nuperrimè abortiit, audacia eo ascendit, quo malitia & vafrities pessimorum hæreticorum nũquam ausa fuerat attingere.

Sed iam Vigorij argumenta ventilemus, seu potiùs nugas & ægri hominis somnia retegamus. Primum est, quod erat Melchisedec Rex & Sacerdos, à vero Rege & Pontifice Christo diuisum est, vt nec Imperator Pontificis authoritatem, nec Pontifex Regale Sacerdotium vni dicaret: *Hæc distincta mutua ope in-*

digent, à Præsulibus enim causas salutis expectant Imperatores, & vicissim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, legibus Imperatorum parent Antistites. Gelasius ep. ad Anastasium Imp. Respondeo mendaciis delectari Vigorium, tot enim hîc fere sunt mendacia, quot verba; quæ enim primo ex Gelasio profert non sunt ex epistola ad Anastasium Imperatoré, sed ex opusculo cuiusdam de anathematis vinculo quod inter epistolas Gelasii reponitur. Secundo, Gelasius hac epistola ad Anastasium contrarium asserit: *Nosti* (inquit) *fili clementissime) quòd licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum, deuotus colla submittis.* & paulo infrà de ipso Pontifice Romano ita loquitur: *Etsi cunctis generaliter Sacerdotibus rectè diuina tractantibus fidelium conuenit corda submitti: quanto magis sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis pietas celebrauit.* Tertio, loco citato nulla fit mentio publicæ disciplinæ tanquam Imperatori reseruatæ; & quamuis fieret, ciuilis tamen & temporalis, non Ecclesiastica & spiritalis intelligenda esset quod ex epistola citata ad Anastasium constat his verbis, *Etenim Imperator Auguste, si contra leges publicas aliquis quod absit quidpiam fortasse tentaret, nulla pati id ratione potuisset: vbi per leges publicas, ciuiles & politicæ sine dubio intelliguntur.* Quarto dicimus verbis illis à Vigorio tanta cum impostura tamque perfidiosè prolatis dũtaxat ostendi Christum regem atque Pontificem secundùm ordinem Melchisedech, politicam potestatem certis finibus circunscibere voluisse, ne scilicet se

Pontificũ & Imperatorum officia distincta.

ſacris rebus Imperator immiſceat, viciſſim vero Eccleſiaſticam à politica ita diſcreuiſſe, vt quæ ſunt Imperatoris ſacerdos aſſumere non præſumat, ne contra præceptum Apoſtoli ſæcularibus negotiis implicetur.

Secundum, *Conſtantinus* (inquit) *in Epiſcopos qui excõmunicatis cõmunicauerãt animaduertit, eoſq; ſuis eiecit ſedibus, & in exilium miſit.* Theodoretus lib. *1.* cap. 20. Vnde ſeipſum Conſtantinus *Epiſcopum extra Eccleſiam cõſtitutum à Deo eſſe ait, vt Epiſcopos ipſos extra Eccleſiam.* Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini cap. 24. & hic locus eſt vbi me Vigorius *præſtigiatorem & impudentiſſimum calumniatorem, falſa pro veris obtrudentem* nominat, ſed quem noſtrûm probra hæc & conuitia merito feriant, prudẽs & doctus lector iudicabit. Quod vt cõmode fiat, ſubiiciẽdus eſt textus Græcus Euſebii editionis Rob. Stepha an. 1544. cũ verſione Chriſtophorſoni & Io. Porteſii. Sic ergo habet textus Euſeb.

Ἔνθεν εἰκότως αὐτὸς ἐν ἑστιάσει ποτὲ δεξιούμενος ἐπισκόπους, λόγον ἀφῆκεν, ὡς ἄρα εἴη καὶ αὐτὸς ἐπίσκοπος, ὧδέ πῃ αὐτοῖς εἰπὼν ῥήμασιν ἐφ' ἡμετέραις ἀκοαῖς. ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. ἀκόλουθα δ' οὖν τῷ λόγῳ διανοούμενος τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας, ἐπισκόπος, παρ' οὗ τρεπέ τε ὅσηπερ ἂν ἡ δύναμις τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον.

Sic autem vertit Chriſtophorſonus: *Ex quo etiã factũ eſt vt cùm Epiſcopos nonnullos conuiuio excepiſſet ipſe* (nẽpe Conſtãtinus) *ſe nobis audiẽtibus Epiſcopum appellaret, his ferè verbis: Vos* (inquit) *intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum. Itaque cùm quæ loquebatur eadem mente ſecum cogitaret, animũ in omnes qui eius ſuberant imperio, intentum habuit, hortatus pro virili*

vt piam omnes vitam excolerent. At in editione Basileẽsi anno 1559, talis est Ioan. Portesii versio: *Quare non immeritò mihi videtur hunc aliquando lauto conuiuio cùm exciperet Episcopos, hisce ferè dixisse verbis Episcopum etiamnum se esse nostris auribus: atqui vos intus,* inquit, *Episcopi: Ego verò foris à Deo possum dici Episcopus, ita subditos haud aliter atque dixerat inspicere ad pietatem quantùm ipsius intererat instigare.* In vtraque autem versione omittitur articulus τῶν duobus locis repetitus τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας, eorum qui sunt intra Ecclesiã, & τῶν ἐκτὸς eorũ qui sunt extra, sup. Ecclesiam. Quæstio vero est, an hæc particula τῶν personas significet, an vero pragmata, seu negotia. Isaac Casaubonus lib. de libertate Christiana pag. 8. quem in gratiam Venetorum edidit, fatetur particulam hanc esse ambiguam, & vtrũque posse significare, vt si ad negotia referatur, sensus sit: *Vos quidem eorum quæ intra Ecclesiam, ego vero eorum quæ extra, Episcopus constitutus sum.* Verum vt vt sit, de huius particulę æquiuocâ significatione, aptius tamen de personis quàm de negotiis hoc loco intelligendam esse, tum ex antecedentibus, cùm ex consequentibus apertè colligitur. Ex antecedentibus quidem, cum enim paulo ante, nempe cap. 23. narrasset Eusebius fores idololatriæ omnibus gentibus ac legionibus Romano imperio subiectis clausas fuisse, & omne idolis sacrificandi genus prohibitum, adiecit imperatoris nutu ad ipsos gentium præfectos edictũ perlatum esse, vt ferialem dominicum diem celebrarent, & martyrũ festa obseruata fuisse ab iisdẽ perinde atque à Christianis: statimq; subiicit vocem Constantini asserẽtis se Episcopum eorũ dici posse, qui sunt

Dictum Constantini apud Euseb. debet de personis, non de negotiis intelligi.

qui ſunt extra Eccleſiam, quòd nimirum curaret ethnicos qui ſunt extra cœtum Chriſtianorum, perinde diem Dominicũ & dies feſtos obſeruare, ac reliquos Chriſtianos qui ſunt intra Eccleſiã, & qui Epiſcopis propterea in ſpiritalibus ſubiecti ſunt. Ex ſubſequẽtibus autem illud idem patet; ait enim Euſebius eo. cap. 24. ipſum Conſtantinũ intẽtum habuiſſe animum in omnes qui ſuberãt eius imperio, hortatumq́; eſſe pro virili vt piam omnes viam ſectarentur, hoc eſt, fidem Chriſtianam amplecterentur: ſic enim paſſim appellant hiſtorici Chriſtiani, vitam Chriſtianorum τ̃ βίον εὐσεβῆ, vt è cõtra ethnicos & paganos vocãt impios

Ex quibus duo colliguntur: Primum, nunquã Conſtantino in mentem veniſſe Epiſcopum ſe eſſe diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſeu negotiorum externorum Eccleſiæ, quaſi eius fuerit canones Eccleſiaſticos cõdere, concilia indicere, cauſas clericorum cognoſcere & iudicare, vt falsò contẽdit Vigorius. Secundum, verſionem illam quam ita reddidi in Elencho aduerſus Richerium, *Ego autem exteriorum ſum Epiſcopus*, id eſt Gentilium & Paganorum, immeritò falſitatis & deprauationis argui, cùm enim de perſonis & non de rebus, ſeu negotiis Eccleſiaſticis verba Euſebij intelligantur, & nomine perſonarum extra Eccleſiam cõſtitutarum non veniant Chriſtiani, euidẽter ſequitur, per eos qui ſunt extra Eccleſiam neceſſariò intelligi Ethnicos & infideles, quorum ſe dicebat Epiſcopum Conſtantinus, cùm eos ad claudenda Idolorum templa, & obſeruãdos dies feſtos religionis Chriſtianæ edictis ſuis cõpelleret, quod rurſus cõſtat cap. 25. vbi ſic loquitur Euſebius. *Hac etiam ratione adductus eſt* (Conſtantinus)

vt frequentibus edictis præciperet omnibus ne Idolis immolarent, nec oracula curiosè sectarentur. Porrò tãtùm abest vt hac loquendi formula, (qua schismatici hoc tempore adeo gloriantur) Constantinus voluerit sibi Ecclesiasticorum negotiorum curam & ordinationem deferri, vt rescripto dato iusserit Episcoporum sententias, non modo de disceptationibus Ecclesiasticis, sed etiam de ciuilibus controuersiis haberi tanquam validas & legitimas, adeoq; illibatas permanere, l. 1. C. Theodos. certè Optatus Mileuitanus lib. 1. scribit illũ audita Donatistarum appellatione, qui ab Episcopis ad ipsum prouocauerant exclamasse. *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet appellationem interposuerunt;* Discat igitur Vigorius apud Eusebium & quoscunque historicos Christianos, immò & apud hæreticos, vt Casaubonum loco citato, & Goldastum præfatione lib. de Monarchia Imperij Romani, τοὺς ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας, Paganos significare, quos nõ ineptè, sed aptissimè exteriores respectu Ecclesię in Elencho contra Richerium appellaui. Sed ad alia Vigorij argumenta pergamus.

Tertium, Dauid tulit leges de disciplina Ecclesiastica 1. Paralipom. 16. 23. 24. 25. & 26. Salomon 2. cap. 8. Ezechias iubet Phase celebrari mense secundo cap. 30. 2. Paralyp. *Et datũ est* (inquit) *cor vnum vt facerent secundum præceptum Regis:* sed & cap. 31. alias leges de Ecclesiastica disciplina tulit. Item Iosias cap. 35. & Machabeus, vt Encænia templi quotannis celebrarentur 1. Machab. cap. 4. & 7. quod festum & ipse Christus obseruauit: quæ omnia Vigorius ex Anglo-Caluinistis, pro sua Laïco-Cephalia, tanquam pro aris & focis

pugnantibus desumpsit. Respondeo primùm in genere, etsi cōcederemus Reges in veteri lege, de rebus eiusdem legis statuisse, non tamen propterea sequeretur Reges Christianos, circa Ecclesiam nouæ legis idem posse, lex enim vetus erat imperfecta, & timore potiùs quàm amore gubernabatur; noua vero est perfectissima, amore potiùs quàm timore suo redēptori adhærens, quo fit vt huius Sacerdotium illius Sacerdotio nobilius sit & excellentius: ideoque quamuis Sacerdotes in antiqua lege, Regum coërcitioni fuissent obnoxij, non tamen Sacerdotes nouę legis Christianis regibus subiectos esse sequeretur, vnde perperam ex iis, quæ in veteri lege fiebant eadem in noua fieri debere infertur. Secundò, respondeo Dauid quidem Ecclesiastica ministeria, de quibus locis citatis sermo est, cōstituisse, non tamen propria authoritate, sed vt ibidem scribitur, iuxta omnia quæ in lege Domini scripta erāt, quo fit vt executor potius legis iam factæ, quàm author nouæ dici debeat: hoc autem de Ecclesiæ authoritate nihil quicquam detrahit, executio enim & conseruatio legum diuinarum atque Ecclesiasticarū principibus & magistratibus secularibus competit. Quod autem propria authoritate arcam Domini reduxerit, factum hoc per mortē Osæ Deus visibiliter vindicauit, vt ipse Dauid postea agnouit, cùm Sacerdotes & Leuitas statim ad reductionem Arcæ accersiuerit his verbis: *Vos qui estis principes Leuiticarum familiarum, afferte Arcam Domini, &c. ne vt in principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, ita & nunc fiat illicitum quid nobis agentibus.* Hæc Dauid, ex quo apertè liquet Deum nolle prin-

Quo sensu Reges in veteris lege de disciplina Ecclesiastica statuerunt.

cipes & magiſtratus neglectis Sacerdotibus ſe Eccleſiaſticis immiſcere tractatibus. Quod ſpectat ad Salomonem, abegit Abiatar Sacerdotẽ, & in exilium, tanquam perduellionis reum relegauit, quippe qui cum Adonia aduerſus eum conſpiraſſet, non tamen eum dignitate Sacerdotali priuauit, cùm vſque ad diem mortis ſuæ Sacerdos mãſerit: vnde quamuis Salomon Regiæ poteſtatis gladium in Abiatar Sacerdotem diſtrinxerit, id tamen propter temporalem cauſam non Eccleſiaſticam & diuinam fecit: fatemur autem Regem in Epiſcopos perduelles, ſi modo in eorum terris habitent, iure poſſe animaduertere, nullumque eſſe priuilegium, quod perſonas Eccleſiaſticas à Regum & Principum poteſtate in hoc caſu eximat. Ezechias verò iuſſit celebrari Phaſe mẽſe 2° quia id à lege permittebatur, ſi quando Sacerdotes quibus menſe 1° celebrare erat iniunctum propter immunditiam pollui & contaminari contingeret: quod autẽ Leuitas conſtituerit, & de nonnullis ad diuina pertinentibus deliberauerit ſanciueritque, vt cum æneum Serpentem, tanquam quid ſuperſtitioſum contriuit & comminuit, id vel zelo ductus præſtitit: cuius gratia magis quàm propter ipſum factum à ſcriptura commendatur, vel eo modo ſe geſſit quo Dauid, tanquam legum diuinarum executor & conſeruator: quæ reſponſio ex ſacro textu manifeſtè elicitur 4. Reg. 18. *Fecit quod erat bonum coram Domino iuxta omnia quæ fecerat pater illius Dauid.* & alibi apertiùs: *Conſtituit Leuitas, &c. ſecundum diſpoſitionem Dauid, & Gad videntis, & Natham Prophetæ;* ea ſcilicèt quæ illi mandauerant & prædixerant exequendo; ſicque ad Ioſiam eadem

Nullus eſt caſus in quo Sacerdotes in crimine perduellionis à regia poteſtate eximantur.

est responsio, quippe qui vel zelo & pietate potiùs, quàm iure & ex officio, Sacerdotes stare in ministerio imperauerit, vel duntaxat legis executor fuerit, cùm nullas leges in Sacerdotes tulerit, sed tantum à Deo latas executioni demandari curauerit, quod Regibus erga diuinum cultum propensis maximè congruere suprà ostendimus. Quod ad Iudeam Machabæum, non mirum est si encænia quotannis celebrari mandauerit; neque enim tantùm dux in bello, sed quod ad rem maximè facit, de genere Leuitarum, & sacerdotũ, erat ad quos hæc diuini cultus cura pertinebat. 1. Macchab. 2. *In diebus illis surrexit Matathias filius Ioannis filij Simeonis Sacerdos ex filiis Ioachim.* Comestor in histor. Macchab. cap. 1. *Erat autem vir de Modin modico Judæ vico Sacerdos nomine Matathias, de vice Ioachim, id est, vnus illorum viginti quatuor quos Dauid elegit. Hic autem Matathias habuit quinque filios, quorum tertius fuit Iudas ille qui Machabæus dictus est, & Encoëniorum festum quotannis celebrandum instituit.*

Quartum petitur ex cõstitutionibus veterum Imperatorum, quæ referuntur tredecim primis titulis Codicis Iustiniani, quæ omnes disciplinam Ecclesiasticam præscribunt, Nouellarũ Iustiniani Codex de ea fere totus est, sed de eadem sunt constitutiones Imperiales omnes lib. 2. iuris Orientalis, scilicèt putat Vigorius, tanta mole & farragine constitutionũ nos obruere, sed fallitur vehementer, nobis enim suppetunt plurimæ eæque accommodatissimæ responsiones. Prima: Iustinianus Imperator vt sacrilegus, & rerum diuinarum inuasor, & falcem in alienam messem mittens à nonnullis grauissimis authoribus non im-

Iustinianus à nõnullis quod se rebus Ecclesiasticis immiscuerit reprehenditur.

merito arguitur; cùm enim res tantùm humanas quæ ad hominum societatem conseruandam spectant tractare & curare deberet, diuinis præterea & Ecclesiasticis rebus plusquã deceret Imperatorem se immiscuit. Vnde Procopius lib. 3. Belli Gothici causã dissidiorum omnium & tumultuũ qui eius tempore vbique locorum Romani Imperij vigebant, in hanc curiosam nimis rerum Ecclesiasticarum perquisitionem & sollicitudinem refert: tantùm ergo abest vt hoc Iustiniani factum in exẽplum & regulam sit trahendum, quin potius illud tãquam execrabile & Reipub. perniciosum sit reprehendẽdũ. Sed esto Iustinianus fuerit, vt aiunt iurisconsulti, sacratissimus princeps, & in rebus Ecclesiasticis tractãdis iram Dei tam in se quàm in Imperium Romanum non prouocauerit, quod tamen nunquam persuadebunt, cùm in fœdissimam hæresim Eutychianam prolapsus sit, & multarum calamitatum per totum Imperium causa fuerit. Respondemus secundo, eum nihil vnquam definiuisse, sed tantùm ab Ecclesia iam definita defendisse, conseruâsse, & vt executioni mandarentur, diligenter curâsse, quod ex variis harum constitutionum verbis colligere est Constit. 42. & act. 1. 5. synodi sic habet. *Hæc decreuimus sanctorum Patrum canones secuti.* & rursum; *Hæc sententiauimus sequẽtes S. S. Patrum dogmata* Constit. 6. *Sancimus sacras per omnia sequentes regulas,* Constit. 133. *Sequimur sacros in hoc canone S. S. patres qui hoc comprehenderunt legibus.* Tertio Iustinianus constitutionibus illis quas de rebus Ecclesiasticis condidit, tantùm voluit sententiis Episcoporum maius robur afferre, vt expresse declarauit Constit. 42. *Quam sen-*

Iustinianus nihil vnquam propriè de Ecclesiastica disciplina definiuit.

tentiam Episcoporum (de depositione Antimi hæretici) *tametsi per se valentem multo tamen adhuc valentiorem reddit majestas Imperialis, quæ regia hac vrbe eum expellit.* Ex quo patet contra Vigorium cæterosque eiusdem farinæ, nunquam Iustinianum potestatem iuris circa res Ecclesiasticas sibi arrogâsse, sed facti duntaxat, & executoriam, immò non semper executoriã, vt apertè innuit Nouella 123. *Si Ecclesiasticorum sit negotium, nullam communionem habento ciuiles magistratus, cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundùm sacros canones negotio finem imponunto.* Et in 5. synod. act. 1. Theodorus Iustiniani Dux libellos Episcopis porrigit. *Vt in his* (inquit) *interpellantes vos ipsi finem imponatis.* & paulò pòst, de alio quodam libello oblato. *Quæ in ipso insita sunt canonicè finem accipiant à sanctissimis Romanis Legatis, & tota Synodo.* Dices, Iustinianum Origenem eiusque dogmata publico decreto damnâsse, vt refert Liberatus in Breuiario cap. 23. & ex 1. act. synodi 5. colligitur, vbi dixerunt Episcopi plenitudinem directionis contra hæreticos serenitati Imperiali Deum custodiuisse, id est seruâsse, & ibidem petentibus Episcopis, vt nonnulli hæretici anathemate ferirentur, Mena Constantinopolitanus Patriarcha ita respondit: *Nihil eorum quæ in Ecclesia mouentur conuenit fieri præter principem & iussum Pij Imperatoris: itaque rogamus vestram Charitatem in præsentiarum quiescere, vt tempus accipiamus adducere ad suas pias aures quæ à vobis sunt acclamata.* Quibus verbis apertissimè patet concilium nihil in causis Ecclesiasticis absque Imperatoris authoritate voluisse definire. Respondeo ad primum, Origenem dãnatum fuisse à Patriarchis & Episcopis

concilij, & in eum decies anathema pronunciatum, procurante tantùm, non edicente Iustiniano Imperatore. Quod si à nonnullis damnatus ab eo dicitur, hoc de executione & potestate facti est intelligēdum, vt fusè narrat Liberatus loco citato Quæ responsio ex eo confirmatur, quod Episcopi plenitudinem directionis cōtra hæreticos majestati Imperatoris duntaxat tribuant: directio enim pertinet ad factum seu condemnationis executionem, quæ multo facilius ab Episcopis interueniente Imperatoris edicto fieri solet. Ad secundum noluit Patriarcha Menas errores Origenis, ad primam Episcoporum acclamationem damnare, sed priùs voluit de re ipsa cum Imperatore agere, non quòd necesse esset, sed quia conueniebat; tum vt sententia faciliùs executioni mandaretur, tum vt nemo reclamare auderet intellecto consensu Imperatoriæ majestatis. Quod autem pro decernenda condemnatione Origenis Menas noluerit majestatem Imperialem consulere, ex eo manifestè patet, quod palam & publicè in concilio dixerit: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, ei obedimus, & condemnatos ab ipsa nos quoque condemnamus.* Ne ergo amplius iactet Vigorius cōstitutiones Iustiniani, quasi liceat Iustiniani exemplo principibus & secularibus magistratibus leges de Ecclesiastica disciplina præscribere.

Debebat Vigori⁹ dicere virum militarem & Epistola. 50.

Quinto Augustinus Epist. 33 ad Bonifacium comitem: *Quis mente sobrius Regibus dicat, nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri, non ad vos pertinet in regno vestro quis velit esse Religiosus siue sacrilegus.* Vnde Optatus Mileuitanus reprehendit Donatum hæreticum, quod diceret,

ret, *quid est Imperatori cum Ecclesia?* Respondeo Augustinum tota hac Epistola de Donatistis ab Imperatoribus coërcendis agere, vt ex argumēto Epistolę & ex variis eiusdem testimoniis liquido constat, potissimùm vero cùm dicit: *Cogunt multas inuenire medicinas multorum experimenta malorum.* Cum enim antea hæretici minimè ab Imperatoribus punirentur, sed tantum à sacris per Episcoporum sententiam arcerētur, impunitas ipsa multorum lerna malorum erat, & cùm ab hæresi resipiscentes statim pristinis honoribus in Ecclesia restituerentur, spe illius honoris pænitentiam non tam agebant, quàm fingebant: ideo antiqui patres, horum multorum experimento edocti ad nouam medicinam, nempe ad Imperatorias leges recurrendum esse iudicârunt, vt qui amore veritatis ad Ecclesiæ gremium redire nollent, saltem timore supplicij ad eam postliminio reuerterentur, & in ea tranquillè & pacatè absque vllis honoribus se continerent: hanc autem hæreticorum coërcitionem nemo est qui principibus secularibus deneget, vt hac Epistola late probat Augustinus: *Cùm in angustiis* (inquit) *affligitur Ecclesia, quisquis existimat omnia potiùs sustinenda quàm Dei auxilium vt per Imperatores Christianos feratur esse poscendum, parum attendit non bonam de hac negligentia reddi posse rationem.* Et paulo post de Maximino Episcopo, *auxilium petit ab Imperatore Christiano, non tam sui vlciscendi, quàm tuēdæ Ecclesiæ sibi debitæ: quòd si prætermisisset, nō eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda;* Illudque probat exemplo Apostoli qui cum ad necem quæreretur, sic cum Tribuno egit, vt prodere-

Reges & Imperatores iustè possunt in hæreticos animaduertere.

tur conſpiratio Romanarum legum opem implorare non erubuit. *Satis oſtendens* (inquit) *quid facere poſtea deberent Chriſti diſpenſatores, quando Imperatores Chriſtianos periclitante Eccleſia reperirent.* Non ergo de Eccleſiaſtica diſciplina ab Imperatoribus præſcribēda quicquam hac epiſtola tradit Auguſtinus, niſi hanc hæreticorum coërcitionē diſciplinam Eccleſiaſticam appelet Vigorius, ſed hoc eſt omnino improprium & inuſitatum, cum Eccleſiaſtica diſciplina ea ſolùm complectatur quæ ad Dei cultum, miniſtros, Eccleſiæ, ritus, ceremonias cæteraq; id genus pertinent, eademq; eſt ad Optatum reſponſio; tantùm enim voluit Imperatorem iure poſſe in hæreticos ab Eccleſia cōdemnatos & declaratos animaduertere, cum enim Conſtans Imperator circuncellíones hæreticos, homines ad omne nefas promptiſſimos à Donato hæreſiarcha per totam Aphricam aduerſus Catholicos concitatos repreſſiſſet, ipſumq; Donatū tanquam hæreticum & ſeditionis authorem cum pleriſque aliis pſeudoprophetis in exilium ablegaſſet, de hac punitione grauiter conquerebatur Donatus, quod ſcilicet nihil Imperatori cum Eccleſia cōmune eſſet, & propterea eum merito reprehendit Optatus, quia regum & principum eſt ab hęreticorum damnis & incurſionibus Eccleſiam liberare, eamque ab erroribus ne latiùs ſerpant, temporalibus pœnis appoſitis præſeruare.

Sexto in voluminibus conciliorum, decem concilia Galliæ numerantur coacta à Regibus noſtris è Merouingiana familia, multoque plura recenſentur à Gregorio Turonenſi, Adone, Aimoïno & aliis re-

rum Gallicarum ſcriptoribus. Ex Pipini familia ex-
tant Capitularia Regũ Franciæ, quæ omnia ad diſ-
ciplinam pertinent. Prętereo legem Lotharij; legum
Lombardicarum lib. 3. cap. 35. quam & Gregorius XIII.
inſeruit in fine canonis de capitulis diſt. 10. Adde-
mus tamen de Carolo Magno lib. 5. Capitularium:
*Per conſilium Sacerdotum & Optimatum eorum ordinaui-
mus per ciuitates Epiſcopos, ſtatuimuſq; per annos ſingulos
Synodum congregare, vt nobis præſentibus canonum decreta
& Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emen-
detur, falſos vero Presbyteros & adulteros vel forni-
catores, diaconos & Clericos degradauimus, & ad pœniten-
tiam coëgimus.* Si hæc non ſufficiant (inquit Vigorius)
perlegant totum volumen Capitularium: in eo nihil
aliud reperient quàm Reges Chriſtianiſſimos hoc
iure rectè & ipſis Pontificibus teſtibus ſemper vſos
fuiſſe. Quidquid ſit de Synodorum conuocatio-
ne à primis Francorum regibus, de qua hîc non eſt
animus differere, cùm diſputatione de conciliis
multo commodius de ea acturi ſimus; vbi inter alia
oſtendemus ex eodem Carolo cap. 287° authorita-
tem Eccleſiaſticam atque canonicam docere, abſq;
ſententia Romani Pontificis concilia celebrari non
debere, vnde ſi aliqua ab eo vel ab aliis Regibus
coacta ſint, id ex aſſenſu Pontificis ſaltem tacito fa-
ctum eſt. Quidquid inquam ſit de hac conciliorum
conuocatione, temeritas & leuitas Vigorij hîc mani-
feſta eſt; cùm enim nihil toto opere moliatur quàm
Monarchicũ Eccleſiæ ſtatum euertere, ſui imme-
mor Monarchiam Eccleſiaſticam in Reges transfert,
quaſi ſolis eorum legibus Eccleſia debeat gubernari:

Reges Franciæ ſi quando conuocauerint cõciliũ id ex aſſenſu ſummi Pontificis fecerunt.

quod quàm à vero abhorreat iam supra satis demõstrauimus, vnde ad Capitularia Regum Franciæ Pipini, præsertim Caroli magni & aliorum eadem est quæ ad leges & constitutiones Iustiniani responsio, nimirum hos Galliç Reges nihil de nouo sanxisse, sed antiquos solum canones qui exolescebant, duntaxat restituisse; vel si quid noui condiderint, quod non negamus, illud ad conseruationem & defensionem Ecclesiæ tantum pertineat, vel si reipsa nouã legem de Ecclesiastica disciplina condiderint, authoritaté aut cõsensum Sedis Apostolicæ ad id præstandum eis minime defuisse. Cum enim illi Galliæ Reges essent piissimi & prudentissimi, eorum zelo & propensioni erga Ecclesiæ reformationem saltem tacitè consentiebant summi Pontifices, eosque de Ecclesiastica disciplina decernere facilè permittebãt, quod de Carolo magno negari non potest: erat quippe singularis erga Ecclesiam propensionis eximiæ prudentiæ & raræ eruditionis etiã in rebus sacris, vt qui sub Alcuino viro doctissimo literis operam dedisset. Vbi obiter notabit Vigorius eundem Carolum in condendis nouis legibus fuisse parcissimum, multùm vero in restituendis veteribus, cum ex conciliis & decretis Pontificum 168. capitula colligi iusserit, vbi dicit se non præscribere leges, sed Episcopos admonere vt ipsi paternas sanctiones custodiri faciãt: quo fit vt tantùm pauca ipse de nouo cõdiderit, & statuerit. Et ne amplius ne ex his capitularibus occasioné sumat Vigorius debacchãdi in sedẽ Apostolicam, sumisque Pontificibus oblatrandi audeat, sententiam Caroli Magni à Gratiano dist. 19.

Quo sẽsu Reges Gallia de disciplina Ecclesiæ edixerint.

canon 3. relatam audiat. *In memoriam B. Petri Apostoli honoranda est sancta Romana & Apostolica sedes, vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis, ideóque seruandam esse cum mansuetudine humilitatem, vt licèt vix ferendum ab illa sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Hæc enim verba vt dixit, & intelligi profectò voluit Christianissimus Imperator, quæ ideo vehementer optauerim ab iis hominibus obseruari qui in Gallia de Pontificum constitutionibus conqueruntur, & appellationes ab abusu cum magno Ecclesiæ Gallicanæ probro & dedecore, tam frequenter tamque leui de causa audent intentare. Addam ex Paulo Æmilio lib. 3. fol. 7. in vita Caroli Magni, magnum Capitularium librum Francos minimè adstringere, eo quòd non fuerit legitime publicatus & receptus: quinimo in eo extant nonnulla quæ Iudaïsmum aperte redolant. lib. enim 6. cap. 42. prohibetur ne inuento auis nido mater simul cum pullis capiatur, quod in lege Iudaïca olim à Deo fuerat prohibitũ: sicut cap. 44. *Non seres vineam tuam altero semine, nisi quę nascuntur, & vinea pariter sanctificentur.* 45. *Non arabis in boue & asino simul. Cùm ædificaueris domum nouam facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo.* Quæ cùm per Euangelium fuerint antiquata, mirum est quomodo Carolus Magnus ea inter Christianos renouauerit, & prohibuerit.

Deutero. 22.

An Clerici sint à iurisdictione seculari exempti, & quo iure?

QVÆSTIO III.

STATVERAM de conflictu potestatis Ecclesiasticæ & secularis nihil scribere, est enim quæstio hoc præsertim tempore aleæ & periculi plena, quam qui mouere aggrediuntur, quasi inter sacrum esse & saxum, lupumq; (vt aiunt) auribus tenere videtur: sed coëgit me sua iniuriarũ procacitate importunissim⁹ homo Vigori⁹, vt qui me ideo patriæ oblitũ, maiestatis regiæ perduellẽ, cælo solóque Galliæ indignum dicat, quòd causarũ clericalium cognitione secularibus magistratibus interdixerim, & solis Episcopis eorumq; Officialibus tribuerim: quasi verò non possint Ecclesiæ iura absque regiæ potestatis, cuius me subditum esse agnosco, detrimento, defendi; sitque adeo pertinax & implacabilis Põtificũ & Regũ hac in re dissensio, vt nunquã inter se queant cõueniri, aut cõciliari. Duæ sunt hac in re doctorũ sentẽtiæ, quarum alterutra citra vllum fidei & subiectionis debitæ dispendium defendi potest. Prior statuit Clericos iure diuino à potestate laïca omnino exemptos, ita vt nulla principum, aut Pontificum ordinatione huic exemptioni possit derogari. Hanc tuentur primò nonnulli Parisienses, vt Almaïnus, De suprema Potestate Ecclesiastica, propositione tertia, sub finẽ. Et Ægidius Carlerius disputatione contra Boëmos, ad calcem concilij Basileensis. Præterea Driedo de libertate Christiana contra Lutherum: Angelus ver-

Duæ opiniones de immunitate Clericorum.

bo *immunitas*, num. 33. verſ. 11. Silueſter verbo *immunitas*, 1. quæſt. 4. & maior pars Canoniſtarum in canonem *Si Imperatores*, diſt. 99. & cap. 2. de maioritate & obedientia: & in canone *Quanquam*, de cenſibus in 6. Primum quia Geneſ. 47. cùm Ioſeph totam Ægypti terram Regi tributariam feciſſet, ſolam Sacerdotalem immunem & liberam voluit, & 1. Eſd. cap. 7. excepti fuerunt Sacerdotes & Leuitæ à lege ſoluendi tributa Regi Perſarum, Pſal. 140. *Nolite tangere Christos meos*; id eſt Sacerdotes, quos conſtat vnctos eſſe, & diuino cultui deſtinatos: atqui tangerentur, ſi vel ad tribunalia ſecularia traherentur, vel ſi ſecularium legibus eſſent ſubiecti: Num. 18. dixit Deus ſe tradidiſſe Sacerdotibus & Leuitis decimas, vt ipſi ei in altari iugiter inſeruirent, neque ab eius cultu & ſeruitio per rerũ terrenarum occupationem auocarentur: Atqui cùm hæc exemptio, officio, & ſtatui Clericali non minùs in noua quàm in veteri lege ſit conformis, in vtraque locum habere debet; vnde Matth. 17. cùm à Christo exigeretur cenſus, Petrum mox interrogauit à quibus Reges terræ tributum acciperent? *an à filiis an ab alienis*? cui cùm reſpondiſſet Petrus; *Ab alienis*, ſubſumpſit: *Ergo filij liberi ſunt, ne ergo ſcandalizemus eos* (inquit) *vade & ſtateram quẽ aperto ore piſcis inueneris, da eis* pro me & te ex quo ſic inferunt prædicti Doctores, Clerici ſunt filij Dei, & per Chriſtum & Petrum ſignificati, ergo hoc loco à Chriſto declarati ſunt à iuriſdictione laïca, & vectigalibus perſoluendis omnino immunes. Secundo illud idem ex Põtificum Romanorum conſtitutionibus patet; nam canone *Si Imperatores*, teſtatur Pontifex ex diuina inſtitutione Clericos, non à

Prior opinio. Clericorum immunitas eſt de iure diuino.

ſecularibus principibus, ſed ab ipſo Romano Ponti-
fice & Eccleſiæ Prælatis eſſe iudicãdos: & capit. *Quamquã*. de cẽſibus. in 6° decernitur Clericos & eorum res
iure diuino à principibus & ab eorũ tributis eſſe exẽ-
ptos: quibus accedit illud Conſtantini Imperatoris.
cui cùm à ſynodo oblatus fuiſſet libellus querelarum,
contra Epiſcopos edixit: *Vos à nemine iudicari poteſtis,
ſed ad Dei iudicium reſeruamini*. Quam ſententiam Gra-
tianus XI. quęſt. 1. c. *Continua* refert, vbi tamen lapſus
eſt, tum id ex Melchiadis Pontificis teſtimonio refert,
cum Melchiades longè ante Conſtantium Impera-
torem, ſub Diocletiano & Maximino martyrio ob-
iiſſet. Poſtremò ſi ſolùm iure humano & Principum
beneficio Clerici eſſent à poteſtate laïca immunes,
poſſent principes eorum immunitatem abrogare, vel
ſaltem pro arbitrio imminuere: hoc autẽ in magnum
detrimentum & dedecus ordinis Sacerdotalis verte-
retur, cum licèt Sacerdotes eos, quos ſuis genibus ad-
uolutos in ſecreta exomologeſi ſeu confeſſione au-
diunt, & quibus ſacramenta adminiſtrant, ſalutare, iiſ-
que ſeſe ſummittere cogerentur.

Secunda ſententia, eaque communis inter Theo-
logos negat Clericos iure diuino in his quæ ad tem-
poralem gubernationem pertinent à poteſtate ciuili
exemptos eſſe, ſed ſuam illam exemptionem ſiue pro
perſonis, ſiue pro rebus & bonis, non aliunde quàm
iure humano, vel ex beneficio principum habere: ita
ſentiunt Innocentius in cap. 2. de maioritate & obe-
dientia: Medina de reſtit. quęſt. 15. Victoria relect. 1. de
poteſtate Eccleſiæ quæſt. 6. propoſit. 2. Sotus in 4. diſt.
25. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 3. Bannes 2. 2. quæſt. 67. art. 1.
& Couar-

& Couarruuias in practicis quæst. cap. 31. num. 2. cõclus. 2. Hæc autem sententia sic stabilitur: Ius diuinũ propriè sumptum lege Euangelica & traditione diuina constat: at nulla extat talis lex & traditio quæ clericos & eorum bona à iurisdictione Principum secularium eximat: igitur iure diuino non sunt exempti. Maior notior est quàm quod probari debeat: Minor vero facilè probatur, quia tantùm abest, vt ista exẽptio Euãgelio, aut diuina traditione decernatur, quin immò contrarium euidẽter constat ad Rom. 13 *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; & hoc vtique propter Dei ordinationem, vbi glossa *Omnis anima, nullus excipitur nec excluditur.* Additq; Chrysostomus. *Omnis homo, siue sit Euangelista, siue Propheta, siue Apostolus, siue quis tandem sit*, cùm paulo ante dixisset; *Ista imperantur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solùm sæcularibus.* Quòd si quis dicat per potestates sublimiores, sæcularem & Ecclesiasticam intelligi, & ideò propositionem Apostoli distributiuè intelligendam esse, Ecclesiasticos nimirum potestati Ecclesiasticæ, sæculares verò sæculari esse subiectos. Respondeo Apostolum de sæcularibus potestatibus hoc loco duntaxat agere, cùm eo capite ostendat principem non sine causa gladium portare, eique vectigal esse persoluendum. In quem locum D. Thomas iure humano, non diuino Sacerdotes à tributis exemptos esse dicit.

Posterior opinio, eaq; communis negat Clericorũ immunitatẽ esse de iure diuino.

Actuum 25° cùm videret Apostolus causam suam ab iis qui de genere erãt Sacerdotali iniquè tractari, ad Cæsaris tribunal prouocauit, dixitque se ab eo iudicari oportere, tandemque cap. 2. prioris epistolæ

D. Petri. *Serui, subditi estote Dominis vestris etiā discolis, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Quod ad omnes etiā Sacerdotes pertinere & extendi, hinc patet, quod hæc Petri epistola ad omnes Christianos, tam Sacerdotes quàm laïcos perscriberetur; & quidem religio Christiana neminem è suis ab vllo ciuili vinculo, vt seruitutis, & cōiugij, liberat: ergo nec eadem clericos ob officio parendi principibus excipiet, aut liberabit; præsertim cum in dedecus ordinis Sacerdotalis non cedat, aut diuinis eorum officiis obstet, si clerici ad Tribunalia Principum pro temporalibus rebus vocentur: modo in illis tribunalibus honorificè excipiantur, & cum magna moderatione eorum causæ decidantur. Adde, Reges omnes grauiter offendi, dum audiunt clericum parricidam, veneficum, Reipub. proditorem, & qui vitæ principum fuerit insidiatus, non posse à iudice seculari puniri, nec quod multò est deterius, reum esse læsæ majestatis, quippe qui non sit Regis in cuius regno commoretur, subditus: at hæc in Gallia de salute & incolumitate Regum suorum maximè sollicita sustineri non possunt: quamobrem non diuino iure, sed humano tantùm & principum beneficio suis immunitatibus gaudent clerici. Hæc sunt vtriusque sententiæ fundamenta, propter quæ in foris vtriusque potestatis acerrimæ existunt cōtrouersiæ. Ego verò aliquot conclusionibus mentem meam aperiam, si primùm monuero magnam esse consuetudinis locorum habendā rationem, etsi enim cōsuetudo cōtra ius naturale, Gentium & diuinum nunquā introducatur, alioqui non tam tunc cōsuetudo, quàm abusus & corruptela

dicerετur, nihilominus dissidentibus inter se doctoribus, an quidpiam sit de iure diuino consuetudo locorum contraria, non statim tanquam abusus & corruptela contra ius diuinum damnanda est: iuris diuini à nonnullis iudicatur, & quidem valde probabiliter Eucharistię sumptio, in extrema vitæ periodo, & tamen in Gallia receptissima est consuetudo damnatis ad mortem Eucharistiam denegare, eosque tantùm ad cófessionem admittere. Item 16. quæst. 1. cap. Reuertimini. Can. *Parœchianus*, & Can. *Tua* de decimis, expresè dicitur decimam fructuum partem iure diuino parœchis deberi, cùm tamen in plerisque Galliæ parœchiis decima de more non soluatur: item iuris diuini est, immò quodammodo naturalis secundùm quosdam, vt qui sunt excommunicationis vinculo ligati, à consortio fidelium & sacramentorum communione arceãtur, iuxta illud Christi, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus:* at verò consuetudo seu potius constitutio Ecclesiastica concilij Constantiensis inualuit, vt in duobus casibus excommunicatos tãtùm deuitemus, si nimirum vel sint nominatim excommunicati, vel publici clericorum percussores. Nõ igitur statim dãnãda est consuetudo tãquam abusus, seu corruptela, nisi ab omnibus omnino doctoribus, contra ius diuinũ pugnare iudicetur. Cùm ergo exemptio clericorum à potestate laica, iuxta Theologos, non sit iuris diuini, etiamsi Canonistæ aliter sentiant, consuetudo qua clerici in quibusdam casibus de quibus postea, apud iudices seculares sistuntur, non est vniuersaliter reiicienda, quinimmò cùm in delectu sen-

Habenda est ratio cõsuetudinis locorum.

tentiarum præferendi ſint Theologi Canoniſtis, quippe qui rem accuratius expendant, hanc quorundam locorum conſuetudinem valere potiùs, quã è contra malumus aſſerere. Sit ergo

In rebus per ſe ſpiritalibus & Eccleſiaſticis clerici sũt iure diuino immunes.

Prima concluſio. In his quæ per ſe & propriè ſpiritalia, & Eccleſiaſtica ſunt Clerici à poteſtate & iuriſdictione laïca diuino iure ſunt immunes, vt quæ ſpectant ad ſacramentorum adminiſtrationem, pœnarum Eccleſiaſticarum irrogationem, miniſtrorum Eccleſiæ inſtitutionem, confirmationem, examen, & quicquid denique, vt inquit Couarruuias, ad Eccleſiam fidemque Chriſtianam ſpecialiter pertinet, vt ſacras literas interpretari, & alia quædam Eccleſiaſtica munia obire. Ratio in prõptu eſt, quia poteſtas ſpiritalis à Chriſto ipſo ſupernaturaliter eſt inſtituta, & Eccleſia D. Petro in littore piſcãti, non Tiberio Romæ imperanti commiſſa. Igitur in ea quæ ſunt huius ordinis ſpiritualis, nullum ſibi ius poſſunt principes arrogare, vt contra Marcilium de Padua, à Ioan. 22° ex Turrecremata lib. 4. Summæ ſub finem, fuit olim definitum: & hanc concluſionem ſuadent rationes omnes, quæ à Canoniſtis ad probationem prioris ſententię afferuntur.

Clecici non poſsũt rebus prophanis & ciuilibus perperuò implicari.

Secunda cõcluſio. Iure diuino Clerici ſacris diuiniſque officiis mancipati, profanis & ciuilibus officiis perpetuò implicari non poſſunt: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, ſaltem in perpetuum, neque vero illud tantùm iure diuino præſcribitur, ſed etiam iure naturali, cum officium clericale ſuapte natura ſecularem occupationẽ refugiat. Cum enim diuinum ſit & cœleſte, per negotia ſecularia à cœlo in

terras quodammodo distrahitur. Chrysostomus de dignitate Sacerdotali lib.2. *Sacerdotis aspice dignitatem, agitur in terra, sed officium cælestibus negotiis continetur.* Ex quo sequitur, non posse Imperatorem, aut Regem, immò neque ipsum summũ Pontificẽ quantacunque in Clericos potestate polleat edicere, vt Clerici toto vitæ suæ tẽpore arma tractẽt, aut negotiis secularibus se implicẽt, esset enim rem sacram ad vsus prophanos omninò conuerrere, quod naturali legi aduersatur.

Clerici in rebus mere ciuilibus & criminalibus non sunt iure diuino à iurisdictione principũ seculariũ immunes

Tertia conclusio. In rebus merè temporalibus & criminalibus Clerici & eorum res non sunt iure diuino à iurisdictione Principum seculariũ immunes, licèt eorum immunitas cum eo & cum iure naturæ multùm congruat. Quæ conclusio posterioris sentẽtiæ rationibus iam allatis, & solutionibus argumentorum contrariæ abundè confirmatur. nam quæ ex veteri lege de Ioseph, & Esdra adducũtur, vel ius diuinũ non cõtinẽt, quippe quæ ex legibus humanis Ioseph, & Esdrę proficiscebãtur, vel si cõtineãt, ad ius dinũ veteris testamenti, quod in noua penitus fuit antiquatũ, spectãt: illud vero Psalm. *Nolite tangere Christos meos:* nõ solùm de Clericis, sed etiã de regib⁹ quos vt & Clericos, sacro chrismate cõstat inungi intelligitur: & licèt Clericis posset adaptari, nõ tamẽ ex literali sensu fauere potest eorũ exemptioni: siquidem nulla ibi mentio fit de administratione iustitiæ secundùm ordinem iuris exercendæ, sed tantùm ne vlla à quoquam etiam priuato illis inferatur iniuria, quæ multò esset atrocior quàm quæ alteri personæ inferretur. Et vt veteris testamenti testimonia canonistis non suffragantur, sic nec quæ ex nouo proferunt,

vt quod Christus filios à tributis liberos Petro dixerit; cùm enim Sacerdotes & Clerici communiter non sint filij Regum, de quibus Christus literaliter loquebatur, eos his verbis à vectigalibus immunes non reddidit: quod expreßè docet D. Thomas 2. sent. dist. 44. quæst. 2. art 2. & 13. ad Rom. hæc Apostoli verba explicans: *Ideo & tributa præstatis principibus*, ait clericos à tributis, principum priuilegio esse exemptos: quod naturalem (inquit) habet æquitaté. Quid ergo, dices, Christus his verbis, ergo filij liberi sunt, intendit, aut significare voluit? Respondeo solùm significâsse se prorsus à tributo esse immunem, tantumq; ex mero suæ voluntatis beneplacito, aut ad vitandum scandalum (quod tamen si soluere recusasset, duntaxat passiuum fuisset) illud principibus soluere: Quippe qui esset filius naturalis Regis Regum, & Dominus Dominantium; non tamen propterea voluit, alios quibus hæc infinita dignitas non conueniebat, hac immunitate gaudere. Deinde esto D. Petrus iure diuino immunis à tributo fuerit, cum Christus pro eo, quem ad supremũ orbis Pontificatũ iam designabat, & pro se solui iusserit; non tamen propterea illud priuilegiũ ad clericos inferiores, vt pote Episcopos & sacerdotes esset extendendum, cùm priuilegia (vt norunt omnes) in materia versentur odiosa, ideóque ad casus nõ expressos nunquam extendi soleant, & debeant.

Quantùm verò ad ea quæ ex canonibus afferũtur, parum vrgent; frequẽter enim aliquid dicitur in Decretis & Decretalibus iure diuino constitutum, quod vel à lege diuina veteri, aut aliquo illius testimonio originem ducit, vt latè probat Couarruuias lib. 1. Va-

riarum resolut. vbi de decimis disserit. Vnde cũ locis aliquot veteris Testamenti immunitas sacerdotum à tributis & vectigalibus insinuetur, eo sensu canones hanc immunitatem iure diuino esse constitutã aiunt; nisi mauis (quod est probabilius) Ius Canonicũ, quia sacrum, ad res sacras & ecclesiasticas per se spectãs, diuinum nonnunquam appellari: ita vt quod duntaxat Iure Canonico est præscriptũ, iuris diuini lato modo esse dicatur, vt docet D. Thom. opusc. 63. cap. 5. Neque obstat quod dicit Bonifac. cap. *Quanquam.* & Concil. Lateranen. c. *Non minus*, Clericos non tantum esse exemptos iure humano, sed etiam diuino; ideóque ius diuinum vt ab humano & canonico distinguitur, ab iis accipi. Respondetur enim ius humanum his locis pro ciuili sumi, & diuinum pro canonico & Ecclesiastico, ita vt statuerint Pontifex & concilium, vtroque iure, ciuili nempe principum beneficio, & canonico Clericos à iurisdictione laïca esse immunes.

Ad Constantinum qui de querelis, contra Episcopos sententiam dicere noluit, in promptu est responsio, erãt enim illæ quærimoniæ de his quæ re ipsa spiritalia & Ecclesiastica erãt, aut si de tẽpotalibus & criminalibus fuerint, repudiũ illarum ad beneuolẽtiam, & honorem quo Sacerdotes prosequebatnr magis quàm ad aliquod ius diuinum, est reuocandum. Ad rationẽ vero quæ postremo loco obiicitur, Respondeo immunitatem hanc iuri diuino & naturali, supposito Clericorum officio ex se diuino & sacro, valde congruere: ideoque principem absque peccato eam vniuersaliter tollere non posse, aut ad eas angustias redigere, vt hoc in opprobrium & contemptum ordinis Ecclesiastici cedat, maximè cùm hæc immu-

nitas iam vbique locorum & gentium quibus Christianum illuxit lumen, sit recepta, sitq; veluti iuris gentium, vt ipsemet putat Vigorius, quod à nemine potest immutari, nedum abrogari.

Quarta conclusio. Quãuis iure diuino clerici à iuridictione seculari immunes non sint, potuit nihilominus Põtifex accedente saltem consensu principũ, eos, eorumque res puta ciuiles & tẽporales (nam de spiritalib⁹ alia est ratio, vt supra ostẽdimus) à iurisdictione laïca eximere, illudq; similiter potuerunt & debuerũt principes suis legibus & constitutionibus idem decernere & concedere: quod fœlicissimè in primis præstiterunt Constantinus Imperator, & Iustinianus Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, de Episcopis & clericis: de Episcoporum audiẽtia: & in Nouel constitut. 83. *Ut clerici apud proprium Episcop.* Illud autẽ Christianæ Reipublicæ vtile & honorificum fuit, tum vt melius & decentius Ecclesiæ ministri diuinis officiis incumberent, tum vt à secularibus magis colerentur, neque corũ officia ipsi contẽnerent, cum & personas & res à iudicibus laïcis omnino exẽptas viderẽt: vnde quãuis in iure diuino nihil de clericorũ exemptionibus præscribatur, quia tamẽ non prohibetur, immo cum eo mirè consentit, legitime possunt & debent Pontifices & Principes ipsos eximere: quod à Pontificibus præstitum est. can. *Inolita* can. *Placuit*. can. *Si quem ex fratribus*. can. *Peruenit ij*. quæst. 5. can. *Decernimus*. De iudiciis. can. *Si diligenti*. & can. *Significasti*. de foro competenti. vbi notant Glossa: Felinus, Abbas & alij, etiam si Episcopus consentiret, vt clericus sibi subditus coram iudice laïco sisteretur,

Potuerũt Põtifices & Principes Clericos a secularib. Magistratibus eximere, illudque valde eorum officio congruit.

hoc

hoc tamen ipſi minime liceret, ſicut nec ipſi priuilegio poſſe renunciare, cum perſonale non ſit, ſed totius ordinis clericalis, in cuius prȩiudiciū nihil poteſt perſona priuata: atque adeo ſententiam iudicis laïci in clericum volentem nullam eſſe, neque aliquam illi in conſcientia obligationem inducere.

Laïci vi conſuetudinis immemorialis poſſunt de cauſis tam ciuilibus quam criminalibus clericorum cognoſcere.

Quinta: laïci vi conſuetudinis longioris temporis, ius & poteſtatem in clericos habere poſſunt, ſiue pro rebus ciuilibus, ſiue criminalibus, vt apparet in Gallia, vbi ſæpius in vtroque cauſarum genere coram ſecularibus magiſtratibus conueniunt ſacerdotes, aliique Clerici; nam & ſi conſuetudo non poſſit hanc exceptionem penitus antiquare, aut ita reſtringere vel imminuere, vt inde maxima toti Eccleſiaſtico ordini fiat iniuria; in nonnullis tamen caſibus per immemorialem atque præſcriptam conſuetudinem, hæc immunitas reſtringi ac limitari poteſt, quippe quæ non eſt iuris diuini, vt iam oſtendimus, ſed tantùm Eccleſiaſtici & humani, cui per conſuetudinem, ex doctorum omnium conſenſu valide derogatur. Ad cuius confirmationem lubet verba Nauarri cap. 27. Enchiridij num. 70. proferre, præſertim cum ſpecialiter pro hac Galliæ conſuetudine faciant. vbi enim protulit excommunicationē bullæ cænȩ Domini in quoſque Magiſtratus qui virtute indultorum & priuilegiorum Sacerdotes in criminalibus ad ſua pertrahūt tribunalia: *Hæc* (inquit) *declaratio tollit priuilegia data etiam Regibus: per quod dubitari poſſet de iudicibus Galliarum qui iudicant Clericos pro portu ſiue delatione armorum, & aliis caſibus quos vocant priuilegiatos. Equidem arbitror difficile ab iis abſtentu-*

ros, siue quòd præsupponant priuilegia illa esse remuneratoria obsequiorum à se magnis impensis sanguinis & fortunarum præstitorum, siue quod sint immemoralia & super criminibus leuibus concessa, siue alia quæ an audiri debeant iudicio sanctiss. D. N. relinquo. Hæc Nauarrus: cui consentit Couaruuias loco citato, numero 5. *Non ita iniqua est, imo fortassis aliquot in causis admittenda, nec admodum improbanda, etiam si iuxta sacrorum canonum rigorem aliud esset respondendum, consuetudo illa qua Galli absque retractatione vtuntur, secundùm quam Clerici in actionibus realibus conueniuntur coram iudicibus secularibus vt Joannes Faber Auphrerius, Guillelmus Benedictus, & Tiraquellus latissime docet:* Quibus subiungimus hâc Galliæ cõsuetudinē quæ Bullis Pontificũ, & præsertim Martini V. quas expressit Guido Papę 1ª quæst. & insertæ sunt in veteri stilo Parlamēti tit. de priuilegiis Regni Gallici munita est; cùm enim senatusconsulto Curiæ Parisiensis Petrus de Luna tãquam hæreticus, schismaticus, & pseudopõtifex ex Gallia pulsus esset, & viam ad perniciosissimum schisma consopiendũ fœliciter aperuisset, in tanti beneficij compensationem amplissimo priuilegio Curiam Parisiensem donauit Martinus V. quali etiam donatum Regem Hispaniarum refert Bannes 2. 2. quęst. 67. art. 1° dub. 2. vulgo nuncupatum, *por via de agrauio y fuerza:* Ideoque non tantum vigore consuetudinis præscriptæ, sed etiam ex concessione Pontificis iudices seculares in Gallia de causis Clericorum in quibusdam casibus possunt legitime cognoscere. Sed instabit Vigorius, me hac in parte palinodiam canere, vt qui in Elencho cõtra Richerium, dixerim Principes Magi-

ſtratuſque ſeculares cauſas Clericorum cognoſcere non poſſe. Reſpondeo me de cauſis ſpiritalibus & Eccleſiaſticis, non de realibus, temporalibus & nonnullis criminalibus, caſibus nempe priuilegiatis, vt vocant, locutum eſſe. Quod ſi Vigorio non placeat, dicã me duntaxat in iure cõmuni à conſuetudinibus locorũ abſtrahendo, locutum eſſe; ſic enim ſæpius vt cuiuis notũ eſt de variis quęſtion. doctores diſſerũt.

Poſtrema concluſio. Perſonæ Eccleſiaſticæ neque iure diuino neque humano ſunt omnino à legibus ciuilibus exemptæ, quia Clerici non obſtante Clericatu ſunt ciues reipublicæ, eiuſque membra: ſed Reſpub. ciuilis non aliter quam per Principum leges gubernatur: ergo quatenus illæ pertinent ad cõmunem viuendi in regno ſocietatem, quæ maximè pacem & tranquillitatẽ fouet, non poſſunt non adſtringere clericos, itaut illis neceſſariò parere debeant. Ex hypotheſi, Rex, ſiue Magiſtratus, vini, olei, frumenti, & cæterorum ad victum pertinentium pretium ſtatuit, certè ſi clericus nolit obedire, grauiter peccabit, mulctáq; ſi quæ ſit impoſita, tenebitur. Si enim clerici ratione officii clericalis ab his legib9 latis in Gallia, ex hypotheſi immunes eſſent, non magis ſacerdotes Galliæ iis teneretur, quàm ſacerdotes Hiſpaniæ, cũ in vtriſque pari modo ſe habeãt officiũ clericale, nec in vno ſit excellẽtius quàm in altero: At quis dicet ſacerdotes Galliæ his legibus non magis teneri quàm Hiſpaniæ ſacerdotes, cùm ſint illius ciues & incolæ, eiuſque cõmoda indies non minùs quã laïci experiãtur. Igitur clerici non ſunt ab omnibus ciuilibus legibus immunes. Ex quibus cõſtat merã eſſe calumniã quo-

Clerici neque diuino, neque humano iure ſunt omnino à legibus ciuilibus exempti.

rumdā ſchiſmaticorū, & præſertim Vigorij, qui iuriū Eccleſiæ ſummique Pontificis vindices & aſſertores, tanquam Regiæ poteſtatis hoſtes, & quaſi ab ea eiuſque legibus Clericos omnes eximentes, vbique traducunt & inſectantur: vellem equidem, vt animum quem in Regem, & patriam propenſiſſimū habere ſe profitētur, eundem in Eccleſiam ſupremumque illius moderatorem haberent; pacatiora fuiſſent omnia, neque ab aliquot annis, tot eſſent inter Catholicos excitatæ tragediæ, quibus hęreticis ad Eccleſiæ ruinam via ſternitur ampliſſima.

Vtrùm ad Pontificem Romanum toto orbe liceat appellare, & quo iure hæc poteſtas illi conueniat.

QVÆSTIO IV.

DE appellationibus ad Pontificem tribus locis agit Vigorius. Primo, pag. 22. *A Pontifice* (inquit) *quoties contra Eccleſiaſticos canones decernit, poteſt tanquam ab abuſu, ab eo prouocari.* Quod probat can. *Nos ſi incōpetenter*, 2. qu. 7ª Secūdo pag. 42. vbi diſſerens de primatu Romani Pontificis, quem iure Eccleſiaſtico non diuino illi ait conuenire, docet appellationes Epiſcoporum ad ipſum non eſſe antiquiores Sardicenſi concilio, viginti annis poſt Nyſſenam ſynodum celebrato. Tertio pag. 49. vbi de appellationibus à Papa, ad conciliū copioſiſſimè diſputat, eaſq; admittēdas cēſet. De 1. & 3. hìc nō agimus, ſed tantùm de ſecundo, nempè appellationū antiquitate: vbi ne quis in limine offendat, ſcire oportet has ad Pōtificē Romanum appellationes, multas pati exceptiones, ſaluo tamen & incolumi remanente penes ipſū Pōti-

ficem, appellationum iure; sic enim in Gallia & Belgio nulla ad Pontificem prouocatio admittitur ab iis curiis, quæ, vt loquuntur, per Arrestum iudicāt; neq; ab Episcopis pro damnato Clerico in causa hæreseos: nisi fortè de eius propositione an esset hæretica, iustè & rationabiliter dubitaretur: Vnde in cōcordatis inter Leonem & Franciscum I. Galliæ Regem, vnū est inter alia de friuolis nonnullorum appellationibus penitus reiiciendis, & sic pro quibusdam casibus sess. 22. Concil. Trid. cap. 10. & sess. 23. cap. 1. omnis ad Romanam curiam appellatio præscinditur, & extremū iudicium Episcopo loci tanquam Romanæ sedis delegato cōmittitur. Quamobrem etiamsi nec clericis inferioribus, nec Episcopis ad Romanum Pontificē appellandi ius daretur, sed per cuiuscumque prouinciæ Primates, vt in Gallia per Archiepiscopum Lugdunensem causæ omnes, etsi grauissimę, extremo iudicio terminarentur; nihilominus illibatum ius admittendarum appellationum in summo Pontifice semper remaneret non minùs quàm in Regibus, etiamsi supremis curiis seu Parlamentis authoritatem cōtrouersiarum omnium terminandarū committāt: & in Imperatoribus cùm olim præfectis prætorio ius istud in vniuersum relinquerent. Cùm enim iustæ appellationū causæ sint iudicum improbitas, vel imperitia, vbi videret Pontifex in Primatibus illis neutram esse, citra vllum iuris sui dispēdium potestatem extremo iudicio causas Ecclesiasticas iudicādi posset committere; quamuis hoc tempore quo authoritas Romanę sedis ita imminuitur, & in plerisque prouinciis cum euidenti religionis periculo contemnitur &

Appellationes ad Pontificē multas patiuntur exceptiones saluo iure ipsius Pōtificis.

impugnatur, consultius multo est has appellationes vim suam roburque retinere.

Vigorius hæreticus si dicat ius appellationum non esse à Christo.

Sed ad Vigorij asserta redeamus, certè si ius ipsum admittendarum appellationum duntaxat à Sardicési concilio, non autem à Christo Pontifici collatum asseueret, hæreticum manifestè se prodit: siquidem iure diuino Papa est summus Ecclesiæ iudex, vt aliàs ostendimus, constatq; ex vetustissimo canone Ecclesiæ, quo causæ oés grauiores & quęstiones difficiliores ad Sedé Romanam, tanquam omnium supremam referuntur: & in canonibus Apostolicis extat can. 34. quo iubetur Episcopus nihil singulare aut excellens, sine Primatis sententia agere: & quamuis per Primatem prouinciæ superior possit intelligi, nihil tamen obstat, quominus illud etiam de Romano Pontifice intelligatur, cùm vsus & praxis Ecclesiæ istud euidenter demonstrent. Vnde Anacletus epist. 1. quam suprà contra Vigorium defendimus, hoc ab Apostolis sancitum ait: ita vt Leo Pontifex epist. 89. ad Episcopos Galliæ hanc esse antiquissimam consuetudinem merito dixerit. Anno 142. Pio I. Pontifice Martinus excommunicatus à suo Episcopo in Ponto Romam longè distantem venit, vt à Romana absolueretur Ecclesia, ex Epiphanio hæres. 42. Anno 243. Cornelio Pontifice Fortunatus, & Felix à Cypriano depositi Romam nauigarunt, & ad Cornelium appellarunt, non diu post ad Stephanum Pontificem Basilides prouocarit. Vnde quamuis Cyprianus lib. 1. epist. 3. quorundam appellationem ægrè tulerit, quippe qui manifestissimis criminibus côuicti, & iudicati fuerát, non tamen appellationes sustulit, nec vnquam dixit,

Antiquitas appellationum totius orbis ad sũmum Pôtificem ostéditur.

non licere ad summum Pontificem transmarinum prouocare. Dixit quidem ab omnibus constitutũ, vt illic causa audiatur vbi crimen est admissũ; sed hoc tãtùm voluit, causam ibi primùm discutiẽdã & iudicãdã esse, quod concedimus: nihil tamen obstat quominus secundò alibi iudicetur. Vnde si rigidè dictum Cypriani sumeretur, nullis ferè prouocationibus locus esset, nisi qui extremo iudicio litem terminat, in eo in quo crimẽ admissum est loco demoraretur, quod quã rarum sit nemo est qui non videat, anno 350. Iullio I. Pontifice Athanasius ab Orientalibus depositus ad Põtificem appellauit, à quo est illico restitutus, ex Sozomeno lib. 3. cap. 7. datũque est hoc iudicium ante concilium Sardicense, ex Athanasio initio 2. Apologiæ. An. 400. Chrysostomus depositus à Theophilo Alexandrino, ad Innocentium I. prouocauit, ex duabus Chrysostomi epistolis ad ipsum, & Paladio in vita eiusdem, eodemq; seculo duo alij ex Græcia, ad Leonem Pontificem prouocarũt, Flauianus, ex Liberato in Breuiario cap. 12. & Theodoretus ex eius ad eundem Leonem epistola: ex Gallia sanctus Brixius Turonensis, & D. Martini successor, ex Gregorio Turonensi lib. 10. de rebus Francorũ cap. 30. Omitto reliqua posteriorum tẽporum testimonia, cum mihi animus sit eas appellationes præcipuè proferre quæ ante Sardicense concilium admissæ sunt, vt oẽs videãt eo tempore quo dicit Vigorius, minimè cœpisse, sed longè ante Sardicẽse conciliũ in vsu fuisse, sicq; iure diuino omnium Episcoporũ appellationes Sedi Apostolicæ & Romanæ conuenire. Quod ex Socrate lib. 2. cap. 11. apertissimè liquet, vbi cũ canonũ cõcilij Sardicensis

de appellationibus Episcoporum ad Romanam curiam, meminisset, subiungit; *Propter prærogatiuum ius quod præter cæteras Romana Ecclesia obtinebat.* Et Sozomeno lib. 3. c. 7. vbi narrat Iulium Romanum Pōtificem, cum propter Sedis suæ dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis ab Arij fautoribus pulsis suas Ecclesias restituisse.

Argumēta Vigorij contra ius appellationū.

Sed contra vrget Vigorius: primùm verba can. Sardicensis satis arguere nouum esse statutum, nec ante illud, ius appellationum viguisse. Secundò, appellationes Episcoporum sub Felice vnanimi consensu attributas fuisse Episcopis prouincialibus, & peregrina iudicia, id est, aliorum quàm Episcoporum omnino vetita 70. nempe annis ante conc. Sardicense. Tertiò in concilio Aphricano canon Sardicensis à legatis Pontificis ad confirmationē iuris istarum appellationum adductus est, non Sacra Scriptura, in qua ius diuinum, tanquam in certis verisque tabulis est consignatum. Quartò, cum Magdeburgensibus & Caluino dicit Sardicense concilium non fuisse œcumenicum: si enim œcumenicum fuisset, tantæ fuisset authoritatis, ac Nycænum concilium: attamen legati Pontificis ad concilium Aphricanum hunc appellationum canonem, non vt à Sardicensi concilio, sed vt à Nycæno editum proposuerūt: ergo signum est eos concilium Sardicense œcumenicum minimè habuisse, sed tantùm prouinciale; hoc autem vltimum argumentum eo animo adducit Vigorius, vt ostendat nequidem concilio generali ius appellationum Pontifici conuenire, sed tantùm prouinciali: ideoque facile ab eo tolli posse, cum decretis conciliorum prouin-

cialium

cialium de Ecclesiastica Disciplina multo facilius quàm generalium derogetur, miror quod non præterea dixerit synodum Sardicensem illegitimam fuisse, & potius latrocinium quàm concilium, cùm olim plerique ita senserint: sed quia Magdeburgenses eam vt legitimam centuria 4ª cap. 9. describunt, ab eorum castris noluit recedere.

Ad primùm. resp. Tantum abest, vt concilium Sardicense ius appellationum Romano Pontifici de nouo conferat, quin potius istud iam antea illi conuenisse apertissimè declarat: cùm enim statuat Episcopo vicinorum Episcoporum sententia deposito, ad Romanam Sedem appellante, alterum in eius locum sufficiendum non esse, donec causa ab ea sede extremo iudicio fuerit definita, exploratissimum relinquit, significatque profecto se ius ipsum minimè conferre, sed potius eo iam constituto, & huic sedi citra controuersiam conueniente, vti. Sed quæso huius concilij canones proferamus, vt lector è vestigio Vigorij imposturã & calumniam videat: 4us itaq; canon Sardicensis, seu secundũ alios 3us sic habet; *Cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorũ Episcoporum iudicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in vrbe Roma, alter Episcopus in eius cathedra post appellationem eius qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata.* Nullum verbum, nulla syllaba de constitutione, aut collatione iuris, sed tantùm lite apud Pontificem adhuc pendente nihil esse innouandum, quod certè ius potius supponit, quàm tribuit: canon 7. sic habet: *Placuit vt si Episcopus accusatus fuerit, & indica-*

Conciliũ Sardicense nõ tribuit ius appellationũ Põtifici, sed ei iam antea competere ostendit.

uerint Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopũ Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustũ putauerit vt renocetur iudicium, scribere his Episcopis dignetur qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligẽter omninò requirant, & iuxta veritatis fidem definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterũ audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum vt à latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit & quid æstimet, & si decreuerit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent habentes eius authoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio; si verò crediderit episcopos sufficere vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo cõsilio iudicauerit. Ex his manifestum est Patres Sardicenses de iure & appellandi potestate nihil de nouo statuisse, nec ius illud Summo Pontifici contulisse, ita vt anteà non haberet (quod ex verbo *dignetur* liquidissimè constat) sed tantùm vsum & exercitium illius potestatis declarasse; cùm enim (vt 1ª parte diximus) meritò anteà dubitaretur, an Ecclesiæ vniuersali appellationes ipsæ cõuenirent, ne si indifferenter omnes admitterẽtur, nullus esset litigandi finis: & econtrà, si omnes adimerentur, inferiores episcopi in tyrannidem suam potestatem conuerterent, hoc cõcilio pragmatica quadã ordinatione sancitum est, admittendarum appellationũ modus. Cùm ergo can. 7. dicitur: *Erit in potestate Episcopi, nempe Romani, quid velit, & quid æstimet*, hoc ad formam iudicij exercendi, non ad iuris potestatisq; concessionem refertur, mittere nempe, vel non mittere è latere suo Presbyterum, si credat Episcopos prouinciæ, ad litem definiendam sufficere.

Cæterùm ad fontes huius concilij, ne digitum quidem intendisse Vigorium, manifestum est. Primum, quia can. 2. huius concilij Sardicensis, quem ad schismaticæ suæ opinionis patrocinium profert, nihil de appellationibus statuitur; sed ne Episcopi diuagētur, & de vna prouincia in alteram discurrant. Secundo, quia ex Canonib. 2.3.4.5. hæc verba refert sanctis Apostolis successoribusq; eorū, non oportere præter sententiam eius, nempe summi Pontificis, concilia celebrari: nec Episcopum damnari, certè nihil horum extat in his, aut aliis canonibus ipsius concilij; & quamuis extarent, nihil de appellationum iure agunt: hoc loco sui compos non fuit Vigorius, nec quid velit intelligit: scilicèt plusquam Vatinianum in Sedem Apostolicam odium, eum pœnitus excæcauit.

Vigorius sui est immemor nec quid velit intelligit.

Ad secundum, Felix I. qui 70 an. ante conc. Sardicense floruit, quatuor epistolas conscripsit: Primam ad Paternum Episcopum, Secūdam ad Episcopos per Galliæ prouincias cōstitutos, Tertiam ad Benignum, Quartam verò, cuius fragmētum restat ad Maximum, & Clericos Alexādriæ. In prima hæc habentur: *Si quis super quibuslibet criminibus Clericum pulsandū crediderit, in prouincia, in qua consistit ille qui pulsatur suas exerceat actiones.* Et paulò pòst: *Illi vero qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit liceat appellare Primates; Primates quoq; accusatum discutientes Episcopum, non ante sentētiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti authoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur, aliter irritam censemus, & inanem Episcoporum damnationem.* Ex quo intelligere facile est quo pacto, quod in ep. 2. habet Felix,

cum 70. Episcoporum consilio, causarum cognitio & diiudicatio Episcopis prouincialibus attributa fuerit, ex authoritate nempe Apostolica: itaut tunc lites & accusationes illas Episcopi prouinciales tanquam Sedis Apostolicæ delegati, terminarēt. Ius ergo admittendarū appellationū Romano Pōtifici, iam tum conueniebat, 70. nempe annis ante Sardicense concilium.

Ad tertium, præterquam quod hæresim manifestè sapit, cùm testimonium Scripturæ pro omnibus quæ sunt iuris diuini requirat, quasi ex traditione Apostolica nihil pro hoc iure erui posset. Respondeo, ideo Faustinū Papæ Zozimi legatū in confirmationē iuris illarū appellationū, Scripturæ Sacræ testimoniū nō adduxisse, quòd nullū tale extet: si quidem Apostolorū tēpore, nullæ vel raræ erant Episcoporū contentiones, quippe qui multo sanctiores essent, quā nunc & de martyrio potius quàm de iniuriis propulsandis cogitarent: quinimmò cùm Apostoli omnes contētiones Christianorum acriter reprehenderent, vellentq; eos potius iniuriam pati, quàm coram iudicibus contendere, certū est appellationes Apostolorum tēpore in vsu nō fuisse, & ideo cum ex occasione tātum scripserint (vt aliàs monuimus) nihil de iis sibi scribēdum esse putarūt. Adde primos illos Christianos, multoq; magis Episcopos instar religiosorū valde perfectorū vitam instituisse, ex 4. Act. Apostolorū. Cùm ergo ex præscripto D. Bernardi, *Appellatio in ore monachi nō audiatur*, locū sanè inter primos Christianos, multóq; minùs inter episcopos hę appellationes nō habuerūt.

Quare pro iure appellationum nullum fit in scriptura testimoniū.

Ad quartum, Concilium Sardicēse re ipsa fuit œcumenicum; quæcumque enim ad rationē concilij œ-

cumenici ſpectant, in eo reperiũtur: 370 Epiſcopi ex Oriente, Occidente, & Septentrione illuc, ex Athanaſio in hiſtoria quã de eo ſcripſit, cõuenerunt; nec defuit authoritas Iulij Pontif. per Archidamũ & Philoxenũ Apoſtolicæ Sedis legatos, qui teſte Athanaſio apol. 2ª ei præfuerũt, vt cauſa Athanaſij de qua iã Iulius ipſe iudicauerat, ex ipſius cõſenſu denuò tractaretur, & ad iuſtitiæ normam examinata vltimo iudicio definiretur, ſimulq; ea quę ad vniuersã religionẽ toto orbe propagandã pertinerẽt à Patribus cõſtituerẽtur. Fuit ergo Sardicẽſe cõcilium proprie œcumenicũ, ſi vnquam aliquod tale extitit. Quãobrem meritò vocatur ab Athanaſio Apolog. 2. *inſtar Nycænæ magna Synodus*. ab Auguſt. epiſt. 162. *Plenarium vniuerſæ Eccleſiæ cõciliũ*. à Sulp. Seuero 2. hiſt. *Conciliũ ex toto orbe conuocatũ*, & à Socrate lib. 2. c. 16. *Generale Concilium*. Quod ex fine manifeſtè cõſtat: vbi dicitur, Vniuerſa quę cõſtituta sũt Catholica Eccleſia, toto orbe diffuſa cuſtodiat, quod nũquã patres cõcilij ſcripſiſſent, aut iuſſiſſent, ſi concilium duntaxat prouinciale fuiſſet, neq; enim vnquã prouincialia, aut nationalia id ſibi arrogãrũt, vt totũ orbẽ ſuis decretis & legibus obligarẽt: quod itaq; iſtud conciliũ prouinciale ſcripſerit Vigorius, hoc fecit vel ex errore ſibi cũ hæreticis cõmuni, vel cũ duo Sardicẽſia cõcilia circunferãtur, vnũ legitimum ex Oriẽtis, Occidẽtis, & Septentrionis Epiſcopis coactũ, alterũ vero ſpurium & illegitimũ ab Arianis, Philippopoli ab vrbe Sardica mõte duntaxat ſeparata celebratũ, & ementito nomine Sardicẽſe appellatũ, hoc ſecundũ pro primo accepit: Quod autẽ nõnulli patres orthodoxi, Sardicenſe cõcilium in vniuerſum,

Conciliũ Sardicẽſe vera fuit œcumenicũ.

Duo concilia Sardicenſia, vnum legitimum alterum ſpurium.

tanquam illegitimum reiecerint, neque in Aphricano concilio illius canones à Faustino Zozimi Papæ legato productos vnquam admittere voluerint, causa fuit, quòd non duo concilia Sardicensia, sed vnicum ab Arianis celebratum putauerint; siquidem Ariani Constantij Imperatoris patrocinio fulti & confisi, vt facilius per Ecclesiam acta istius falsi cōcilij tanquam legitima disseminarent, quod Philippopoli actum erat, tāquam in vrbe Sardica, œcumenico cōcilio iam decorata actū fuisset, promulgarūt: sicque decepti sunt Augustinus aliiq; patres Aphricani, qui cùm nullum aliud Sardicense præter istud Arianorum concilium esse putarent, canones à Faustino Zozimi legato tanquam spurios & illegitimos reiecerunt.

At enimvero (inquies) cur Zozimus Papa ad concilium Aphricanum canones Sardicensis concilij pro iure appellationum ad sedem Apostolicam, sub nomine canonum Nicenæ synodi misisset, nisi quod vel Sardicense prouinciale duntaxat existimaret, vel saltem quia non aliud Sardicense ab illo Arianorum concilio putaret? Respondeo neutram ob causam Zozimum Pontificem canones Sardicenses tanquam à Nicæna synodo editos misisse, sed quia olim Nicænum & Sardicense concilium vnum & idem habebatur, cùm paruo temporis interuallo viginti nimirum annis à se inuicem distarent, & iidem ferè patres vtrique interfuissent, nihilque aliud in Sardicensi quàm quod in Nicæno præstitissent, siquidem eius canones vel explicârunt tantùm, vel iterato suo calculo corroborârunt: aut quia canones vtriusque

Cur Zozimus canones Sardicenses, Nicenos appellauerit.

concilij in Romana Bibliotheca, & in quodam vetusto exemplari, quod Dionyſius ante mille annos è Græco in latinum conuertit, quodque etiamnum Atrebati in Monaſterio S. Vedaſti extat, ita coniuncti habeantur, vt vnius & eiuſdem concilii appareāt: vnde ſicut Conſtantinopolitana Synodus paſſim vocatur Nicena, quia eſt explicatio Niceni; ita tres canones Sardicenſes concilii quos Zozimus Papa Aphricanis patribus pro iure appellationū miſit, nō immeritò nomine Nicenorum canonum inſigniuit.

Nonnullæ difficultates de appellationum iure diſſoluuntur.

QVÆSTIO V.

QVoniam pleriſque inuiſæ & odioſæ ſunt iſtæ ad ſedem Apoſtolicam appellationes, nonnulla quæ frequentius illi in ore habent lubet adducere, & diſſoluere. Primùm enim aiunt æquum eſſe, vt cauſæ, lites & negotia in locis vbi orta ſunt, abſolute dirimantur, & definiantur; gratia enim Spiritus Sancti nulli prouinciæ deeſt ad Eccleſiaſtica negotia iuſtè terminanda. Secundo, vt ad Celeſtinum Pontificem patres Aphricani ſcripſerunt, non eſt credibile Deum vni alicui iuſtitiam inſpirare, eamdem vero plurimis in concilio congregatis Sacerdotibus denegare. Tertio, appellationes ex locis valde diſſitis iniuſtitiam fouent, & impios ad liberiùs peccandum excitant, cùm longa & difficilis iuſtitia vel nulla ſit, vel ſaltem nihil aut parum proficiat, tantumque interdum innocentibus quātum reis & ſontibus, noceat, præſertim

vero cùm nō possint partes interdum Romam proficisci, vel propter senectutem, aut sexus infirmitatem; vel quia facultates ad eo commigrandum illis minimè suppetant: in quem sensum scribebat Cyprianus lib. 1. Epistolarum Epist. 3. *Oportet eos qui præsunt non circuncursare*, &c. *sed agere ibi causam suam vbi & accusatores habere & testes sui criminis possunt:* Ideoque in antiquissimis conciliis huiusmodi extra prouincias appellationes prohibitas fuisse notius est quàm quod probari debeat. Concilio Mileuitano cui Augustinus interfuit cap. 22. *Qui ab Episcopis prouocandum putauerint non prouocent, nisi ad Aphricana concilia, vel ad Primates prouinciarū suarum; ad transmarina autem* (quo nomine sedem Romanam intelligit) *qui putauerit appellandum, à nullo intra Aphricam in cōmunionem recipiatur.* & rursus can. 62. *si fuerit prouocatum, eligat qui prouocauerit iudices, & cum eo ille contra quē prouocauerit, vt ab ipsis deinceps nulli liceat prouocare.* Sed ante hæc tempora Aphricani patres iam decreuerant vt Episcopus qui de certis criminibus accusatus concorditer ab omnibus Episcopis eiusdem prouinciæ condemnatus esset, nullo modo ab aliis iudicari posset. Iustinianus Imperator omnem ad Sedē Romanam appellandi facultatem interdixit, neque tamen propterea aut hæreticus, aut schismaticus vnquam est habitus. Codice in authentica. de sanctissimis Episcopis. coll. 9. *Si quis* (inquit) *Sanctissimorum Episcoporum eiusdem synodi dubitationem aliquam habeat, siue pro Ecclesiastico iure siue pro aliis rebus, prius metropolitanorum cum aliis de sua synodo Episcopis causam examinet & iudicet: quod si vtraque pars rata ea non habuerit*

quæ

quæ iudicata ſunt, tunc beatiſſimus Patriarcha diœceſis illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ conueniunt, nulla parte eius ſententiæ contradicere valente. & paulo poſt: *Patriarcha ſecundū leges & canones finem præbeat.* Quam legem ad verbum poſtea retulit Leo Imperator Catholicæ Religionis obſeruantiſſimus; *Si quis lædi ſe exiſtimauerit, prouocet ad illius prouinciæ Patriarcham, atq; iis quæ ipſe iudicauerit omnino pareat, perinde ac ſi eum ab initio iudicem elegiſſet; nam cōtra horum ſententias non eſſe locum appellationi à maioribus noſtris eſt conſtitutum.* Nullá itaque hi Imperatores ad Pontificem Romanum appellationem admitti voluerūt: neque vero ab iis Imperatoribus abhorret D. Bernardus, qui li. 3. de conſi. ad Eugenium ita loquitur: *Quouſque non euigilat tua conſideratio ad tantam appellationum confuſionem? ambitio in Eccleſia per te regnare molitur, præter ius & fas, præter morem & ordinem fiunt* (hæ nempe ad Sedem Apoſtolicam appellationes.) Neq; vero his appellationibus fauet aut ſuffragatur quod ſanctiſſ. Epiſcopi ad hanc Sedem tanquam ad ſacram anchoram ſiue azilū per appellationem confugerint, vt Athanaſius ab Euſebianorum concilio, Chryſoſtomus à Theophilo, & Theodoretus ab Epheſina ſynodo condemnati: id enim fecerunt non propter ſupremam poteſtatem, quam in Romano Pontifice pro iure appellationum recognoſcerent, ſed propter temporum calamitatē & ex propriâ neceſſitate, quæ ad tale remedium eos adigebat, vt teſtantur Socrates lib. 2. cap. 11. & Sozomenus lib. 3° cap. 6. pro Athanaſio: pro Chryſoſtomo verò, eius ad Innocentiū Epiſtolæ & pro Theodoreto Epiſtola ad Leonē, ita vt ad Romanos Ponti-

fices, quia diuites erant, & apud Imperatores magna authoritate pollebant, appellarint, non quòd appellationes ad ipsos iure aliquo deuoluerentur, aliàs enim dicendum esset eos in Imperatoribus, ad quos interdum ipsi prouocârunt, potestatem recipiendarum appellationum in causis Ecclesiasticis agnouisse, quem errorem nemo est, qui tam sanctis patribus audeat affingere. Athanasius ad Constantinum appellauit, vt ipsemet scribit Apolog. 2. Constantinus vero appellatione acceptata, sic ad Episcopos Tyri coactos rescribit: *Quotquot Synodum Tyri habitam compleuistis, sine mora ad pietatis nostræ castra properetis, ac re ipsa quàm rectè ac sincerè iudicaueritis, ostendatis: idque coram me quem sincerum esse Dei ministrum, ne vos quidem ipsi negaueritis.* Ex Socrate lib. 1. cap. 33. Flauianus à Dioscoro Patriarcha condemnatus, ad Imperatores Valentinianum, & Theodosium prouocauit. Donatus à casis nigris, ad Constantinum Imperatorem à iudicio Episcoporum: immò, quod in cœlum vsque schismatis fautores attollunt, ab ipsius Papæ Melchiadis iudicio, vt post Optatum lib. 1. refert Augustinus epist. 162.

Hæc sunt argumenta præcipua quibus appellationes diuino iure Sedi Apostolicæ conuenientes nonnulli funditus nituntur euertere, sed non vident se ius appellationum destruendo, primatum sanctæ Sedis Apostolicæ, si non destruere, saltem vehementer imminuere: quia summum Imperium penes eum est, ad cuius Tribunal prouocatur, & à quo amplius prouocari non licet: sic enim definitur appellatio, ius quo interim prima sententia extinguitur, &

iterum causæ cognitio ad iudicem superiorem deuoluitur: vnde si ex toto orbe ad Pontificem fas sit prouocare, (vt ex superioribus certum est) eum in totum orbem spiritali Imperio à Christo donatum esse, euidenter sequitur: quæ cùm aliundè iam demonstrauerim, restat vt allatis argumentis satisfaciam.

Ad primum, incommoda ista appellationum gratis, & sine valido fundamento ab aduersariis adducuntur: siquidem his satis supérque prouidetur per iudices à Romano Pontifice in partibus delegatos. Ibi enim accusatores, & testes audiuntur: ibi etiam tota causa definitiuè terminatur, quod indies fit in Gallia. Cùm autem hæc praxis Cypriani tempore nondum vigeret, sed Romæ transmare causæ discuterentur & iudicarentur: Ideo conquesti sunt Aphricani patres; sic enim cùm propter locorum distantiam, testes, accusatores, ipsæque partes Romam commoare non possent, sæpe contingebat reos absolui, & innocentes condemnari. Huic autem incommodo, praxi quæ hodie in Ecclesia viget, sine detrimento authoritatis Pontificiæ prouidetur, offensisq; partibus prudẽter, benignè, iustéque succurritur. Quod autem patres Aphricani ad Celestinũ scripserint, non esse credendum vni Deum inspirare iustitiam, & plurimis in concilio congregatis eam denegare, hæc propositio, aliqua moderatione indiget, micamque salis, vt aiunt, desiderat: nam de quæstionibus facti quales sunt eæ quæ pro tribunalibus discutiuntur, non autem de quæstionibus iuris est intelligenda; constat enim Pontificem à Christo hoc priuilegio donatum,

Incommodis appellationum cõmodè prouidetur.

vt nihil quicquam cõtra veritatem, tam in fide quàm in moribus possit definire, cùm hac in re cõcilia prouincialia, quale erat istud Aphricanũ (de generalibus postea dicam) longè superet; quòd autem ipsi Aphricani hac propositione appellationes ad summum Pontificem infirmare, & pœnitus antiquare voluerint, in eo temerè egerunt: tum quia sic à maiorum suorum vestigiis, & exemplis recesserunt, siquidem paucis ante hoc annis, Stephanus Numidiæ Archiepiscopus, aliique Aphricani in tribus conciliis congregati, ad Damasum Pontificem expresse scripserant, neminem Episcopum quãtumcunq; disiunctum, nisi consulto Romano Episcopo damnari debere, & omnes grauiores causas ad illius sacrum tribunal esse referendas; tum etiam quia canones Sardicensis concilij quibus appellationes ad Sedem Romanam cõtinentur; & si à Zozymo, tanquam Nicęne synodi canones citarētur, immeritò, vt antea diximus, tanquã spurios reiecerunt: etsi enim in exemplaribus cõcilij Nicæni quæ iis erant in manibus, nõ extarẽt poterãt tamẽ cogitare multos alios canones à patribus orthodoxis, & etiam ab ipsismet Aphricanis obseruatos in his exemplaribus, non extare: vt canonem illum cuius mentionem facit August. epist. 110. tãquam Nicænæ synodi: *Ne*, scilicèt, *Episcopus sibi successorem faciat.* Et alius à concilio Carthaginensi citatus, *Ne quis nisi ieiunus sacrificet.* Temere ergo nimisq; audacter canones Sardicenses à Zozimo, tanquam Nicænos productos reiecisse manifestum est. Ad 2. canones isti Mileuitani, & Aphricani cõcilij de inferiori clero, non de Episcopis loquuntur, planus siquidẽ est canon 5.us Nicæni con-

Exstant hæ literæ Damasi, tom. 1 cõciliorum.

cilij, *Vt per Episcopos prouinciæ, & per concilia eiusdem clericorum inferiorum causæ terminentur.* Idemq; in Sardicensi concilio can.17. definitur, sed & Iullius Papa inferiori clero priuilegiũ hoc, concessum esse meminit epist.2. ad Orientales cap.17. quin & 3. commonitorij Papæ Zozimi caput est, inferiorũ Clericorum causas, si à suis excommunicati perperam fuerint, apud finitimos Episcopos tractari, hoc autem totum factũ est ad euitãda peregrina iudicia, quæ alioqui magna partibus incõmoda adferunt, non autem ad Romanæ Sedis authoritatem vlla ex parte minuendam, aut euertendam, vt decernit Fabianus Papa epist 3. cap. 2. *Peregrina iudicia salua in omnibus Apostolica authoritate generali sanctione prohibemus, quia indignum est, vt ab externis iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatũ.* Quam exceptionẽ habet etiam Innocentius I. ep.3. cap.3. ex qua Fabiani cõstitutione patet, etiam inferiorum clericorum causas, per appellationem posse à summo Pontifice iudicari; si enim peregrina iudicia salua sẽper Apostolica authoritate prohibeantur, & hæc adhuc restrictio apponatur, nisi fuerit appellatum, euidens est summum Pontificem, de his per viam appellationis posse etiam cognoscere: priuilegium tamen concessum fuit Aphricanis, aut aliis etiam prouinciis, vt huiusmodi clericorum causę à finitimis Episcopis, absque vllo ad Pontificem Romanum perfugio terminarẽtur; sed cum priuilegium legitime possit à concedente reuocari, quandiu Pontifici placuit, & non vltra Aphricanæ cæteræq; prouinciæ, hoc priuilegio sunt potitæ. Et hæc pro canonibus concilij Mileuitani ab Innocentio I. approbati.

In inferiorum causa appellationi ad sedem Pontificiã locus est.

Quod vero ſpectat ad Antiochenum canonem: etſi iuxta fabiam decretum accipi debeat, ſalua nimirum Pontificis Romani authoritate, quam nulli canones poſſunt infirmare; dicimus tamē eum non ſimpliciter, ſed in certis criminibus, & vt loquuntur in certo caſu locum habere, videlicet in cōdemnatione Epiſcopi, ab omnibus collegis prouincialibus vnanimiter facta, qui certè caſus cùm ſit grauiſſimus, appellationes ad certum tempus potuit reſcindere: ita tamen vt ius commune authoritatis Apoſtolicæ nulla ex parte læſerit, aut infirmauerit.

Damnat D. Bernardus abuſum appellationē, ſed non ipſas appellationes.

Ad Bernardum facilis eſt reſponſio: abuſum enim appellationum duntaxat arguit, vt quod nimis facilè, & leuibus de cauſis admitterentur, vel quod maxima earū eſſet multitudo: ita vt confuſionem, & ἀταξίαν quādam in Eccleſiam introduceret, quod verbis ſubſequentibus apertè inſinuat: *Repertum* (inquit) *ad remedium reperitur ad mortem.* Non tamen rectum illarum vſum, aut etiam ius ipſum reprehēdere vnquam habuit in animo: quinimmò ius iſtud epiſt. 190. ad Innocentium diſertiſſimè probat. *Oportet* (inquit) *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei, præſertim quæ de fide contingunt.*

Imperatores Romani non prohibuerunt ad Pontificē appellare.

Ad 3. Iuſtinianus, & Leo Imperatores, ſolùm edixerunt, vt in propriis prouinciis amplius non appellaretur, aliàs nullus eſſet litigandi finis; non tamen vetant, quin ad Petri Sedem appellari poſſit; cùm enim ſua conſtitutione Iuſtinianus, cui conſentit Leo, edixerit, Patriarcham ſecundùm canones liti debere finem imponere: canones autem, vt ante docuimus, ius appellationū ad ſedē Apoſtolicā diſertè ſtatuāt, edi-

ctum Iustiniani & Leonis de iure summi Pontificis nihil planè detrahit, tantumque statuit, vt cùm semel Patriarcha iudicauerit, amplius in prouincia illa patriarchali non appelletur: deinde, quod non leuiter est animaduertendum, cum appellationes ad sedem Apostolicam ex regionibus longinquis non nisi in casu necessitatis aut grauitatis rei, quam specialiter non attigit Iustinianus, fiant: propterea tali occurrente casu lex illius locum non habet, sed casus omissus præsertim si sit grauissimus in dispositione iuris cōmunis relinquitur; ius autem commune est ad sedē Apostolicam saltem pro maioribus & grauioribus causis per appellationem confugere: quod inter alios expresse docet Gregorius in Regist. lib. 2° Epist. 54. vbi de hac Iustiniani constitutione agens, ait in casu quo nullus in prouincia Patriarcha aut Metropolitanus fuerit (potest enim in his sedibus nonnūquam ad longum tempus vocatio contingere) aut quando pars læsa hoc ipsum petierit à sede Apostolica causam audiendam & dirimendam esse.

Ad quartum: & si Athanasius, Paulus, Marcellus, & alij Episcopi ab Arianis è suis sedibus pulsi magna tunc calamitate premerentur, quæque in causa forte fuerit cur à Iulio Romano Pontifice opē expetierint: quod tamen vix de Athanasio crediderim, cum sanctissimus esset Episcopus, suoque gregi potius ne ab Arrianis dissiparetur, quam suæ vitæ suisque commoditatibus consuleret, nihilominus propter prærogatiuum ius quod præter cæteras Romana Ecclesia obtinebat, ad eum potius quàm ad alterum prouocauerunt: Iullius autem Pontifex

Non appellarunt antiqui ad Romanum Pōtificem quod apud imperatores plurimū posset.

eos suis sedibus per humanam aliquam potentiam non restituit, sed per supremum ius à Christo in omnes totius orbis Episcopos & Ecclesias sibi collatum: Illudque ex eo manifeste constat, quod cum Athanasius concilio Eusebianorum qui tunc plurimum apud Imperatorem & Magnates poterant, damnationis sententiam accepisset, nisi Iullius præter humanam potétiam aliam sublimiorem habuisset vix ac ne vix quidem eos suis sedibus restituere potuisset, ideoque apud Sozomenum lib 3. cap. 7. scribitur: *Cum propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum* (Iulium) *spectaret, singulis suas Ecclesias restituit.* Chrysostomus verò ad Innocentium I. appellauit, non quia Ecclesia Romana esset túc in meliore statu, eo siquidem tempore propter continuas Gothorum incursiones, non Romæ, sed Rauennæ agebat Innocétius, vt scribit Orosius lib. 7. c. 37 & *39*. sed propter summá & vniuersalem Innocentij authoritatem, cuius intererat ea toto orbe emendare & corrigere, quæ perperam fiebant: itemque Theodoretus epist. citata appellationem iudicialem se interiecisse significat, nó auté opem aut auxiliú humanum expetiisse. *Vestram* (inquit) *expecto sententiam, si me stare iusseritis, stabo.*

Non est prouocatum à patribus ad Imperatores nisi in causis ciuilibus.

Quod autem sanctissimi quidem Episcopi ad Imperatores nonnunquam prouocauerint: Respondeo eos istud in causis ciuilibus non autem Ecclesiasticis & spiritalibus fecisse, & vt se contra externas iniurias securius præmunirent, vt de Athanasio constat qui homicidij, sacrilegij, reique frumentariç accusatus, quæ crimina ei ab Eusebianis iniquissime imponebantur, ad Imperatorem Constantinum

prouocauit

prouocauit, quod ipſemet tota ſua apologia teſtatur, & præſertim his verbis: *Præclari Euſebiani vt veritatẽ ſcriptaque ſua obliterent nomen ſynodi ſuis actis prætexunt, cum res ipſa negotium Imperatorium non ſynodale haberi debeat, quippe vbi comes præſideat, & milites Epiſcopos ſuo ſatellitio cingant, & Imperatoria edicta quos ipſi volunt coire compellant.* Ab hac igitur violenta ſententia, & quæ via facti procedebat & cui ferendæ comes prefuerat, ad Imperatorem Conſtantinum Athanaſius prouocauit, quod Alexandrina ſynodus his verbis aperte teſtata eſt: *Cum nihil culpę in comminiſtro noſtro Athanaſio reperirent, Comeſque ſumma vi imminens plura contra Athanaſium moliretur, Epiſcopus comitis violentiam fugiens ad religioſiſſimum Imperatorem aſcendit, deprecans & iniquitatem hominis & aduerſariorum calumnias, poſtulãſque vt legitima Epiſcoporum ſynodus indiceretur, aut ipſe ſuam audiret defenſionem.*

Ad appellationem Donati de caſis nigris in cauſa Ceciliani ad eundem Conſtantinum, eadem eſt reſponſio. Cùm enim Donatiſtæ Cecilianum Carthag. Epiſcopum, & qui eum ſequebantur, traditionis diuinorum codicũ in ſæuiſſima Diocletiani perſecutione & aliorum ſcelerum accuſarẽt, cùm hæc cauſa merè ciuilis eſſet, vt ſe ab iniuriis quas propterea ſuſtinebat, Donatus liberaret, haud immeritò ad Imperatorẽ appellauit. Flauianus vero à vi ſibi à Dioſcoro illata ad Imperatorem pariter prouocauit, & eodem tempore ab eiuſdẽ ſynodali condemnatione ad Leonẽ Papã adhuc appellauit: vbi euidẽter conſtat Flauianum ſtatum vtriuſq; cauſæ ſua prouocatione diſtinxiſſe. nam pro vi externa ad Valentinianũ pro

synodali vero cõdemnatione quæ erat Ecclesiastica sententia, ad Leonem Pontificẽ legitimè appellauit.

Ceterum, quia colligere quis posset quod cùm Constantinus post iudicium Episcoporum, & quod difficilius est, ipsius Melchiadis Pontificis de causa Ceciliani petẽtibus Donatistis cognouerit, principes Magistratusque seculares non obstante iudicio summi Pontificis de causis Clericorum posse denuo cognoscere, breuiter quo pacto se hac in parte gesserit Constantinus ex Augustino & Optato referemus. Augustinus siquidem epist. 166 ita loquitur: *Post iudicium Episcoporum de causa Ceciliani cognouit Constãtinus, non quia necesse erat, sed vt eorum*, nempe Donatistarum, *peruersitatibus cederet, omni modo cupiens tantã impudentiam cohibere, nec quia hoc ius ad eum pertineret, sed vt expresse hic ait, à sanctis antistitibus postea veniam petiturus:* Optatus vero lib. 1° contra Parmenianum refert Imperatorem aduersus ipsos Donatistas exclamasse: *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet appellationem interposuerunt.*

Quomodo Constantinus de causis Clericorum cognouerit.

Ex quo Constantini facto nihil iuris secularibus magistratibus quæritur, vt causas Clericorum iam ab Ecclesia iudicatas possint retractare, aut denuo iudicare; nisi forte abusum intolerabilem & iniuriam manifestam Ecclesiastica sententia contineret; tunc enim ab iniquo iudicio posset Clericus ad secularia tribunalia tuto prouocare, vbi alia via minimè pateret, quod tamen temerè aut leuiter, vt in plerisque locis magno Ecclesiasticæ potestatis & immunitatis damno accidit, non est faciendum.

De electionibus Ecclesiæ ministrorum.

QVÆSTIO VI.

VIGORIVS cap.9.sui libri contendit electiones ministrorum Ecclesiæ, præsertim Episcoporum (nam de his duntaxat disserit) esse iuris diuini, & naturalis, eásque à populo & clero fieri debere, itaut collationes beneficiorum, vt Episcopatuũ, quæ sibi Summus Pontifex hoc tempore reseruat, nullum in iure diuino & antiqua Ecclesiæ traditione fundamentum habeant: & quia hæc opinio pugnat contra concordata Leonis X[i], & Francisci I[i], quibus hæ electiones abrogantur, respõdet Vigorius Regẽ vices populi supplere, quippe cũ populus omnẽ quã àntea ad eligendos Ecclesiæ ministros potestatem habebat, in Regem transtulerit, ideoque modum illum, quo prouisiones beneficiorum consistorialium, vt vocant, per Regis nominationem & Pontificis collationem fiunt, esse legitimum & validum, neque cum iure diuino, aut naturali vllo modo pugnare.

Catholicorum sententia contra Vigorium in tribus consistit; Primò, electionem Episcoporum nunquam à populo factam esse, nec etiam debere fieri. Secundò, & si à Clero antiquitùs facta fuerit electio, iustis tamen de causis in Ecclesia modum hunc immutatum esse, & Regibus Galliæ atque Pontificibus inuicem ad canonicam beneficij assecutionem concurrentibus, relictum. Tertiò perperam docere Vigorium, ideo Regi ius præsentationis ad maiora beneficia competere, quia populus ius suum in Regem

transtulit. Quod spectat ad primum, Caluinistam se prodit Vigorius. Caluinus quippe 4. Instit. cap. 3. nu. 15. & cap. 4. num. 11. expresse asserit Ecclesiæ ministrorum electionem, non solùm à magistratu, sed à tota plebe, suffragiisque omnium vel saltem plurium fieri debere: idque ex Apostolorum & veteris Ecclesiæ instituto; quâ eligendi formâ cùm Ecclesiæ Romana careat, nullam amplius in ea veram ministrorum vocationem extare contendit: quam hæresim facilè est explodere, simulque docere nusquam in primitiua, & veteri Ecclesia ius eligendi Episcopos penes populum extitisse.

Electio ministrorũ Ecclesiæ nunquam est facta à populo.

Sciendum ergo est multis seculis penes populum fidelem viguisse, & etiamnum in plerisque locis adhuc vigere hanc consuetudinem, qua populus præsentationem ministrorum, & consensum in eorum electionem habuerit, & habeat, ad maiorem Ecclesiæ pacem, & promptiorem obedientiam, vt disertè testatur Leo *Propter pacem & Deo placitam concordiam consonis omnium studiis qui doctor pacis futurus est, ordinatur.* Sed quod populus ministros Ecclesiæ elegerit, aut ius aliquod spiritale ministris contulerit, nusquam Caluinus & Vigorius ex Nouo Testamento, aut vsu primitiuæ Ecclesiæ efficient, Act. 6. *Septem draconi à multitudine fidelium ante conspectum Apostolorum statuuntur*, id est, offeruntur & populi testimonio commēdātur; nullum tamen inde ius spiritale ipsis Diaconis accessit, donec Apostoli illos acceptâssent, elegissent, manusque imposuissent; cùm enim in Ecclesiæ ministro tria desiderentur, fidei integritas, doctrinæ sufficiētia, & vitæ probitas ad huius tertij certitudinem populi

Christiani testimonia postulabantur, immò ipsorum etiam infidelium: prioris enim ad Timoth. 3. vult Apostolus Episcopum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, quod expresse in concilio Carthaginensi declaratur: *Non fuit frustra à patribus institutum, vt de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia de vita & moribus præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis:* cui consentit Cyprianus lib. 1. epist. 3. *Ex diuina authoritate descendit, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio comprobetur.* Idemque repetit epist. 4. eiusdem libri: *Vt plebs præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Leo epist. 87. *Sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solùm attestatione fidelium, sed etiam illorum qui foris sunt testimoniis muniatur, neque vllius scandali relinquatur occasio.* Hic ergo viguit mos in antiqua Ecclesia, vt scilicèt coram populo testimonium de vitæ probitate ferente, electio ministrorum ab Episcopis fieret, quod cum non distinxerit, vel distinguere noluerit Vigorius, impegit in scopulos Caluinianos, quibus tota Ecclesiæ Hierarchia subuertitur.

Potestas Ecclesiæ ministrorum tribus de causis est spiritalis.

Secundo: Potestas Episcoporum, & cæterorum Ecclesiæ ministrorum merè est spiritalis, populus autem nullam habet potestatem spiritalem, sed si quam habet, tantùm est ciuilis & humana: ergo non potest alicui talem potestatem conferre; nemo enim alteri quod non habet dare potest, ac proinde nullum Ecclesiæ ministrum poterit eligere, cùm electio canonica sit spiritalis collatio, qua populus destitui-

tur. Maior argumenti, quod nempe poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ, ſit merè ſpiritalis, probatur ex triplici capite, ex obiecto nempe, quod eſt omninò ſpirituale, vt adminiſtratio ſacramentorum, vſus clauiũ regni cœlorum, reſeratio theſauri indulgentiarum, & in ſumma, cura animarũ, non corporum; ex fine, qui eſt æterna beatitudo ad quam ſuos filios cupit Eccleſia perducere. Ex modo denique quo confertur ipſa poteſtas, infunditur enim ſupernaturaliter à Deo nõ minùs quàm reliqua Spiritus ſancti dona, non vi alicuius actionis naturalis, ſed virtute ſacramenti à Chriſto inſtituti, quod tamen potiùs de poteſtate ordinis quàm iuriſdictionis intelligitur. Minor verò notiſſima eſt; vel enim poteſtas ſpiritalis conueniret populo quatenus eſt populus, vel quatenus eſt fidelis; non priùs quia ſic Turcæ & infideles omnes poteſtatem ſpiritalem haberent, quod nunquá concedet Vigorius: non poſterius, quia etſi populus fidelis characterem Baptiſmalem habeat, hic tamen non ad eligẽdos, ſeu inſtituendos Eccleſiæ miniſtros refertur, ſed vt à peccato originali liberemur, Chriſto inſeramur, & aliorum ſacramentorum, atque ſuffragiorum Eccleſiæ capaces, & participes efficiamur.

Poteſtas Eccleſiæ miniſtrorum tribus de cauſis eſt ſpiritalis.

Tertiò, ad electionem alicuius in officium aliquod graue & arduum, quale eſt Eccléſiaſticnm maxima requiritur ſcientia & prudentia: atqui populus demens eſt, & præcipitis admodum iudicij, belluaque, vt aiũt, multorum capitum: igitur de perſonæ eligendæ ſufficientia, idoneitate & capacitate iudicare non poteſt. Quare peſſime cum Eccleſia actum fuiſſet, ſi poteſtas eligendi ſacros miniſtros, iudicio aut arbitrio populi relicta fuiſſet.

Ex quibus colligitur electionem canonicam ministrorum à Clero, præsidente Episcopo olim factam fuisse, præsentationem verò, seu potiùs vitæ probitatis testificationem penes populum fuisse: quæ duo tertium concilium Carthaginense expresse distinxit can.22. vbi ad electionem duo requirit, Episcoporum examen, & populi testimonium: & Leo epist.90. dicit Episcopos à Clericis eligendos, & à plebe expetẽdos, & omnium apertissimè Stephanus Papa decretali ad Rauennatem episcopum: *Sacerdotum electioni fidelis populi consensus est adhibendus, quia ducendus est populus, non sequendus.* Denique concilium Laodicense can.23. vbi populo electio eorum qui ad sacerdotium sunt prouehendi prorsus interdicitur. Quem canonem si non ad verbum, saltem ad sensum Martinus Bracharensis in Capitulis Græcarum synodorum recensuit.

Electio ministrorũ Ecclesiæ à Clero præsidẽte Episcopo olim fiebat.

Sed aduersus hanc Catholicorum assertionem multa opponit Vigorius: Primùm enim (inquit) *licèt Deus speciali iussu Reges constituerit, electionem tamen à populo fieri præcepit,* Deuteron.17. & 1. Reg. cap.10. & 16. & lib.2. cap.2. *Saül, & Dauid iam à Samuële vnctos Deus à populo eligi iussit.* Respõdeo, vt vt sit de electione Saül & Dauid, à populo, de qua iã suprà fusè disseruimus, diuersam esse rationẽ Regum, & Ecclesiæ ministrorũ. Cùm enim Reges potestatẽ suã à populo originaliter, si ita loqui fas est, accipiãt; aut, vt hoc cap. dicit Vigor. populus in eos totã suam potestatẽ trãstulerit, nõ mirũ est, si olim quos iã Deus destinauerat & cõstituerat populus elegerit: at ministri Ecclesiæ potestatẽ suã à solo Christo diuinitus accipiũt, ideoq; electione populi nõ egẽt, neq; vnquã ea opus habuerũt, sed tantũ

Cur Ecclesiæ ministri eligi à populo non debeant.

vt diximus, consensu & approbatione, aut vitæ morumque probitatis attestatione; ideoque Deuteron. 17. & locis citatis Regum, populus nullum ius Regibus suis cõtulit, sed tantùm electos à Deo acceptauit, siquidem in Deuteronomio ita scribitur: *Constitues eum quem elegerit Dominus de medio fratrum tuorum*, id est, acceptabis, nec ab electione diuina ne latum quidẽ vnguem recedes. Secundò obiicit, Num. 20. dixit Deus Moysi: *Præhende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eum in montem coram Synagoga.* Quo ex loco (inquit Vigorius) probat Cyprianus electiones esse iuris diuini, sic enim loquitur: *Coram omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem* (id est) *instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, & sit ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium iudicio, & suffragio fuerit examinata, quod postea secundùm diuina magisteria obseruatur in actis Apostolorum.* Hæc Cyprianus: Qui per diuina magisteria præceptum Christi ministros populi suffragio eligendi manifestè ostendit. Respondeo primò, Vigorium adulterâsse locũ Numerorum: Non enim Deus Moïsi præcepit, vt Aaron, & filium eius in mõtem Hor coram tota multitudine duceret, sed solùm, vt Aaron vestibus Sacerdotalibus exueret, quibus mox filium eius Eleazarum indueret. Et licèt Moses duxerit eos postea in mõtem coram tota multitudine, non propterea sequitur Deum præcepisse Mosi, vt ipsa multitudo electioni (hoc enim fingit Vigorius) consentiret, sed solùm tunc multitudinem huic spectaculo interfuisse. Deinde esto ex Dei præcepto, hæc multitudo Eleazari inaugurationi interfuerit,

fuerit, an propterea sequeretur hãc multitudinẽ Eleazarum elegisse, & Sacerdotalem potestatem ei contulisse, certè cùm Moses nec eorum suffragia, nec consensum ad Eleazari sacerdotiũ postulauerit, signum est eorum præsentiam nihil quidquam iuris Eleazaro tribuisse.

Sed instat Vigorius, cõcludere ex hoc loco Cyprianum electiones populares iuris esse diuini. Respõdeo nolle Cyprianum populo ius eligendi sacerdotes cõpetere, minusq; illi iure diuino talem potestatem conuenire; sed tantùm ordinationẽ sacerdotalem populum sua pręsentia decorare debere, ei fauere, annuere, cõsentire, atq; probitatis testimonium ordinato præbere; hæc enim verba, *non nisi sub populi assistentis conscientia*, ad populi consensum erga eũ qui eligitur, referũtur, alia verò, *vt ordinatio legitima habeatur quæ omnium iudicio fuerit examinata*, ad testimonium vitæ morumque probitatis: quæ duo secundum diuina magisteria, & de diuina authoritate, atque traditione meritò ait Cyprianus descendere, vt ex plerisque locis Actuum & Epistolarum Pauli colligitur; eiusque rei in quibusdam locis vestigia etiam-num apparent. Nam certis destinatisque anni temporibus in publico, & notissimo loco fiunt Sacerdotum, & Episcoporum ordinationes, vt contra ordinãdos liberè possit vnusquisque audiri, ob eamque causam in Diaconorum ordinatione ab Archidiacono petit Episcopus, an eos dignos esse tali ordine, & ministerio sciat; cui cum respõdit Archidiaconus, *quantũ humana fragilitas nosse sinit, & scio & testificor*, subiungit Episcopus, *si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, & pro*

Cur populus si nõ eligat ad præsẽs electioni ministrorum olim esse debebat.

pter Deum, cum fiducia exeat, & dicat, verumtamen memor ſit conditionis humanæ. Idem quoque verbis paulò amplioribus in Preſbyteri ordinatione repetitur, qui mos ab antiqua traditione procul dubio dimanauit, nemo tamen propterea meritò colliget populum ius aliquod in electionem Diaconorum, aut Preſbyterorum habere.

Tertiò, 1. ad Timoth. 4. Apiſtoli Epiſcopos per ſingulas Eccleſias conſtituebant conuocato Preſbyterio: & Act. 14. *Cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Preſbyteros:* vbi habetur verbum χειροτονήσαντες, id eſt, ſuffragiis conſtituentes. Balſamon, in Can. 13. Concilij Aphric. ait χειροτονίαν eſſe electionem χειροθεσίαν verò ordinationem. Ad priorem locum reſpondeo vocem hanc Preſbyterium eſſe ambiguam, vel enim ſignificat congregationem ſeniorum, ſiue Sacerdotum, ſiue laicorum, vel Senatum Sacrum, ſeu collectionem miniſtrorũ Eccleſiæ. Priori modo ſeniores illi, nunquam ſuffragia pro miniſtris eligendis dederunt, ſed tantùm conſenſerunt, & approbarunt electionem per Apoſtolos, & Clerum factam, eo ſenſu quo expoſuimus; poſteriori vero Clerici ſeu miniſtri, iam ordinati in Epiſcoporum conſtitutione per ſingulas Eccleſias ſuffragio gaudere potuerunt: ſiquidem Apoſtolorum tempore nonnunquam hoc modo & ritu electi ſunt Epiſcopi, quãuis hoc non eſſet neceſſe; Apoſtoli enim pro ſuæ poteſtatis plenitudine, aliquos ad Epiſcopatum, abſque aliorum ſuffragiis interdum euexerunt, vt Paulus Titum, cap. 1. epiſtolæ ad eundem: Quod enim ſubdit Vigorius, Paulum dici eum elegiſſe, non quòd ſolus elegerit, ſed

quòd electioni præfuerit, friuolum eſt, & nugatorium, imo contra textum in quo ſolius Pauli in hac electione Titi fit mentio. Ad poſteriorem locum (quicquid ſit de hac voce χειροτονήσαντες) conſtat eam duntaxat ad Paulum & Barnabam, non ad plebeiam multitudinem referri: ideoque hoc loco nõ populi, ſed Epiſcoporum electio, quales erant Paulus& Barnabas, aperte inſinuatur, de his enim ſolis vox illa dicitur. Quod autem ſpectat ad nomen χειροτονία tam in ſcriptura ſacra, quàm apud patres Eccleſiaſticos nuſquam pro extenſione manuum ad ſuffragia ferenda, ſed pro impoſitione manuum ad ordinationis ſacramentum, ſumptum legitur. Ideoque etiã ſi hæc duo vocabula χειροτονία καὶ χειροθεσία etymo & originatione differant, & ex ſe diuerſas habeant ſignificationes, in Eccleſia tamen& in ſcriptura idem nempe impoſitionem manuum ſignificant, idque patet, primo, quia nomen illud refertur ad Epiſcopos, quorum non eſt manus inſtar ſuffragantiũ extẽdere, & eleuare, ſed potius inſtar ordinantiũ imponere. Deinde quia vetus interpres vertit hoc verbum χειροτονεῖν, conſtituere: conſtitutio autem Presbyterorum fit per manuum impoſitionem, vt act. 6. *quos conſtituimus ſuper hoc opus.* Et paulo poſt ſubditur modus conſtitutionis, *orantes impoſuerunt eis manus.* Rurſus 2. ad Corinth. 8° Paulus loquens de Barnaba qui ordinatus fuerat comes peregrinationis eius, vtitur hoc verbo χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν Εκκλησίων hoc autem factum eſt actum 13. cùm ei manus imponerentur, & ad opus Apoſtolatus vnà cum Paulo ſegregaretur: ſic Chryſoſtomus, Theodoretus, &

Quid ſit proprie χειροτονία, vt in actis apoſtolorum ſumitur.

alij Græci interpretes exponunt. Item actu. 1. & 2° Apoſtolorum hoc ſenſu verbo χειροτονεῖν vtuntur, cùm de ordinatione Epiſcopi per duos aut tres Epiſcopos, vel Presbyteri per vnum Epiſcopum loquuntur, quo loco Zonaras ſcholiaſtes eruditè obſeruat olim vocem illam χειροτονεῖν extenſionem manuũ ad ferenda ſuffragia ſignificaſſe. nunc autẽ (inquit) χειροτονία vocatur, dum quis Sacerdotio initiatur, abſolutio precum Sanctique Spiritus inuocatio. ſic & Hieronymus in 38. Iſayæ χειροτονία eſt *ordinatio Clericorum, quæ non ſolum ad imprecationẽ vocis, ſed etiã ad impoſitionem manuum impletur.* ſic Theodoretus quęſt. 48. in Numeros à Pontificibus ordinari vocat χειροτονίαν δέχεσθαι. Et hæc de voce χειροτονήσαντες aduerſus Vigorium, Caluinum & alios dicta ſint, vt vaniſſimam eorum cauillationem, & indoctam interpretationem pro electionibus popularibus oſtendamus.

Quarto, decretum eſt in Nicæna ſynodo can. 4. (quam vt ſacram ſcripturam venerari nos docent Pontifices) *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui ſunt in prouincia conſtitui*: Reſpondeo ab hoc canone nomen Epiſcopi ex quo tota argumenti ſolutio dependet, Vigorium cautè ac ſubdolè ſuppreſſiſſe & reticuiſſe, ex eo enim euidenter conſtat nō de populo & inferiori clero, vt per hanc particulam (omnibus) ſolam ac ſeorſim poſitam conaturo btrudere, ſed tantum nullum in Epiſcopum eligendum & ordinandum eſſe niſi omnes Epiſcopi prouinciæ cōueniant. Verba canonis ſunt: *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui ſunt intra*

prouinciam Episcopis ordinari; si autem hoc difficile fuerit, aut propter vrgentem necessitatem, aut propter longitudinẽ itineris omnimodo tres in vnum conuenientes consentientibus & his qui absentes sunt Episcopis & spōdẽtibus perscriptã tũc manus impositionem fieri. Quo in canone nulla populi, ne quidem obiter fit mentio. Sed esto has leuioris momenti rationes pro electione populari attulerit Vigorius, vt quæstionem tamen amplificemus, suisque numeris absoluamus, alia multo maiora quæ huic suffragari videntur placet attexere, & quidem primùm in concilio Antiocheno vetitum est, *ne quis inuitis populis ingeratur.* Cui conformiter Cyprianus lib. 1. Epist. 3ª ait ipsam plebem maximè potestatem habere vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Leo magnus Epist. 90. cap. 1. *Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur*, iuxta illud: quod tangit omnes, ab omnibus approbetur: atqui Episcopus non solum clero, sed & laïcis sua electione & ordinatione præficitur: ergo non solum à clero sed à populari multitudine erit eligendus: quod ex facto Nectarij euidentissimè confirmatur: cum enim synodus Constantinopolitana ipsum vellet in Episcopum ordinare, nunquam ad hãc ordinationẽ acceptandam induci potuit; donec totius cleri & populi Constantinopolitani approbatio accessisset, vt eius ad synodum Romanam epistola declarat: quod in ordinatione Athanasij, post Petrũ Alexandrinum fuit obseruatum; refert enim Theodoretus magistratus, proceres, populumque vniuersum sua acclamatione eum approbasse, ideoque non immeritò Hieronymus epistola ad Rusticum

monachum breui in Clericorum ordinem cooptandum, ita loquitur: *Si te vel Pontifex, vel populus ciuitatis in Clerum elegerit:* Vnde si quando in his Episcoporũ electionibus in populo esset coorta seditio, non tamen propterea iure eligẽdi priuabatur, sed priùs per magistratum tumultus componebatur, & posteà ad electionem accedebatur: quod elegantissime prosequitur D. Leo epist. 87. *Expectanda sunt vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitriũ, electio Clericorum, aliter fieri nulla ratio sinit.* Verùm hæc non minori quàm argumẽta Vigorij facilitate diluuntur. probãt enim dũtaxat concurrisse consensum populi in Episcoporum & Sacerdotum ordinationibus ad maiorẽ Ecclesiæ pacem, promptiorem obedientiã, & vt maiori amore electos prosequeretur, non tamẽ efficiũt populum ius eligendi habuisse, aut aliquod ius spiritale Episcopis & Sacerdotibus contulisse.

Consensus populi in electionem ministrorum non est iure diuino necessarius.

Quæres, an hic populi consensus iure diuino sit necessarius, itaut nullo vnquam tempore in contrarium præscribi possit, nec quocũque priuilegio illud tolli? Affirmant Richerius & Vigorius, sed nihilominus certum est hunc cõsensum nullo modo nedum iure diuino esse necessariũ, sed tantùm propter rationes allatas vtilem & optabilẽ: primùm quia nonnunquam reiectus est, aut saltẽ pro nihilo habitus; quinimmo si cõtingeret populum ab electione facta per Clerum dissentire vim habere nõ desinebat Episcopalis electio, idque ex 36 canone Apostolorum: *Si quis Episcopus electus, aut Presbyter, aut Diaconus, non fuerit à populo illius loci admissus, idque non sua culpa, sed populi vitio, ipse quidem maneat Episcopus, &c. Clerici verò illius*

ciuitatis qui non fuerint correctores populi inobedientis, excommunicentur. & in concilio Antioch. can. 18. *Episcopus reluctante plebe ordinatus honorem Episcopalem retinere iubetur.* Secundo, popularis iste consensus seu electio, vt vocat Vigorius, non iure diuino, sed politiæ causa olim in Ecclesiam introductus est, vt populi Episcopum quem elegissent, seu potiùs in cuius electionem consensissent, ardentiùs diligerent, eique promptiùs obedirent: & præterea ad vitæ probatę testificationẽ, vt suprà ex antiquis canonibus ostendimus: Atqui politia pro ratione temporum, locorum, atque personarum mutatur, vt constat experientiâ; igitur iure diuino consensus populi ad eligendũ Episcopum nunquam fuit necessarius. Tertio, In primitiua Ecclesia pauci erant Christiani, & omnes admodũ pij, nullisq; passionibus aut cupiditatibus, vt odio, ira, & spe præpediti, vt sæpiùs hoc tẽpore, in quo ad fines seculorũ deuenimus: contingit igitur licet in prima illâ & sanctiore Ecclesia nihil obstaret audiri populũ, eiusque consensum expectari in Episcoporum electionibus, his tamen temporibus quibus pietas defecit, & abundauit iniquitas, detrimẽto potiùs quàm vtilitati foret ille populi cõsensus, vt ex iis quæ in electionibus popularibus aliquando contigerunt, videre licet, pręsertim in electionibus Damasi, Bonifacij II. Cunonis, Sergij, Pauli I. & Constantini Romanorum Pontificum, ex Platina in vita eorumdem Pontificum: extat etiam Gregorij Nazianzeni in oratione funebri patris sui, & Chrysostomi lib. 3. de Sacerdotio, contra hos populares tumultus, qui in electionibus Episcoporum plerumque contingebant querela grauissima,

Consensus populi fuit expetitus ad politiam.

vnde constat Christum iuris diuini authorem hunc populi consensum in electionibus ministrorum Ecclesiæ non præcepisse, sed eum potius liberum reliquisse, vt si expedire iudicaretur, expectaretur; sin minus electio facta per Clerum rata esse non desineret.

Ex quibus secūdū huius quæstionis caput solutum manet, & luculēter expositū, nēpe modū eligēdi Episcopos in Ecclesia fuisse variis mutationibus obnoxium: siquidē in primitiua Ecclesia, vbi rari erāt Christiani, populi cōsensus adhibebatur, ita tamē vt nōnūquā negligeretur: nec desinerēt ministri per Clerū electi rite ordinari. Secundus modus fuit, vt Episcopi non expetito populi cōsensu per solos Clericos prouinciæ, vel vrbis cui erant præficiendi eligerentur. Sed quia hic modus iure diuino, aut naturali non præscribitur, ideo ab Ecclesia, & summo Pontifice potuit hoc nostro tempore immutari, ita vt iam per Clericorum suffragia amplius non creentur, saltem in Gallia, & plerisque aliis locis: quod autem modus ille non sit iuris diuini probatur, quòd nullum in iure diuino tale præceptum extet; quæ enim ex Actis Apostolorum proferuntur, vt electiones septem Diaconorum Timothæi, Titi, & aliorum tam Episcoporum quàm Presbyterorum, vim legis nequaquam obtinent, nemo enim meritò dixerit Act. 14. his verbis: *Cùm constituissent*, nempe Paulus, & Barnabas, *per singulas Ecclesias Presbyteros*, & Act. 13. *tunc ieiunantes & orantes imposuerūt illis manus* & 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ tibi data est per impositionem manuum Presbyterij;* nemo inquam dixerit his verbis describi præceptum diuinum electionum per Clericorum suffragia faciēdarū; sunt

Modus eligendi episcopos mutationi obnoxius.

Sunt quidem exempla quæ imitari apprimè cõducit, & quæ antiquitùs vſque ad Franciſcum I. in Gallia viguerunt, ſed quòd præceptum diuinum arguant, nõ video, vt neque etiam naturale. nam vt in Elencho cõtra Richeriũ diximus, Ius naturale definitur, quod nulla adhibita finis aut circunſtantiarum conſideratione, ſtatim vnicuique occurrit, vt, Deum eſſe colendum, parentibus obtemperandum, nemini inferendã iniuriam. at nemo dixerit electiones prælatorũ æquè ac illa præcepta vnicuique ſtatim in mentẽ venire.

Electiones Epiſcoporum non ſunt de iure naturali nec diuino.

Inſtat Vigorius: Electiones ſunt traditionis Apoſtolicæ: atqui traditiones Apoſtolicæ eiuſdem ſunt momenti ac quæ in ſacris litteris continentur, ex cõcilio Trid. ſeſſ. 4. igitur ſunt iuris diuini. Reſpondeo traditiones Apoſtolicas eſſe duplicis generis. quædã enim ſunt diuinæ, quas tanquam à Chriſto acceptas Eccleſiæ Apoſtoli tradiderunt, qualia præſertim ſunt quæ ad fidem & ſacramenta pertinent, vt 1. ad Corin. 11, agens Apoſtolus de Euchariſtiæ ſacramẽto ait: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*: quædã verò duntaxat Apoſtolicæ, quas Apoſtoli tanquam paſtores Eccleſiarum authoritate propria inſtituerunt, & Eccleſiæ tradiderunt, vt Quadrageſimæ, & Quatuor temporum inſtitutio. Patet hoc ex 1. ad Corin. cap. 7. *Præcipio ego, non Dominus*. & poſteà, *Dico ego, non Dominus*: & hoc poſteriori modo electio miniſtrorũ per clericorum ſuffragia Apoſtolicæ traditionis dicitur: quamuis etiam contra Vigorium omnino ſtatuendũ ſit traditionem hanc Apoſtolicam nullum præceptũ continere, ſed tantùm exemplum & factum ipſorum Apoſtolorum, qui aliquos in Eccleſia miniſtros aſſu-

Electiones ſunt traditionis Apoſtolicæ, abſque vllo tamẽ præcepto.

mebant. ex quo manifestè sequitur summum Pontificem pro suæ potestatis plenitudine modum hūc potuisse legitimè immutare, & hanc electionem Episcoporum ad collationem quæ nunc viget, redigere.

Vbi obiter lectorem monuerim, me nolle formam hanc eligendi Ecclesiæ ministros antiquitùs in Ecclesia obseruatam tantillum carpere, aut reprehendere: scio enim viros doctos & de Ecclesia optimè meritos eam plurimùm commēdare, & malorum quæ posteà in Ecclesiam irrepserunt causam, ad illius desuetudinē referre. Qua de re cùm vltro citroque rationes adducantur, & vtraque pars identidem defendatur, cōsultius me facturum puto, si meum cohibeam iudicium, & in obsequium Romanæ sedis, quam Spiritus Sanctus dirigit ac continenter moderatur, intellectum meum frænem & captiuem: ita tamē vt omnes certo teneant Pontificem Romanū Episcopatus & reliqua beneficia conferendo nihil quicquam contra ius diuinum & naturale peccare, sed pro suæ potestatis plenitudine electiones antiquas abrogare potuisse. Quod his rationibus facilè demōstratur: ex Euangelio quippe habemus Ecclesiā vniuersam S. Petro fuisse commissam, Ioānis vltimo, ideoq; ad illum spectare vt Christianis ministros qui eorum curam gerāt constituat, & quomodocunque prouideat. Deinde si ad Clerum iure diuino pertineret electio, ad totū Clerū sine dubio pertineret; neq; enim ius diuinū definiuit hos potius quàm illos ad Episcoporū, & aliorum ministrorum electionem debere conuenire; at non omnibus Clericis ius eligendi cōpetit: siquidem soli canonici cathedralium Ecclesiarū suos Episcopos, soli

Vsum electionum olim obseruatum non vult author reprehendere.

Pontifex legitime potuit abrogare vsum antiquum electionum.

monachi ſuos Abbates eligere conſueuerunt, ſicut alij inferiores canonici ſuos decanos & præfectos. Dices, maiores Clericos inferiorum vices gerere, & ſic quod faciũt, tam ſuo quàm aliorũ nomine facere. Sed cõtra, ſæpe enim inferiores de iis quos maiores elegerunt, conqueruntur, & interdum antequã ordinentur publicè aduerſus eos expoſtulant: igitur maiores Clerici ſolùm proprio nomine, non autẽ inferiorum eligunt. Tertio, D. Petrus quem Vigorius ius diuinum & naturale ignorâſſe, nunquam dicere audebit, non ſolùm in Eccleſia Romana D. Clementem ſucceſſorem ſibi delegit, ſed etiã per diuerſa loca diuerſos Epiſcopos deſtinauit, idq; abſque Clericorum conuentu, ſaltem de hac clericorum conuocatione nihil pœnitus ſcriptũ eſſe conſtat. quare non niſi temerè dici poteſt eum clericos ad deſtinandos Epiſcopos conuocâſſe. quod autem variis prouinciis varios Epiſcopos deſtinarit, id ex vna Gallia ne per alias prouincias curioſiùs diuagemur manifeſtum eſt: ſiquidẽ in Aquitaniam Martialem, Remos Sixtum, Arelatẽ Trophimum, Senonas Sabinianum, Cænomanũ Iulianum, Biturigas Vrſinum, Auſtremoniũ in Aruerniã, Eutropium Sanctonas, Maternum & Valeriũ Coloniam miſit, & harum Galliæ prouinciarũ Epiſcopos creauit; hæc autẽ creatio vera erat collatio, praxi quæ nunc in Eccleſia viget belliſſimè reſpõdens: igitur non ſine exemplo eoq; locupletiſſimo & antiquiſſimo ius beneficia & Epiſcopatus conferendi ſibi Pontifices retinuerunt. Quarto, quicquid ſit de aliis Eccleſiæ prouinciis, in quibus qua ratione Epiſcopi inſtituantur, mihi Gallo non adeo liquet: omnes tamẽ Galliæ Epiſcopi ea for-

mulâ in ſuis ſcribendis literis vti aſſolent, vt Dei & S. Sedis Apoſtolicæ gratia ſe Epiſcopos fateãtur; neque profectò credibile eſt, inſcriptionem hanc nouiſſimis hiſce ſeculis incepiſſe; cùm enim Galli acerrimi ſemper fuerint ſuæ libertatis vindices, nunquã hoc iugũ ſibi imponi paſſi eſſent niſi vnà cum naſcẽte Eccleſia apud eos fuiſſet introductum, vt nẽpe ſummus Põtifex in eorũ inſtitutione vel per ſe, vel per aliũ, vel mediatè, vel immediatè authoritatem iuſque ſemper habuiſſet, etiã cùm vigerent electiones. Poſtremo, iure diuino non prohibetur Epiſcopum ſibi ſucceſſorem deligere, hoc enim fecerunt D. Petrus, Valerius Hipponenſis, & Seuerus Mileuitanus, quorum primus D. Clementem, ſecundus Auguſtinum, & tertius alium qui ei re vera ſucceſſit. Atqui certũ eſt eos nõ ignoraſſe ius diuinũ, neq; quicquã cõtra illud agere voluiſſe.

Dices, ad Romanum Pontificem dũtaxat pertinere electionis factæ per Canonicos confirmationẽ, hanc autem non tam eſſe iuris collationẽ, quàm eius quod iam factum eſt, approbationẽ. Sed contra; huiuſmodi enim confirmatio non eſt ratihabitio, ſed cõceſſio & collatio totius iuris; quippe cum ante hanc cõfirmationem, Epiſcopus electus Vicarios conſtituere, cõferre beneficia, gaudere temporalibus, & cetera alia Epiſcoporum propria exercere nõ poſſit, aliàs dignus eſt qui excõmunicetur, mulctetur & cẽſura notetur, itaut Canonicorũ electio ſit veluti perſonæ deſignatio ſeu nominatio, quam Pontifex per ſe vel per aliũ, ſi nihil obeſſet, acceptat. Inſtabis, antiquitùs in Galliâ ad ſummum Pontificẽ epiſcopos electos non confugiſſe, ſed ad metropolitanum aut Primatem, qui viſa

Canonicorum electione nullo obice interueniente, electum statim cõfirmabat. can. *Plebs*. can. *Nosse*. can. *Episcopus*. can. *Literas*. dist. 63. Respõd. Etsi res ita se habuerit, tamen quia Primates à Pontifice Romano cõfirmabantur, ante cuius cõfirmationem nullis se Primatum officiis & actionibus immiscere citra peccatũ poterant; eò semper redit sententia, confirmationem Pontificis vel mediatam vel immediatã præter canonicorum electionẽ semper intercedere debuisse; quæ cùm fuerit iuris Episcopalis concessio, vt iam ostẽdimus, vigentibus etiam electionibus expressum collationũ vestigiũ in Ecclesia conspiciebatur. Quod ad 3. etsi qua parte asserit Vigorius Regi Christianiss. Episcopatuũ aliorumq; maiorum beneficiorum nominationes iure competere, ab eo nolim dissentire, vehementer tamen improbo reiicioque id quod adiunxit, scilicèt ius illud Regi competere, quia populus in Regem totum ius suum transtulit: si enim hoc solo iure Rex noster in nominandis Episcopis gaudeat, certè nullo gaudet: siquidem populus nullum vnquam tale ius habuit, etsi enim Gallicani populi cõsensus ad pacem & obedientiam promptiorem, aut ad probitatis vitæ testificationem olim in vsu fuerit, nullum tamen ius ad Episcopatum ex tali consensu Episcopis accedebat, vt pluribus antea declarauimus: sed mirum est quam leuiter, & temerè adhuc dicat, populum in concordatis inter Franciscum I. & Leonem X. ius suum in Regẽ transtulisse, cum sui immemor subiungat Clerum, Senatũ, Academiã Parisiensem hisce cõcordatis fortiter obstitisse, refertque Genebrard. in Chronol. ad Leonẽ X, pragmaticæ sanctioni concordata, vt vo-

Necessaria semper fuit Pontificis confirmatio in Episcopis saltem mediata.

cāt substituta fuisse, fremēte vniuerso clero, schismaticis, populo, bonis deniq; & doctis omnibus: ius ergo Regis Christianissimi in Episcopatū & aliorū maiorū beneficiorum nominatione à Leone X. sūmo Pōtifice manauit, nō minus quàm olim ius Caroli Magni aliorūq; principū ad eadē beneficia à sūmis Pōtificib⁹ qui tūc viuebant petitū fuit: can. enim *Adrianus* dist. 63. scribitur Adrianū Pontificē Carolo Regi tradidisse ius & potestatē eligendi Episcopos & Archiepiscopos per singulas prouincias sibi subiectas, ita vt nisi ab eo laudarentur & instituerentur à nemine cōsecrarētur; & hæc Episcopi institutio, inuestitura dicitur, quæ annulo dato, porrectoque baculo olim perficiebatur: & canone *in synodo* dist. 63. Leo 8us Othoni 1° idem priuilegium contulit, idemque ius fuit penes Græcos Imperatores longe ante Carolum Magnum, vt eadem distinctione capitulo *Agatho* & cap. *Salonitanæ* refertur, & penes Reges Hispaniæ ibidem, cap. *Non longè*. cur autem hoc priuilegium Pontifices Principibus concesserint, fuit eorum authoritas, quæ ad canonicam electionem semper desiderabatur. *Repræsentabatur* (inquit) *electio clericorum Principibus, vt eorum authoritate approbata nullus schismaticorum vel hæreticorum auderet contraire, & vt ipsi Principes tanquam deuotissimi filij in eam consentirent, quem sibi in patrem eligi viderent, vt ei in omnibus suffragatores existerent, sicut Valentinianus beato Ambrosio dixit, cùm eius electio ei repræsentaretur, Noli timere, quia Deus qui te elegit, semper te adiuuabit, & ego adiutor & defensor tuus, vt meum ordinem decet, semper existam.* Apud Theodoretū lib. 4. cap. 7 Historiæ Eccles. hæc Gratianus dist. 63. cap.

Vnde manauit ius Regis Galliæ ad nominationē beneficiorū consistorialium.

Vota, moxque Stephani Papæ verba recenset: *Quia sancta Romana Ecclesia à pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte quæ ob hoc inferuntur, quia ab Imperatore directi nuntij non sunt qui vetent scandala fieri, volumus, vt cõuenientibus Episcopis, & vniuerso Clero eligatur Pontifex præsente Senatu & populo; & sic ab omnibus electus, præsentibus Imperialibus Legatis consecretur.* Sic ergo à Leone X, Regibus Galliæ datum est præsentationis, seu nominationis ad maiora beneficia priuilegium, illudque irreuocabile, cùm in rigore (vt loquuntur) nõ sit priuilegium liberaliter à Pontifice concessum, sed per modum transactionis seu concordati cuiusdam pragmatici traditũ, ideoq; nisi Rex Galliæ reuocationi cõsentiat, quemadmodum olim consenserunt Ludouicus & Otho Imperatores, minimè potest reuocari.

Cæterùm, quia eo semper collimat Vigorius, vt Sedẽ Apostolicã deprimat, eamq; politicis principibus omnino subiiciat, prætermittendũ non est, falsũ esse quod ille vniuersim affirmat, eos quos aut Romani, aut Germaniæ Imperatores, aut etiam Reges Galliæ ad dignitatem Pontificiam euexerunt, pro legitimis Pontificibus semper habitos fuisse. Primũ enim Henricus IV. in locum Gregorij VII. à quo fuerat anathemate percussus, aliũ suffecit, tum Otho primus in cõuentu Episcoporum Ioannem XII. de Pontificatu deiecit, & Leonem VIII. patria Romanum Pontificem elegi curauit, sicut & Sigismundus Imperator in concilio Basileensi in locum Eugenij IV. Amedeum Sabaudiæ sub Felicis V. nomine sufficere conatus est. Sed hos omnes nunquam Ecclesia vt veros Pontifices agnouit, & quicquid eorum nomine gestum est

Põtifices electi ab Imperatoribus non fuerunt pro legitimis habiti.

prorsus aboleuit, & tanquam non gestum reputauit. Quod autem dicit Imperatores Regesq. Galliæ ad apicem Pontificatus nonnullos euexisse, vel saltē vt eueherentur curâsse, explicatione aliqua indiget: ne quis seculares principes vi suæ potestatis, imperatoriæ, aut Regiæ, iuris aliquid in electione Pontificum unquã habuisse putet. Etsi enim à Vigilio Pontifice vsque ad Benedictum II mos inualuerit, vt Pontifex creatus & electus à Clero Romano Pontificalibus minimè se immisceret, donec ab Imperatore eius electio fuisset confirmata: id tamen Imperatores contra omne ius fasque vsurpârunt, cùm electio Pontificis sit causa merè spiritalis & Ecclesiastica, nisi dicas priuilegio & authoritate Vigilij Papæ, aut tacito aliorum Pontificum consensu hoc fuisse consecutos, id vero vsque adeo verum est, & certum, vt absque hæresi aut schismate contrarium non liceat defendere.

Quãdiu durauit confirmatio electionum Pontificũ per Imperatores, & quo iure esset introducta.

Vtrùm Concilium Tridentinum sit legitimum, & an in Gallia obliget.

QVÆSTIO VII.

HÆC quæstio ad disciplinam Ecclesiasticam maximè spectat, cum enim non solùm coactum fuerit hoc concilium ad fidem contra hæreticos stabiliendam & confirmandam, sed etiam ad deprauatos mores fidelium emendandos & reformandos, & in eo multa vtiliter in vtrumque finem à patribus decreta fuerint, illius receptio & obseruatio non potest, non maximè disciplinam Ecclesiasticam toto orbe quasi collapsam & penè destructam restaurare & promouere, sanè verò in quibus regionibus

nibus sacrosanctum illud concilium receptum est, & obseruatum, noua quædam Ecclesiæ facies & splendor statim emicuit, tanta hæreseon detestatio, tanta diuini numinis obseruantia, tanta morum cõpositio, tantaq; sanctitas secuta fuit, vt has omnes cęlestes benedictiones in Galliam cumulatissimè descẽsuras credere si huius sacratissimi cõcilij decreta reciperentur & obseruarentur; Vigorius tamẽ aciem calami sui aduersus illud distrinxit & exacuit, vt qui in Pontifices Romanos anteà tantùm deseuierat, iam in cõcilia saltem in illud quod nemine contradicente est œcumenicum, furit & debacchatur; ait enim in primis salutem Ecclesiæ Gallicanæ ex illius promulgatione, tam pro fide quàm pro moribus non depẽdere: siquidem nihil in eo circa fidem decretum est quod antea firmiter in Gallia non crederetur, ita vt potius declarauerit Gallos hactenus rectè credidisse, quàm noui aliquid ab illis credendum statuerit. Secundò, confirmationem eius non extare, nisi ex relatione vnius Cardinalis, cui nec ipse Põtifex subscripsit, nec bullas dedit confirmationis. Tertiò, ei non interfuisse Regis Christianissimi legatos, eosq; propterea de nullitate eius cõcilij esse protestatos. Quartò, nullam esse sessionem in qua quædam, vel contra authoritatem regiam, vel libertates Ecclesiæ Gallicanæ non sint constituta. His machinis authoritatem Tridentini concilij Vigorius arietat. Sed vt earum impetus cõtra Vigorium retundamus, & huius sacratissimi concilij authoritatem, cõtra hæreticos & schismaticos sartam tectáq; defendamus, demonstrabimus primò multa quæ antea de fide non erant, & de quibus vltro citroq; saltem absq;

Vigorius hostis Tridẽtini concilij.

hæresi sentire licebat, tanquam de fide in eo concilio fuisse definita.

Et quidem etsi ante illud concilium numerus librorum canonicorum esset de fide propter definitionem in Ecclesia concilij Carthaginensis 3. cap. 47. & Can. *Sacrosancta Rom. Eccles.* dist. 15. nihilominus à nonnullis de quibusdam librorum partibus citra hæresim dubitabatur, at huic dubitationi sess. 4. huius cõcilij satisfactũ fuit; enumeratis enim omnibus libris sacris tam protocanonicis, quàm deuterocanonicis, ita loquitur: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus pro vt in Ecclesia legi consueuerunt, & in veteri, & latina editione habentur pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit.* Item ante hoc conciliũ non erat de fide nos per iustitiam inhærentem & habitualem formaliter iustificari. Qui enim per actus pœnitẽtiæ & charitatis iustitia Christi nobis imputata peccatorem iustificari credebat, non erat hęreticus, nunc tamen cum sess. 6. canone vndecimo definitum sit per inhærentem iustitiam nos iustificari, nemini amplius licèt, vt anteà sentire & credere. Tertiò, ante Tridentinum cõcilium non erat adhuc definitum, fidem iustificãtem aliud quidpiam esse à fiducia diuinæ misericordiæ, peccata per Christum remittentis, sed huic dubio sess. 6. can. 12. finis est impositus, cùm à patribus fidẽ iustificãtẽ ab hac fiducia distingui est definitũ; & quãuis à patribus pro diuersis soleret accipi: res tamẽ ante concilium non erat planè & absolutè definita. Quartò, sess. 7. de baptismo can. 2. definitum est verba hæc Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* esse ad literã sumẽda, & non ad metaphoram

Multa de nouo ad fidẽ pertinentia à concilio Trident. sunt decreta.

transferenda, vt sic omnibus fidelibus necessitas absoluta baptismi cõstaret. Quinto sess. 13. cap. 7. & can. vlt. verba hæc Apostoli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, de ea probatione quæ fit per confessioné sacramentalé esse intelligéda, & propterea sacræ communioni sacerdotali præmittédam esse sacramẽtalé mortaliũ peccatorũ cõfessioné ex præcepto diuino definitũ fuit: quod tamen ante in Ecclesia expresse, & sub peccato hæreseos definitũ nõ fuerat. Quintò, sess. 14. cap. 14. attritionem iunctam sacraméto pœnitétię ad remissioné peccatorũ sufficere: quod etsi nondũ tanquã de fide sit definitũ, à declaratione tamen cõcilij est ita fidei proximũ, vt qui cõtra sentit, grauiter erret. Sextò, in sacramento Eucharistiæ vnà cum Christi corpore & sanguine adesse per concomitantiã, diuinitaté eiusdem Christi simulque personas Patris & Spiritus Sancti. Septimo sess. 14. cã. 1. Extremã vnctioné esse verè & propriè noui testamẽti sacramentũ à Christo apud Marcum institutũ, & à D. Iacobo cõmendatũ & promulgatũ; licèt enim hoc in Ecclesia antea crederetur, nõ tamé cũ his cõditionib⁹ & circunstantiis, quæ à cõcilio Tridẽtino declarãtur, & definiuntur. Octauò, ante conciliũ Tridentinũ matrimonia clandestina valida erant, nec vlli Christianorũ fas erat ea de re dubitare; etsi enim sub grauissimis pœnis ab Ecclesia prohiberẽtur, si tamen cõtraherentur vim habere non desinebant. at cap. 1. de reformatione matrimonij sess. 24. decernitur, ea in posterum fore irrita & inualida 30. diebus à prima decreti in singulis parœchiis publicatione. Nono ibidé parẽtum consensum ad valorem matrimonij essentialiter non

requiri, de quo apud nonnullos antea dubitabatur, & etiamnum à multis hodie cum maxima temeritate, immò & hæresi adhuc dubitatur. 10. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorũ decernit, anath. sit.* quod nullibi quàm in hoc concilio, tanquam de fide fuit definitum. Sciat ergo Vigorius cum sequacibus, multas fidei cóclusiones à Trident. concilio de nouo fuisse decretas: & si quis pugnaciter contenderet, nihil de nouo pro fide ab ipso concilio fuisse definitum, eum in hæreticorum scopulos impingere.

Sed non tam impudentiam Vigorij quàm eiusdem malitiam demiror, qui nullam huius concilij confirmationẽ adstruat, præter eam quæ à Cardin. Farnesio Pij Papæ IV[i] nomine facta est, cui nequidem, inquit, Pontifex subscripsit; hoc enim est mendacium putidissimũ. Pius enim IV. duas emisit bullas; prioré quæ ad calcem concilij extat anno 1563. 7. Cal. Febr. & incipit *Benedictus Deus*, qua expresse omnia & singula concilij Tridentini decreta his verbis cõfirmat. *Cùm ea decreta omnia Catholica & populo Christiano vtilia & salutaria esse cognouissemus, ad Dei omnipotentis laudem, de fratrum nostrorum consilio & assensu, in consistorio nostro secreto illa omnia & singula authoritate Apostolica hodie cõfirmauimus, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac seruanda esse decreuimus, sicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & suscipi obseruarique decernimus.* Posteriorem verò quæ incipit *Sicut ad Sacrorum*, anno 1564. 15. Calen. Augusti. dedit, qua tempus ad huius concilij obseruationem vbique locorum decernit, quod certe nunquam fecisset, nisi

Conciliũ Tridentinũ à Papa confirmatũ.

concilium pro confirmato & omnibus suis numeris absoluto habuisset. Quod autem legati Regis Christianissimi à concilio secesserint, quia honor illis debitus seruatus non fuerat, nihil quicquã Vigorij intento fauet; sicut enim eorum præsentia maiorẽ vim decretis fidei non conferebat, cum solis Prælatis, non autem principibus, minúsque eorum vicarijs & legatis ius decernẽdi de fide & moribus Ecclesię cõueniat: ita nihil quoque eorum absentia de robore eorũdem decretorum quicquam detraxit. Legati enim cõcilio præsentes, discere debẽt, non docere; audire, non loqui; decreta seruare, & non condere; nisi forte velit Vigorius eos cum dignitate legati simul etiam sacerdotio functos esse: quod tamen manifestè falsum est. Sed hinc manifestè sequitur protestationem nullitatis, cuius ipse meminit, nullum concilio detrimẽtum inferre, præsertim cùm Episcopi, Prælati, doctoresq. Galliæ ad finem vsque in concilio perseuerarint, & Cardinalis à Lotharingia Gallus, regni regisque iurium obseruantissimus, nomine cæterorum patrum Pio 4° tunc viuenti animabus Pauli 3. & Iulij 3. legatis, ceterisque patribus qui concilio vel præfuerant, vel profuerant, acclamauerint & gratias egerint.

Nihil cõcilio deperit, etsi legati Regis ab eo recesserint

Ludouicus de Lansac, Renaldus Ferrerius Præsidens in Parlamento Parisiensi, Guido Faber Iudex Tholosæ seculares legati pro Rege Gallit ad Concilium Trident.

Quod ad vltimum, quo contendit Vigorius nullam ipsius concilij extare sessionem in qua de libertatibus & moribus in Gallia obseruari solitis detractũ non fuerit, falso id impudenterque dictum est. siquidem in collectione constitutionum Tridentini concilij anno 1593. in pseudocomitijs Parisiensibus facta tantùm contra vndecim sessiones est exceptum. Restant ergo quatuordecim, quibus nemo in his comi-

Non omnes sessiones cõcilij Tridentini pugnãt contra libertates Ecclesiæ Gallicanę.

tijs reclamauit: profectò in tribus primis ſeſſionibus nihil eſt animaduerſum, nec à 7ª vſque ad 13. nec à 14ª vſque ad 21. quæ verò in ſeſſionibus contra libertates moréſque gallicos pugnare dicuntur, non ſunt tanti momenti, aut tot tantisve difficultatibus implicata, quin de ijs cum ſummo Pontifice per viam ſupplicationis agi & cōponi poſſit: tum quia quæcumque in his ſeſſionibus deprehēdūtur, magna ex parte ad iuriſdictionem externam & contentioſam ſpectāt; tum quia decretum aduerſus duellorū permiſſionē, quod ab hoſtib⁹ huius cōcilij proponi ſolet, quaſi Rex Galliæ ſi duellū in ſuis terris permittat, dominio ſuo excidere debeat, nihil quicquā, ſi attētè cōſideretur, cōtra Regē eiuſq; iura continet; agit enim de illis vrbibus & caſtris quæ ab Eccleſia Imperatores, Reges, Duces & Marchiones obtinent, & in quæ Eccleſia directū ſibi vendicat dominiū. At verò Rex Galliæ ne minimum quidē regni ſui oppidulū ab Eccleſia tenet, ſed à Deo per hæreditariā ſucceſſionē accepit imperiū, & à nullo præter ipſum in tēporalibus dependet. Sed decretum ad ampliorem declarationem adferamus cap. 10. ſeſſ. 25. *Deteſtabilis duellorum vſus fabricante Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiā perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocūque alio nomine domini tēporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excōmunicati, ac iuriſdictione & dominio ciuitatis, caſtri, aut loci in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligātur; & ſi feudalia ſint, directis dominis acquirantur.* Quis nō videt hoc decretū ſaltē pro iuriſdictionis & dominij priuatione ad Re-

Decretū duella prohibēs nihil cōtra Regē Galliæ molitur.

gem Christianissimũ nullo planè modo pertinere? tũ demum quia (cum bona summi Põtificis venia) nihil obstat quominùs aliqua in Gallia recipi possint & obseruari, aliis quæ cum Gallorũ moribus pugnare vidẽtur nõ obseruatis, aut receptis. Etsi enim mens Legislatoris, vt pote cõcilij, sit omninò vna, & æquè ad omnia & singula decreta se extendat, nihilominus cùm mores in hoc concilio præscripti, dispositioni atque dispensationi summi Pontificis à Patribus relicti sint, non est dubium quin hac in parte ad maius bonũ liberaliter & benignè Gallis nonnihil possit indulgere, præsertim cum secus de libertatibus & immunitatibus, quarum Galli sunt tenacissimi, detraheretur. Addam in Gallia quædam à cõcilio præscripta iam nunc moribus obseruari. Primùm enim de defectibus omnibus, suspensionibus, & irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus dummodo ad forum contentiosum non sint deductæ, nec ex homicidio voluntario profectæ, per canonem *Liceat*, sess. 25. huius concilij, Episcopi suos subditos absque vllo ad summum Pontificem recursu dispensant. Deinde matrimonia clandestina vbi receptum est, & publicatum illorum decretum, etsi reliquum concilij corpus minimè sit receptum, inualida prorsus declarantur, cum huiusmodi decreto personę ad sic contrahendum inhabiles omninò reddantur. Tertiò, multo plura erant matrimonij impedimenta, ante concilium, quæ nunc in Gallia vi statuti cõcilij impedimẽta amplius nõ cẽsentur, vt impedimẽtũ cognationis spiritalis, quod in patrinis ad vnũ, & vnã est redactũ, itaut terti⁹ patrinus si modò tanquã tertius dignoscatur, nullã amplius cũ

Aliqua concilij decreta in Gallia obseruantur.

Zuares tom. 3. in p. D. Th.

baptisato, aut parentibus baptizati cognationē spiritalem contrahat. Item impedimen tum iustitiæ, publicæ honestatis, necnon affinitatis, quā similitudinariam vocant (quæque ex fornicatione nascitur) non ad tot gradus vt anteà extenduntur. Quarto, pro libris argumenti Theologici subsignatio & approbatio doctorum adeo requiritur, vt maior pars Catholicorum si hac approbatione libri careant, eos pro suspectis habeant, & emere reformident: quod tamen ante concilium nemo reformidabat, aut propterea suspectos habebat. Quinto, vigore concilii cōstitutionem illam quæ incipit *Cùm periculosa*, renouantis nunc à confessariis in hac ciuitate Parisiensi, tam viris quàm mulieribus prohibetur ne claustra monialiū ingrediātur, eàque clausura in variis Galliæ locis omnino collapsa laudabiliter restituātur: & quāuis in quibusdā locis, magno bonorū luctu & scādalo ingressus ille nondū sit interdictus, eū tamē breui interdicendū speramus. Sciat ergo Vigorius tam pro fide quàm pro moribus nos multa huic sacratissimo concilio accepta referre, ne deinceps suæ maledicētiæ virus in rem sanctissimam euomat. Ceterū, quia multa in Tridentino concilio vtiliter decreta in Gallia nec recipiuntur, nec obseruantur, grauis est quæstio, neque hactenus à doctoribus Gallis tractata, an concilium, eiusque constitutiones Gallos ipsos in foro conscientiæ obligent. Quidam putant Gallos decreta omnia concilii non obseruantes in conscientia tutos non esse, præsertim cùm à reliquis orbis Christiani nationibus ad amussim obseruentur; Gallosq; propterea velut schismaticos, & à reliquo Ecclesiæ

An nouæ concilii Trid. cōstitutiones in Gallia obligent.

corpore

corpore diuulsos habent. Verùm, quid hac in re sentiam, dicam ingenuè, his duobus tãquam sententiæ iactis fundamentis. Primùm, leges canonicas vsu minimè receptas in cõscientia non obligare, cap. In istis §. leges. dist. 4. *Leges instituuntur cùm promulgantur, & firmantur cùm moribus vtentium approbantur.* Secundo, cõstitutiones concilii Tridẽtini esse diuersi generis, quædam enim ad ius naturæ pertinent, vt prohibitio duelli, opera dæmonis inter homines introducti: Aliæ ad ius diuinum in veteri & nouo Testamento exaratum, vt quæ ad fidem & sacramenta spectãt: aliæ quæ declarãt aliqua de iure diuino, de quibus anteà an essent iuris diuini dubitabatur, quales sunt quæ contra Lutheranos, Caluinistas, cæterosque hæreticos sancitæ sunt: aliæ ad ius antiquum positiuum seu Ecclesiasticum olim à Pontificibus vel conciliis præscriptum spectant, vt clausura sanctimonialium, Clericorum immunitates, & reliqua id genus: aliæ denique quibus nouum ius humanum positiuum inducitur.

Constitutiones concilij quæ ius naturæ continent obligant Gallos in conscientia.

His præmissis: Respondeo primo eas constitutiones quæ ius naturale continent, in conscientia quoscunque fideles Gallis minimè exceptis astringere, tum quia hæ nulla promulgatione, aut publicatione indigent, cum creator naturę humanæ eius notitiam à principio creationis ipsi sufficienter indiderit, & veluti promulgauerit, iuxta illud Psal. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: tum quia illud expresse tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 4. ad 1. *Promulgatio* (inquit) *legis naturæ, est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit*

naturaliter cognoſcendam. Reſpondeo ſecundo, Conſtitutiones iuris diuini, noui vel veteris Teſtamẽti quæ per Euangelium aut alias leges iuſtas, qualis eſt obſeruatio Sabbathi, ſublatæ non fuerunt, quoſlibet Chriſtianos in conſcientia obligare; hæ enim per Patriarchas, prophetas, Chriſtum & Apoſtolos ſufficienter ſunt promulgatæ, pſal. *18. In omnem terrã exiuit ſonus eorum.* Reſpõdeo tertio, conſtitutiones eiuſdẽ concilii declarantes aliqua de iure diuino de quibus antea à nonnullis dubitabatur, fideles omnes, nemine excepto pariter obligare. tum quia nulla deſuetudine vel conſuetudine, vel alia occaſione aut ratione humana diuinæ legi poteſt derogari. cap. *Quæ contra.* diſtin. 6. & cap. *Sunt quidem* 25. qu. 1. Tum quia huiuſmodi conſtitutiones non ſunt introductoriæ noui iuris, ſed ſolùm antiqui declaratoriæ: Lex autem declaratoria iuris antiqui noua promulgatione ad inducendam nouam obligationem non indiget, quia retrotrahitur ad præterita, vt ſaltem obliget quoad futura, per Authen. *De filiis ante dotalia inſtrumentalia natis.* tũ quia qui declarat, nihil de nouo facit, ſed factum eſſe duntaxat ſignificat, non minùs quàm qui donationẽ confirmat, non dat, ſed datum ſolummodo munit & roborat. legendus eſt Turrecrem. diſt. 4. § *leges.* Reſpondeo quartò, idem dici debere de his conſtitutionibus iuris canonici & poſitiui quæ vſu in Gallia receptæ ſunt, idque propter rationem initio allatam. Legi enim vtẽtium moribus receptæ nihil ad actualem obligationem deeſt. Reſpondeo quinto, conſtitutiones prædicti concilii, quibus ius nouum poſitiuum inducitur, Gallos in conſciẽtia minimè obliga-

Conſtitutiones declarantes aliqua de iure diuino, de quibus antea dubitabatur ſimiliter obligant.

Conſtitutiones canonicæ receptæ obligant.

re primũ defectu promulgationis in præcipuis regni Gallici ciuitatibus, promulgatio quippe est de natura legis actualiter obligantis; est enim lex, vt præclare docet D. Thom. *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata.* Dices, sufficienter has cõstitutiones promulgatas fuisse Tridenti in præsentia generali omnium Prælatorum, quos certum est suas Ecclesias tunc repræsentasse. Verùm hæc promulgatio Tridenti facta nullam inducere potuit obligationem, quia nondum concilium à Pio IV. erat confirmatum; leges autem conciliorum ante confirmationem Pontificis nec ligant, nec ligare possunt, nisi fortè in his casibus in quibus concilium absque authoritate Papæ congregatur. Deinde quãuis Pius IV. cõciliũ, eiusque constitutiones bullis expressis cõfirmauerit, & eas recipi obseruarique mãdauerit, cùm tamẽ in Gallia moribus vtẽtiũ sit receptum, vt leges tam põtificiæ quàm Regiæ ante debitã in præcipuis regni ciuitatibus promulgationem non obligent, promulgatio facta Tridẽti pro his noui iuris constitutionibus Gallos in cõscientia non obligat. Addã ex Canonistis, Immola, Panor. in ca. 2. de constitutionib. nu. 6. & Decio lect. 2. eiusd. cap. de cõstit. non sufficere legis promulgationẽ in ciuitate Principis, qualis tunc erat ciuitas Tridentina, nisi simul in præcipuis regni ciuitatibus fiat. quam opinionem in Gallia receptã esse constat ex Cõcordatis inter Leonem X. & Frãciscum I. Francorum regem, in verbo *receptæ*: & tit. de collat. §. *præfatique ordinarij.* in verbis *post præsentium acceptationem & publicationem.* Accedit quod cũ hæc promulgatio in pręcipuis Regni

Constitutiones quibus nouum ius inducitur, Gallos non obligant.

Primo, non obligant defectu promulgationis.

ciuitatibus iure Cæſareo præſcribatur in authentica, *vt nouæ conſtitutiones*, eiuſque cõtrarium iure canonico non appareat, conſequens eſt, tam pro legibus canonicis quàm pro ciuilibus hanc promulgationem eſſe neceſſariam, iuxta illud inter Iuriſconſultos vulgatiſſimum: quãdo aliquid expreſsè in altero iurium conſtituitur, & in altero non prohibetur, illud eſt ſeruandum. Ergo defectu ſolemnis promulgationis per primarias Galliæ ciuitates, nouæ illæ concilij Tridentini conſtitutiones in conſcientia nõ obligant. Secundò, non obligant defectu receptionis: etſi enim lex aliqua debitè ſit promulgata, vbi tamen vtentium moribus non firmatur, nec recipitur poſt decẽnium, ſaltem ab ipſa debita promulgatione deſinit obligare, vt tradunt Calderinus, & Immola in cap. 1. de Treuga & pace, relati, & approbati à Felino ibidem, quod affine eſt & conſonum communi ſententiæ Theologorum aſſerentium quamlibet legem ſub conditione ſi recipiatur à ſubditis, cõſtitui: Itaut ſi non recipiatur, non ſit propriè lex, ſaltẽ (ne cum ſcholaſticis ea de re controuerſantibus rem habeamus) in ratione actualis obligationis. Tertiò, hæ conſtitutiones Gallos non obligant, quia expreſsè conſenſiſſe videtur Papa retardationi ſiue dilationi receptionis credendũ enim eſt Reges Chriſtianiſſimos, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ obſeruantiſſimos ſummum Pontificem iuſtis de cauſis rogaſſe, ne pro harum conſtitutionũ receptione & obſeruatione ita inſtarent, quippe quæ vel tranquillitati publicæ ſui regni, vel alicui alteri bono impedimento eſſe poterat, præſertim cùm mutationes in Gallia, etiam in melius, ſemper ſint peri-

2 non obligant defectu receptionis.

Nn obligãt nouæ conſtitutiones quia dilationi re ceptionis conſentit Pontifex.

culosæ, multoq; faciliùs Galli duci quàm trahi soleãt. Sed esto expressus Pontificis consensus pro ista dilatione non intercesserit: de his enim quę non apparẽt, ac si non essent certo iudicare non possumus, nemo tamen ibit inficias quin saltem tacitus Pontificis consensus pro hac receptionis mora, & dilatione intercesserit. cùm enim Pontifices videant ipsas constitutiones non esse in Gallia receptas, & tamen taceant, interpretatiuè receptionis dilationi consentire censentur: atqui ad tollendam aliquam legem, nondum receptam tacitus legislatoris consensus sufficit. Glossa in §. *Leges*, dist. 4. Archidiaconus & Turrecremata.

Dices, Gallos ex sua iniquitate & inobedientia lucrum reportare, cæteros autem qui concilio obediũt, ex sua obedientia damnum referre, quia per non receptionẽ earum constitutionum immunitatem à lege obtinent, cùm interim alij propter obedientiam iugo & onere ipsarũ cõstitutionum premantur. Respondeo primò, non esse propriè inobedientiã quando subditi legem aliquam iusta & rationabili de causa non recipiunt, aliud esset si absq; causa, aut saltem iusta & rationabili legem illam nollent recipere. Vnde cùm Galli prędictas constitutiones iustis de causis (ne scilicèt pax & tranquillitas regni turbetur) non recipiant, fit, vt inobedientiæ accusari non possint. Deinde, esto fuisset inobedientia, eaque iniusta, hæc tamen duntaxat primo decennio à Pij IV. declaratione locum habuit; ideoque, etsi tunc Galli fortè peccarent, nũc tamen expleto hoc decennio nullo planè modo peccant, nullàq; censuram contrahunt: dicam tamen ingenuè, nequidem primo hoc decennio propter

rationẽ paulò ante allatam peccâsse. Instabis hoc modo Gallos cæteris orbis Christiani prouinciis esse scandalo, suoque exemplo ad eas constitutiones non amplius obseruádas tacitè pertrahere. Vnde non desunt qui dicant Gallos hac in parte ad hæresim Lutheranorum (qui leges Romanas & concilia authoritate Romani Pontificis coacta aspernãtur) quamproximè accedere, præsertim, cùm si ab omnibus totius orbis fidelibus obseruandæ essent prædictæ constitutiones, maximè à Francis quorũ Rex appellatur Christianissimus, & Sedis Apostolicæ protector primus ac strenuissimus. Respõdeo scãdalum definiri ab Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 27. & à D. Thoma 2a 2ae quæst. 43. art. 1. & 2. *Dictum, factum vel concupitum, contra legem Dei occasionem præbens ruinæ:* Atqui dilationi receptionis harum constitutionum hæc definitio non conuenit, non enim per ea quæ supra adduximus, hæc dilatio contra legem aliquam pugnat, neque item est dictum, factum, aut concupitum, sed est mera duntaxat dilatio & mora siue retardatio, quæ ad omissionem potiùs quàm ad commissionem reducitur: & quamuis peccatum omissionis possit interdum esse scandalum; quoties occasionem ruinæ proximis præbet, nihilominus cùm omissio illa causa rationabili, & legitima nitatur, scandalum inde profectum, non actiuum, sed passiuum dici debet, quod vt norũt Theologi, ad culpam minimè imputatur. Quod autem subditur Gallos quorum Reges inter alios dicuntur Christianissimi, & Sedis Apostolicæ protectores acerrimi præ cæteris fidelibus, debere has cõstitutiones recipere. Respondeo regibus nostris duos hosce

Galli non sunt scandalo aliis nationibus, etsi cõcilium non obseruent.

titulos meritò conuenire. Teſtantur enim hiſtorici Reges Galliæ ſeptem vel octo Romanos Pontifices ſuis ſedibus reſtituiſſe, & annorum noſtrorũ memoria Franciſcus huius nominis primus Clemẽtem VII cum magna exercitus ſui ſtrage per peſtem illata, libertati reſtituit, vt inter alios Nauarrus reſponſione ad conſulta Gallorum. Nihilominus cùm nõ ſine cauſis iuſtis & rationabilibus retardata fuerit harum cõſtitutionum receptio, nec ideò recipere morantur, quòd putent concilia generalia nullius eſſe roboris & authoritatis, vt Lutherani, ſed potiùs quòd non ſit tutum ſtantibus rebus, vt ſunt, has nouas conſtitutiones executioni demandare, idcirco propter hanc dilationem nihil de Regum Galliæ gloria, & Sedis Apoſtolicæ quam fortiter ſuſtinent protectione quicquam detrahitur, & ne abſque authore loquamur, Nauarus tomo conciliorum concilio *1°* Num. 32. ſic ſcribit: Conſtitutiones concilij Tridentini nouæ, ſiue quæ nouum ius induxerunt, non ligant eos qui eas ignorant probabiliter (vult dicere inculpabiliter) neque eos qui eas ſciunt, non quidem ea ratione quòd non ſint promulgatæ (loquitur hîc Nauarrus iuxta ſtylum Curiæ Romanæ, vbi leges duobus menſibus poſt promulgationem in curia principis factã vim ſuam habere incipiunt) ſed ea quòd non ſint receptæ à principio, neque per decennium. Letius lib. 2. cap. 22. dubit. *13*. decreta concilij generalis quæ per decennium recepta non ſunt, amittunt vim ſuam, & deſinunt obligare. quod etiam habet Couarruuias lib. 2. Variar. reſolutionum cap. *16*. num. *6*.

De electione & summi Pontificis.

QVÆSTIO VIII.

AD disciplinam Ecclesiasticã electio & abdicatio summi Pontificis pertinent. cùm enim, vt iam ostendimus, summa disciplinæ Ecclesiasticæ sit penes Pontificem, ita vt si ab alio Prælato, vel etiam à conciliis generalibus leges ad disciplinam illam Ecclesiasticam spectantes constituãtur, nullam in totum orbem Christianum obligationem possint inducere, donec Pontificis calculo probentur & confirmentur. Quod ergo ad summi Pontificis electioné, cùm de hac nihil aut perparum, solumque per transennam tractet Vigorius, breui eam absoluemus, si supponamus in primis nõ decuisse in noua lege sacerdotes per carnalem generationé propagari. Cùm enim sacerdotium nouæ legis sit spirituale, & longè perfectius veteris legis sacerdotio, consentaneum fuit per spiritualem generationem, id est, electionem sacerdotes assumi, & institui, vt institutio sacerdotum ipsi sacerdotio & sacrificio meliùs & perfectiùs responderet. Deinde ratio habendi ministros idoneos securior est per electionem quàm per carnalem generationé; aliàs enim cogeremur interdum pastores pueros, interdum & imperitos sustinere: quod in maximũ Ecclesiæ damnum & dedecus vergeret. At per electioné viri idonei ad Ecclesiastica munia peragenda promouentur: quòd si nonnunquam contrarium accidat, id non ex electionis natura, sed ex vitio eligentium manat. Tertio, Melchisedech in lege naturæ, Christi, & Romani Pontificis typus fuit: at Melchisedech sine

In noua lege consentaneũ fuit eligi prælatos.

patre

patre & matre, & ſine genealogia ad Heb. 7. deſcribitur. igitur Pontifices & reliquos Eccleſiæ nouæ legis miniſtros ſuffragiis eligentium, non iure hæreditario poteſtatem in Eccleſiam par eſt obtinere. Secundò, ſupponimus electionem Pontificis ſortibus non eſſe committendam; hoc enim tanquam illicitum ſemper ab Eccleſia exploſum fuit & improbatum. Extræ de ſortilegiis.capit. in Eccleſia. hoc enim eſt tentare Deum, & abſque neceſſitate per viam extraordinariam expectare, quod humana prudentia & conſilio multò ſecuriùs, & conuenientius poteſt obtineri: ſiquidem ſors cæca eſt,& periculoſa æquè ineptis ac idoneis contingens, quæq; propterea lernam malorum in Eccleſiam, ſi introduceretur, adueheret. Tertiò ſuprà oſtendimus principes & magiſtratus ſeculares nullum ius eligendi Pontificem habere, quod ſi nonnunquam aliquid iuris habuerint, id totum ex conceſſione vel conſenſu Pontificum cõſecutos fuiſſe: ſic enim definit concilium 4. Conſtantinopolitanum can. 28. *Sancta & vniuerſalis Synodus definit neminem laïcorum principum vel potentium ſemet inſerere debere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, vel Epiſcopi cuiuſlibet, præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemlibet potentium, vel cæterorum laïcorum habere conueniat, ſed potius ſilere ac attendere ſibi vſquequo regulariter à collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem futuri Pontificis electio.* Quartò non expedit, vt prædeceſſor eligat ſucceſſorẽ, nec veriſimile eſt Chriſtũ talem poteſtatem ſummo Pontifici conceſſiſſe, ſic enim facilè poſſet quis nepotem vel conſanguineum aut affinem & familiarem eligere, ſicq; carni & ſanguini proſpicere

Electio ſummi Pontificis non eſt ſortibus committenda.

Principes & magiſtratus nullum ius eligẽdi Pontificem habent.

potiùs quàm bono vniuersali prouidere, atque adeò in Ecclesia dici posset, *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Dixi, non expedire, quia fortè id absolutè & simpliciter potest summus Pontifex, cùm non sit iure diuino prohibitum, præsertim cùm Christus vicarium in terris nominauerit, & D. Petrus Clementem successorem suum ante mortẽ designarit; neque obstat iure positiuo id prohiberi, cùm satis (ni fallor) constet, summum Pontificem illo iure superiorẽ esse, neque illius legibus & decretis vllo modo esse obnoxium. quo tamen casu (si successorem nempe sibi Põtifex designaret) eũ Ecclesia non teneretur acceptare, quòd inde iustus metus esset, ne grauissima detrimẽta pateretur Ecclesia. neque verò ex facto D. Petri quicquam colligitur; tum quia Clemens licèt à D. Petro nominatus, illi tamen immediatè non successit, sed Linus & Cletus; hi enim pontificatũ prius administrarũt nulla huius nominationis D. Petri habita ratione. Deinde non omnia quæ præstitit D. Petrus in exemplũ sunt trahenda; agebat enim diu⁹ Petrus in multis diuina inspiratione, qua tamen ordinariè nõ agũtur eius successores; adde quod non erat D. Petro metuẽdum quod carnem & sanguinem magis quàm Ecclesiæ bonum in hac electione attenderet, quippe qui in gratia esset confirmatus. Accedit testimonium Armacani 7. de quæstionibus Armenorum cap. 19. Petrũ non ordinâsse nec elegisse Clementem, sed tantùm Christianis, quid de eo sentiret ante obitum declarasse. cùm enim Matthiam qui multos suæ dignitatis collegas erat habiturus, absque consensu fratrum eligere noluerit, non caret probabilitate, Clemen-

D. Petrus non nominauit successorem D. clementem.

cem, qui solus absque consorte modo monarchico Ecclesiam erat gubernaturus, ab eo realiter non fuisse electum: sed hoc Ecclesiæ iudicio reliquisse, ita tamen vt quam de eius sanctitate & gubernandi peritia opinionem conceperat, fratribus ante mortem significaret. Quãquã putant nonnulli casum aliquãdo posse contingere, in quo tutò & validè posset Pontifex successorem nominare, si nempe illi verisimiliter constaret Cardinales non facilè post eius mortem fore congregandos, & instaret grauis necessitas, cui illicò esset prouidendum, & cui ipse lethaliter decumbens succurrere non posset; hoc enim casu ne Deus Ecclesiam in necessariis defuisse videretur, Papa posset successorem designare. Sed esto in nullo casu istud præstare posset, potest tamen legem de formula & ratione eligendi Pontificem condere, vt nempe electio per solos Cardinales fiat, & vt ipsa nũquam vim habeat, nisi duæ partes eligentium electo fuerint suffragatæ, vt in cõcilio Lateranensi canone *licet*. extra, de electione. ab Alexandro tertio fuit definitum. Hoc autem non est habere ius in electum, sed in electionem ipsam, quam certum est Pontificem potestate sibi à Christo commissa posse præscribere, & temperare; an verò ab electoribus suam Pontifex potestatem accipiat, affirmare videtur Vigorius, quia cùm totum ius suum non aliunde quàm ab Ecclesia, quæ tunc per Cardinales repræsentatur, Pontificem habere existimet; aut si à Christo habeat, id tantùm operâ Cardinalium, sequitur eum ab electoribus potestatem suam habere. Verùm, contraria opinio certissima est, nemo n. plus

Potest præscribere formã eligendi successores Pontifex.

iuris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habeat l. traditio ff. de acquirẽdo rerum dominio. Atqui Cardinales ſede vacante non habent Apoſtolicam poteſtatem, cùm priuilegio infallibilitatis deſtituantur, nec leges condere, beneficia conferre, aliaque munia Pontifici propria obire queant: igitur ab iis vt nec à tota Eccleſia ſuam poteſtatem Pontifex non accipit. Ex quo fit vt ipſi quidem Cardinales nominent, deſignent & eligant Pontificem, ſed huic Chriſtus non minùs, quàm D. Petro poteſtatem in vniuerſalem Eccleſiam conferat. Quod hoc exemplo declaratur: ſi enim ex mandato Regis, vni ex pluribus pauperibus per procuratorem electo, concederetur certa pecuniæ ſumma, iſte pauper electus electionem quidem à procuratore haberet, ſed pecuniam à Rege: ita Pontifex licèt à Cardinalibus à quibus ex mãdato Chriſti eligitur, electionem ſuam ſortiatur, poteſtatem tamen à ſolo Chriſto habere cenſetur.

Summus Pontifex nõ habet ius ſuum à Cardinalibus, ſed à Chriſto.

Vtrùm Pontifex poſſit abdicari Pontificatu.

QVÆSTIO IX.

MANVS cum Vigorio ſtrenuè ſunt nobis conſerendæ, hîc enim iura & priuilegia Pontificis, licèt à Chriſto cõceſſa labefactare, & euertere conatur; docet quippe Pontificem, non ſolùm à concilio generali, ſed etiam à particulari, vt ab Eccleſia Romana, abdicari & Pontificatu priuari poſſe, & quidem non tantùm propter hæreſim, ſed etiam propter alia crimina quæ ſcandalum afferrent, & in euidens periculum Eccleſiam adducerent, & à quibus reſilire aut reſurgere nollet, vt ſi beneficia publicè vẽ-

deret, Ecclesię patrimonium dilapidaret, & per iniquas dispensationes vniuersalem Ecclesiam pessundaret, & dissiparet. Ac ne quis de mente Vigorij tantillum dubitet verba eius placet subiicere. *Papa* (inquit) *iurisdictioni concilij subiicitur, ab eoque potest Pontificatu priuari; si enim Ecclesiæ Romanæ particularis, qua se minorem fatetur Nicolaus, &c. iurisdictioni Romani Pontifices subiiciuntur, ita vt eos aliquando abdicâsse legamus, certè multo magis concilij generalis cuius & Ecclesia Romana pars est. Sed hanc iurisdictionem concilij in Papam in casu tantùm hæreseos concedit Valla; verùm quã malè & præter Scripturam, canones, doctrinã, scholarum, vsum Ecclesiæ, Jurisconsultorum definitiones, sanctiones principum.* Hæc ille; quæ vt faciliùs refellamus, ante omnia supponendum est quæstionem non esse, an Pontifex deponi, Pontificatu priuari, & in ordinem redigi possit: hoc enim ex iusta & rationabili causa posse fieri, nemo dubitat. Primùm, quia Pontifex est tantùm Ecclesiæ œconomus à vero Domino nempe Christo constitutus, vt ex verbis quibus Petrum est alloquutus apertissimè constat. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam?* At si œconomus familiæ desit in necessariis, deponi potest, & sua œconomi potestate priuari. Deinde, Ecclesia Christi Domini sponsa est lectissima & dilectissima, pro qua semetipsum ad mortem tradidit. Si ergo seruus cuius custodiæ eam commisit, eius pudicitiam, integritatẽ, & sanctitatẽ non seruet, poterit Christus eum meritò abiicere, & officio priuare. Tertiò, Ecclesia non est propter Pontificem, sed potiùs Pontifex propter eam. *Quod Christiani sumus* (inquit Augustinus)

Cap. 5. num. 2. pag. 26.

Pontifex ex iusta & rationabili de causa potest deponi.

propter nos est; quod præpositi, propter vos. Cùm ergo summus Pontifex vitiis, & criminibus grauissimis infamis Ecclesiæ puritatem & sanctitatem commaculet, pessimè à Christo Ecclesiæ fuisset consultum, si in hoc casu nullum aduersus Pontificem remedium ei reliquisset. Poterit itaque eum Pontificatu abdicare, & alium quempiam in eius locum sufficere: de hoc, inquam, nullus est ex Doctoribus qui dubitet. Totius ergo dubitationis, & controuersiæ cardo in eo vertitur, quandonam iusta sit, & rationabilis causa deponendi Pontificem: & omnes quidem in causa hæreseos conueniunt, quod nempe sit iustissima depositionis causa; non enim est credibile Christum velle eum Ecclesiæ suæ vicarium retinere, qui ab ea se totum pertinaciter segregat, presertim cùm ei mandauerit Christus vt vocem eius audiat, eique obsequatur, non minùs quàm ouis pastorem suum audire & sequi debet. Atqui cùm lapsus est in hæresim tantùm abest vt eũ audire, eique obtemperare Ecclesia debeat, quin potiùs ad obturandum aures suas quoties eam alloqui voluerit, ne veneno doctrinæ eius inficiatur, obligatur. Sed aliud adhuc est quod Papã in casu hæreseos deiiciendum probet. Cùm enim Pontifex essentialiter sit Ecclesiæ fundamentũ Petra, crepido, lapis angularis, Doctor & Pastor generalis, vniuersa hæc priuilegia per hæresim abolentur & cessant, est enim tunc subuersor, destructor & dissipator ipsius Ecclesiæ, signum ergo est eum vel non esse ampliùs Pontificem, vel si adhuc sit, (vt quidam dicunt quousque fuerit iudicialiter hæreticus denũtiatus,) eum esse statim Pontificatu abdicandum. Sed quia duplex est hæresis, vna externa & manifesta, per facti euidentiam, aut cõcilij declarationem: altera occulta & interna, seu mentalis,

Pontifex propter hæresim deponendus.

dubitare quis posset quænam illarum Pontificem de gradu deiiciat. Vnanimiter sentiunt Doctores eũ per hęresim internã à sua dignitate non excidere. Si enim inquiũt excideret, vel iure positiuo & Ecclesiastico, sed hoc non, cùm certum sit & constãs huic iuri Pontificẽ minimè subiici, cùm suprà illud sit, vt iam cẽties diximus, non minùs quàm princeps supra ciuile; vel iure diuino, quod etiã dici non potest, nulla enim est iure diuino excõmunicatio, aut depositio latę sentẽtiæ, sed tantùm ferendæ & decernẽdæ; vel iure naturæ, & hoc similiter non stat, sicut enim ius naturæ nulli cõcedit dominium, ita nec ipsum de facto absque vlla iudicis sentẽtia adimit, maximè verò cùm ius naturæ nihil de casu hæreseos, de Ecclesia, & de Pontifice præscribat. Igitur nullo iure propter hæresim internã, quæ fines cogitationis non excedit, deponi potest summus Põtifex. Secũdo, plura requirũtur ad depositionẽ, quàm ad excõmunicationem, quippe cum interdũ excommunicatio ante pręuiã iudicis declarationẽ ipsofacto incurritur: at verò depositio à beneficio sẽper declarationẽ exigit, vt notãt iuris canonici cõsultissimi, ipséq; Vigor. pag. 47. Atqui vbi solũ mẽtalis est hæresis, nũquã intercedit sentẽtia iudicis, sed nec potest intercedere, cũ Ecclesia cæteræq; aliæ Respub. de occultis iudiciũ ferre nõ possint. Tertiò nũquã dicet Vigorius sũmũ Põtificẽ deterioris esse cõditionis quã sint Episcopi cæteriq; inferiores Prælati: atqui propter hæresim internã nullꝰ eorũ Episcopatu, aut aliis Ecclesiast. dignitatibus priuatur: igitur neq; Põtifex. quartò si ita esset, facilè imponi posset summo Põtifici, eiusq; decreta qualibet ex causa, & ad cuiusque arbitrium condẽnari, quippe quæ dicerẽtur à Pontifice fortè hæretico promanasse, ac proinde nullius in Ecclesiam esse

Non est deponendus aut depositus Pontifex propter hæresim internam.

authoritatis: Ecclesia item semper de suo capite dubitaret, quia cùm fides interna foras non prodeat, *nemo enim scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est;* possent Christiani de veritate sui Pótificis ambigere, quod in maximam Ecclesiæ perniciem cederet: & hac ratione vsi sunt Cõstantiensis Concilii patres aduersus Bohemos qui potestatem Ecclesiasticam & ciuilem charitate tanquam vero fundamento niti asserebant. Cùm enim nemo certitudiné habeat charitatis suæ: *Nemo enim scit vtrum sit dignus odio vel amore:* neque vero alienæ, vtraque potestas apud homines maxima incertitudine fluctuaret, sicque rebellionibus atque tumultibus tum Ecclesia cùm respublica perturbaretur, & in euidens periculum coniiceretur. Quòd autem Armacanus adstruat dominium fide Christiana tanquá vero & proprio fundamento niti, in eo non minùs quàm Bohemi allucinatus est; quippe cum infideles ante & post mortem Christi & Apostolorum prædicationem verè Reges esse non desierint; *Non eripit mortalia qui regna dat cœlestia.* Instabis, Dominium Ecclesiasticum Papæ & Episcoporum, quicquid sit de Regum & Principum dominio, multo magis in fide fundari. Respondeo eamdem esse vtriusque dominii rationé, si hoc vnũ excipias, quòd Ecclesiasticum charactere baptismali nitatur, nullus enim absque baptismo, iurisdictionis Ecclesiasticæ, de quâ hîc præcipuè loquimur, capax est; quo tamen charactere non necessariò Reges & Principes debent insigniri, cùm in infidelibus & paganis politicum & temporale dominium per se possit reperiri.

Dominiũ Ecclesiasticum & politicum nõ fundatur in fide

Ex quibu

Ex quibus facilè infertur propter solam hæresim manifestam & externam, quæ vel per factum, quod nulla tergiuersatione celari potest; vel per Ecclesiæ declarationem constat, abdicari posse summum Pontificem: tum quia summus Pontifex non est amplius Ecclesiæ membrum; neque enim amplius vnione interna, quæ est per fidem; neque externa, quæ est per fidei confessionem, Ecclesiæ cohęret; sed vtroq; modo est ab ea præcisus: Atqui membrum est de ratione capitis, caput enim membrum est, siue pars, eaque præcipua. Cùm ergo membrum non sit, caput etiam non erit: tum quia Ecclesia nititur fide publica & manifesta, quā vt Ecclesiæ pastor & doctor declarat S. Pontifex. Ergo si hæc in illo sincera & Catholica esse desinat, debet quoque in eo desinere Pontificatus, ne si notorius & manifestus hæreticus in Pontificia dignitate nullo reclamante maneret, portæ inferi aduersus Ecclesiæ fundamentum, ac proinde aduersus ipsam Ecclesiam præualerent, eamq; funditùs subuerterent. Sed quia duplici modo à sua dignitate potest Pontifex excidere, vel itaut ipso facto, per hæresim notoriam & manifestam sit depositus, vel itaut sit per sententiam deponendus, hoc attingere non est nostri instituti, quamuis probabiliùs multo nobis videatur, cum quamdiu Ecclesia de illius hæresi, ac proinde de illius depositione iudicium non tulit, manere Pontificem, eiusque acta rata esse & legitima. licèt enim ex hypothesi ampliùs non sit membrum, nec caput, saltem coniunctum cum Ecclesiæ corpore, munus tamē publicum quo anteà fungebatur non amittit, donec ei per Ecclesiasticam sentētiam penitùs interdicatur,

Propter hæresim externam Papa potest deponi.

Non est Pōtificatu priuatus ipso facto per hæresim, sed priuādus.

quod ex l. Barbarius. ff. de offic præſ. apertè colligitur.

Ceterùm, quod de hæreſi ſtatuimus, idem de ſchiſmate tenendum eſt, Pontificem nempe ſchiſmaticũ non minùs quàm hæreticum eſſe deiiciendum, & deponẽdum. Quod expreſsè Cyprian. lib. 4. epiſt. 2. aduerſ. Nouatianũ tradit, qui cùm primus ad dignitatem pontificiam viuente vero põtifice eſſet euectus, ſe ita gerebat, vt neque cum vero pontifice, neque cum epiſcopis ei adhærentibus communicare vellet, reſcribit Cyprianus etiamſi eſſet reipſa epiſcopus, ſeu ſummus Pontifex, eum tamen talẽ eſſe deſinere, quòd ſe à corpore & vnitate Eccleſiæ ſegregaret, nolens cum epiſcopis Catholicis, qui lapſos ad pœnitentiam recipiebant, communione coniungi, & certè non immeritò ita ſenſit Cyprianus, Primùm quia ſchiſmaticus non eſt amplius Eccleſiæ mẽbrũ, ergo illius caput eſſe non poterit; etſi enim veram & Catholicã fidem teneat, cùm tamẽ nolit vnitatem & adhæſionem cũ reliquo Eccleſiæ corpore tenere, ab eo non poteſt non eſſe præciſus & ſegregatus. Secundò, à Patribus ſchiſma æquiparatur hæreſi: vel enim eſt hæreſis, vel mox, vt conſtat experientia, in hæreſim degenerat. vnde illud ita execrantur & horrent Patres, vt cum peccatis, & ſceleribus, iiſq; grauiſſimis illud non tantùm cõferant, ſed etiam præferant omnibus. Auguſt. contr. epiſtolam Parmen. cap. 4. illud omnia ſcelera ſupergredi ait: D. Chryſoſt. hom. 11 in epiſt. ad Epheſ. *Qui non habet vnitatem* (inquit), eam verò non habet ſchiſmaticus, *nihil integrum habet.* At quî fieri poteſt vt Summus Pontifex in ſchiſma incidat? inquies; cùm ſchiſma ſit ab eo tanquam à ſupre-

Pontifex ſchiſmaticus poteſt & debet deponi.

mo Ecclesiæ capite, eiusque communione defectio. Caietanus 22. quæst. 37. art. 1° & Turre cremata lib. 4. Summæ Ecclesiæ, parte 1. cap. 11. dignitatis Pontificiæ acerrimi propugnatores affirmãt Papam posse esse schismaticũ in his casibus. Primò si se à cõmunione totius Ecclesiæ & omnium Episcoporũ ob aliquã causã iniustã separet, & solum cum quibusdã sibi cohærentibus communicare velit, vt ex Cypriano loc. citato faciebat Nouatian. qui propterea schismaticus & extra Ecclesiæ gremium ab eodem Cypriano passim prædicatur: cúmque (quod certè deflendum est) à tyrannis mortem pro Christo constãter tollerasset Cyprianus illico mortem extra vnitatem Ecclesiæ inflictam, nõ esse coronã martyrii, sed pœnã perfidiæ rescripsit. Secundò, si nollit amplius officio Pontificis fungi, nec tamen subisse vellet ei qui post se eligeretur, sed se schismaticorum conuenticulis adiungeret. Tertiò, vt aiunt quidam, si antiquos Ecclesiæ ritus & consuetudines ex Apostolica traditione manantes vellet immutare. Sed hic casus sufficiens nõ est, nisi præterea se ab Ecclesiæ vnitate, quæ has cæremonias vult retinere, diuellat & separet.

Papa potest esse schismaticus.

Vtrùm propter alia crimina quàm hæresim & schisma Summus Pontifex sit ab Ecclesia deponendus.

QVÆSTIO X.

PRÆTER hæresim & schisma sunt alia vitia & crimina quæ statum reipublicæ Christianæ non mediocriter labefactant, de his quæstio est, an si iis deditus sit, addictúsque Papa, sit ab

Ecclesia deponendus. Vigorius cum nonnullis aliis (fateor enim eum hac in re non esse singularem) affirmantem partem pro viribus tuetur. Sed nos cum maiori & meliori Theologorum parte constanter asserimus, verum & indubitatum Pontificem pro quolibet crimine scandaloso & Ecclesiæ statui pernicioso, excepta hæresi aut schismate, non esse Pontificatu abdicandum: monendum quidem cum humili reuerentia, à Cardinalibus & Principibus, & à concilio generali arguendum, sed nullatenus deponēdum. Primùm quia Pontifex dempto casu hæreseos, aut alio ad hæresim viam manifestam faciente, à nemine in terris iudicari potest, can. *Nemo*, can. *Aliorum*, can. *Facta*, 9. quæst. 3. can. *Licèt, de electione*, can. *Tantùm*, can. *Nunc autem*, dist. 21. & ca. *Si Papa*, dist. 40. & 2. quęst. 7. can. *Oues* & denique, can. *electionem*, dist. 79. Vbi statuitur electionem summorum Pontificum, vel Sacerdotum, sibi Dominum reseruâsse, licèt, electionem eorum bonis Sacerdotibus & spiritualibus populis concessisset. Nec dicat Vigorius prædicta iura regulariter esse intelligenda, nempe quandiu Pontifex statum Ecclesiæ eiusque dignitatē deprauatis suis moribus non imminuit, aut perturbat; Si enim eā perturbat, excidit suo priuilegio, cap. *Suggestum*. de decimis. Hæc siquidem exceptio gratìs & absq; vllo fundamēto supponitur. cùm enim iura expresè & generaliter dicant Pontificem excepta hæresi pro nullo crimine iudicari & deponi posse, iniquum est, & à ratione penitùs alienum, ad casus minimè expressos Pontificis depositionem extendere. cap. autem *Suggestum* tantùm est de priuilegio alicui personæ vel loco à superiore cōcesso, à quo

Pontifex pro aliis criminibus quam hæresi & schismate non est deponendus.

is iustissimè cadit, qui suâ culpâ cadit. At verò quòd citra hæresim aut schisma Pontifex deponi nequeat, non est priuilegium, sed lex ordinaria à Christo instituta, itaut potiùs dignitati pontificiæ, quàm eius personæ sit annexa.

Secundò, nullus vnquã Papa ob alia crimina quãtumcumque grauia depositus aut iudicatus legitur, quàm ob hæresim & schisma. Nam quod de Ioanne XII. & Benedicto V. scribitur, eos propter vitæ turpitudinem & scandala ab Otthone I. Imperat. de pontificatu fuisse deiectos in synodo comprouincialiũ Episcoporum (Ioannes enim ob incestus, adulteria, periuria, & eius generis flagitia plurima dicitur expulsus.) Id quidem factum est contra canones & iura, vt ex Sigeberto in Chron. patet, simulq. ex Othone Frising. qui non lõgè à tẽpore Othonis I. scripsit. Cùm enim priuationem pontificatus Ioannis descripsisset, subiunxit: *Quæ omnia vtrùm licitè, an secus acta sint, dicere, præsentis non est operis. Res enim gestas scribere, non gestarum rerum rationem reddere proposuimus.* Quare nihil quicquam Vigorij sententiæ horum Pontificum depositio suffragatur. Tertiò, cùm Marcellinus Pontif. non sine magno Ecclesiæ dedecore & scandalo idolis metu tormentorũ thus adoleuisset, & ad conciliũ Sinuessanum se contulisset, vt à patribus inibi congregatis iudicaretur: Responderunt patres, primam Sedem à nemine posse iudicari; sed causam ab ipso Marcellino agi debere, & ore proprio iudicari, vt à Nicolao I. ep. 8. ad Michaelem Imperat. refertur. Quo sensu S. Siluester in concilio Romano cõstituit primam Sedem neque ab Augusto, neque à Clero, neque à Regibus,

Nullus Papa propter crimina scãdalosa est depositus

neque à populo esse iudicandam. vnde cùm multa essent Symmacho Papæ obiecta, de quibus vt iudicaretur magna esset Episcoporum synodus coacta: Responderunt omnes, suæ authoritatis non esse in summum Pontificem sententiam dicere, & totam causam Deo se tradere iudicandam. Quartò, quamdiu bene docēt Prælati, tādiu sunt audiendi & retinēdi, Matth. 23. *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite; opera autem eorum nolite facere.* Atqui quouis crimine (si hæresim & schisma excipias) detineatur Pontifex, rectè docere non desinit: ergo propter illud nequaquā est deponendus. Denique huc refertur quod habetur in 8ª synodo generali act. 7. vbi approbantur decreta Adriani Papæ, quibus ita loquitur: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicâsse legimus, de eo verò quemquam iudicâsse non legimus.*

Argumēta Vigorij pro Pōtificis depositione.

Sed argumenta Vigorij paucis, quæso, expēdamus ex Scriptura veteris & noui Testamenti. Primum petitur ex Ezech. 34. *Væ pastoribus Israël qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores Israël, requiram gregem meum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem.* Matth. 5. *Vos estis Sal terræ, quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Hoc autem Christus omnibus Apostolis & Petro dixit: & Hieronymus non solùm de quibuslibet Episcopis, sed de iis qui tenent locum Petri & Pauli, Pontificibus scilicet Romanis, interpretatur epist. ad Heliodorum. Qui locus refertur à Gratiano can. Non*

omnes. 2. qu. 7. & Lucæ 16. villico qui rem & substantiam omnẽ domini sui administrabat, cùm accusatus fuisset apud dominum, quòd omnia bona ipsius dissipasset; Redde (inquit) rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare. Hæc Vigorius. Respõdeo, & quidem in primis ad Ezechielis testimonium, illud ad litteram de pastoribus veteris legis intelligi, neque posse nisi allegoricè nouæ legis pastoribus adaptari: ex sensu autem allegorico firmum nunquam eruitur argumentum. Et quamuis liceret ex sensu allegorico argumentum petere, de supremis tamen pastoribus nõ agit Ezechiel, sed vniuersim de omnibus: certum est autem Prælatos inferiores propter scandala, & vitæ deprauationẽ legitimè deponi posse, habent enim supra se aliquos qui legitimè per suspensionem, excommunicationẽ, & depositionẽ possint in ipsos animaduertere. Quod si pertinaciter contendat Vigorius Ezechielem de solis supremis Pontificibus agere. Respondeo Papam propter scandala & nefariã vitam à Deo deponi posse, vt dicit Ezechiel: *Ecce ego ipse* (nempe Deus) *cessare faciam eos*. Et fortè aliqui ita fuerunt depositi, quorũ mors non sine manifesto diuinæ prouidẽtiæ iudicio fuit accelerata, ne malo suo exemplo alios pessumdarent. Sed hoc per miraculum fit, & extraordinariè, proindéque in legem abire aut trahi meritò non debet. Locus verò Matthæi, quem secundo loco profert Vigorius, non solùm de prauitate morum, sed etiam de peruersitate & falsitate doctrinæ intelligi debet. Cùm enim Salis duæ sint proprietates, saporem cibis alioquin insipidis conferre, & eas à corruptione præseruare, nomen salis ad sapientiam

Quid per Sal terræ Christus intellexit.

qua homines ſapiunt, & ad exemplarem vitam, qua ad piè viuendum alij inducuntur, meritò traducitur. Quinimmò ex his duabus ſignificationibus prior communior eſt & accommodatior: vnde cùm Apoſtoli ex Chryſoſtomo & Theophylacto, non vnius aut paucorum hominum, ſed totius orbis magiſtri eſſent futuri, eorum quippe prædicatione omnes homines ab errore ad veritatem erant reducendi: ideo Chriſtus eos metaphoricè Sal terræ, id eſt, omnium hominum Doctores nuncupauit. Ex eo igitur quòd Sal infatuatus foras proiiciatur & conculcetur ab hominibus, nihil aliud infert quàm Prælatos, ſupremo etiam non excepto, ſi à proauorum fide, & doctrina degenerēt, eſſe foras mittendos, & deponēdos. Quòd ſi de ſola morum prauitate abſque vllo in fide errore locus Matthæi exponatur, Reſpondeo Sal infatuatum foras proiici, & ab hominibus conculcari, quando Prælatorum vita vſque adeò deſpicitur, vt ab hominibus non ſolùm ipſorum perſonæ, ſed & mādata contemnantur, & pro nihilo reputentur. *Cuius enim vita deſpicitur* (vt inquit D. Gregorius) *reſtat vt eius doctrina contemnatur.* Vtramque ſolutionem inſinuat Gloſſa in can. *non omnes* 2. quæſt. 7. *Infatuatum ſal, id eſt, ſtulti Prælati inſipidi in prædicando, & fatui in delinquendo.* Parabola villici eſt contra Vigorium. Nam præterquam quod Parabola, vt norunt Theologiæ tyrones, argumētum fidei nunquam aut perrarò ſuppeditat, ipſa ſolùm probat à patrefamilias, Deo nimirum, aut Chriſto Pontificem deponi, ſed non ab hominibus; quibus etiam rationem adminiſtrationis non debent reddere, ſed ſoli Deo, cùm villicus

Quid per Parabolā villici ſit intelligendum.

propter

propter bonorum familię decoctionem & diſſipationem non à familia, ſed à domino villicandi officio fuerit ſpoliatus, & domino ſuo nō familiæ villicationis ſuæ rationem reddiderit.

Secundum argumentum ſumit Vigorius ex Gloſſa in c. *Nemo* 9. q. 3. *Cùm enim Papa peccat, poteſt eius peccatum etiam Eccleſiæ denūtiari, iuxta admonitionem Euangelij Matth. 18. Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Et ex Gloſſ. ca. ſi Papa. diſt. 40. Certè credo quod ſi notorium eſt crimen eius quandocumque & inde ſcandalizatur Eccleſia, & incorrigibilis ſit, quod inde poſſit accuſari: Nam contumacia dicitur hæreſis.* Quibus ſubiicit Vigorius Iuriſconſultorum de hac re contentionem, quorum alij gloſſam damnant, alij reprobant. Reſpondeo tantùm abeſſe vt gloſſa citata Vigorij intentum adſtruat, quinimmò illud omnino deſtruit: vbi enim aſſeruit in tribus caſibus Papam poſſe iudicari, cùm ſe alterius iudiçio voluntariè ſūmittit, in cauſa hæreſis, & cùm ſe confeſſario pro peccatorum ſuorum abſolutione ſummittit, addit, *Item cùm Papa peccat, poteſt eius peccatum Eccleſiæ denuntiari:* vbi apertè liquet Gloſſam aliter loqui de peccato contra fidem, nempe hæreſi, & aliter de peccato contra mores, quo ſcilicèt Pontifex Eccleſiam, citra hæreſim ſcandalis implet & contaminat: In priori enim ait eum iudicari poſſe, in poſteriore verò duntaxat denuntiari, illudque apertiùs in fine gloſſę ſignificatur his verbis: *Si totus mundus ſententiaret contra Papam in aliquo negotio* (excepto eo quod ad fidem ſpectaret) *videtur quod ſtandum eſſet ſententiæ Papæ.* Ab hac autem Gloſſa nullomodo diſſentimus; fatemur enim

Propter peccatum ſcandaloſum poteſt denuntiari Pontifex ſed non deponi.

si peccatum Pontificis notorium sit, & Ecclesiæ ita perniciosum, vt inde ruinam Ecclesiæ impédere probabiliter constet, quia nimirum fideles illius vestigia non tantùm sint secuturi, sed fortè etiam suspicabantur id licere quod est illicitũ, & è cõtrà; atque à proceribus Ecclesiæ monitus nolit emendari, sed obfirmato animo in scãdalosis illis criminibus perseueret, tunc vtique potest accusari & denuntiari in concilio (quod absque eius authoritate in eo casu indici & cõgregari poterit) non vt deponatur, vel in ordinem redigatur, sed vt efficaciùs corripiatur, & Ecclesiæ laboranti meliùs & consultiùs prouideatur, & ad id quodã quasi iure naturali tenẽtur Ecclesiæ proceres, vt Cardinales, Patriarchæ, nec nõ principes quibus Ecclesiæ dignitatem deffendere & conseruare incumbit, instar filiorum qui matri grauiter & periculose laboranti naturaliter debent subuenire. can. *si rector* dist. 43. & can. *aduersitas* §. *cum vero* 7. quæst. 1. Secũdò dicimus & hoc tantùm tanquam probabilius, varia enim sũt ea de re doctorũ placita, si crimen notorium Pontificis in periculum fidei non vergat, sed tantùm in perniciem morum Ecclesiæ vniuersaliter cedat, quia scilicet fidelibus manifestè constat summum Pontificẽ ex fragilitate humana peccare, in hoc etiã casu posse denuntiari. Nam cùm ad salutẽ non minùs necessaria sit integritas morum quàm fidei, vbi adest probabile periculum, ne fidelium mores inficiantur & corrumpantur, potest peccatum Pontificis in concilio denuntiari, & de eo non solùm moneri, sed etiam grauiter corripi. Turrecremata, Syluester, Iacobatius, & alij, etiamsi pro dignitate Põtificis pugnacissimè soleant decertare, exemplumq; proferunt: Si Pontifex per si-

monias exorbitantes, iniquissimas dispensationes, & collationes beneficiorum personis omninò ineptis & indignis, vt hęreticis, fœminis, pueris; aut si aliquod alliud crimen moribus fidelium admodùm perniciosum obfirmato animo perpetraret: illudque ab Hormisda Pontifice epist. ad Episcopos Hispaniæ decernitur: *Difficile est* (inquit) *vt cuiusque cor si prauis cogitationibus induretur, in se patiatur culpandus fieri, cùm nouerit se iudicium concilij subiturum.* Porrò hæc Glossa, vt testis est Cardinalis Alexandrinus in can. *Si Papa.* dist. 40. olim tempore Eugenij IV. turbauit Ecclesiam, multorumque animos & aures non mediocriter offendit: Tempore verò Iullij II[i], excommunicatis ab eo Galliæ & Nauarræ Regibus, causa fuit maximæ altercationis, multis scilic. eam approbātibus, & multis improbātibus. Approbarūt eam Panorm. in c. *Significasti.* de electione, nu. 4. in c. *Cùm meminissent.* de iudic. in c. *Fraternitatis.* de hæreticis. Ancharanus tract. de schismatic. Ludouic. Romanus cons. 523. Anania cap. *quoties.* de simonia. De rosellis trac. de concil. in quæst. *Vtrùm sententia Papæ præualeat sententiæ concilij.* Eam autem improbarunt Card. Alexandr. in can. *si Papa.* Petrus de monte tract. de potest. Papæ. Andr. Siculus Clemen. *Ne Romani.* de electione. Imola ibid. Felinus in c. *Nonnulli.* de rescriptis. vers. *sed non videtur*, col. 4. Quòd si quis, nostrū in hac doctorū dissensione iudiciū requirat, respond. glosā hāc minimè nos improbare; potest enim Pōtifex, si in notoriis & scādalosis criminib. ita sit obfirmatus, vt ab eis nequaquā velit emēdari nec resipiscere; in cōcilio à Patrib. aut etiā in facie toti⁹ Ecclesiæ à cōcionatorib. quorū verbū non

Recē̄ sentur peccata grauia quibus Papa posset Ecclęsiam scādalizare.

est allegatum, seruata moderatione & reuerentia Sedi Apostolicæ debita reprehendi, vt sic accusatus & reprehensus, efficaciùs emendetur. Hoc autem non est pudenda patris retegere, sed curare vt retecta operiãtur. Ex his autem non propterea sequitur quod intẽdit Vigorius, scilicet summum Pontificem deponi & iudicari posse, aut eius potestatem restringi, aut coarctari, vt suprà satis ostendimus.

Tertium Vigorij argumentum sumitur ab exemplis. In Constantiensi concilio Ioannes XXIII accusatus fuit de simonia, incæstu, veneficio, adulterio, & aliis criminibus. Atqui de his frustrà accusatus fuisset in concilio, si de his à concilio iudicari non potuisset: Rursus *Ioannes ille* (inquit) *nõ propter hæresim, nõ propter schisma, sed propter notorium scandalum est condemnatus, vt ex sententia aduersus eum lata patet.* Et ideò Basileense concilium sess. 26. decernit. *Notum sit quod sacra generalia concilia iurisdictione super Papam vti possunt cum clamorosa insinuatione, vel aliàs vt ipse scandalizator Ecclesiæ sacro concilio defertur:* Et horum duorum conciliorum decretum, est Papam subesse concilio in his quæ sunt ad reformationem Ecclesiæ, tam in capite quàm in membris. Respondeo Vigorium non tantùm debuisse exemplũ Ioannis 23. assumere, sed etiã Benedicti 13. cùm vterque in concilio Constantiensi fuerit abdicatus, & Gregorius 12. per Carolum Malatestam seipsum spontè abdicauit. Hoc autem nemini mirum videri debet. Primùm, quia erant incerti & dubij Pontifices, in quos certum est concilia generalia ius habere, eosque ad pacem, & concordiam Ecclesiæ posse legitimè deponere. Secundò, quia ipsi in sua

Cur in concilio Constantiensi tres Põtifices fuerint depositi.

electione iureiurãdo interposito promiserant se tum Pontificatu cessuros, cùm Ecclesia vel generale concilium ad extirpationem schismatis necessarium hoc iudicâsset: Et quamuis promissis postea stare noluerint, nihil propterea obstitit quominus Ecclesia eos potuerit deponere, quia scilicèt ea tantùm lege, & conditione ad apicem Pontificatus assumpti fuerant. Tertiò, non erant absolutè & simpliciter Pontifices, saltem notoriè & exteriùs: neque enim in totum orbem Christianum, sed solùm in terras suę obedientiæ ditionique subiectas authoritatem habebant. vnde etsi in eorum condemnatione varia eis crimina obiecta sint, & eorum causa à concilio fuerint depositi (quamuis propria depositionis illorum causa fuerit extinctio schismatis quo tunc Ecclesia miserrimè iactabatur) non tamen propterea sequitur verum, indubitatum, & absolutum Pontificem, pro eius generis criminibus à concilio deponi posse. neque enim ab incerto, & conditionali Pontifice ad certum, indubitatum & absolutum, valet consequentia. Ad decretum autem concilij Basileensis initio libri respondimus, istud nempe concilium nomen cõcilij non mereri; Etsi enim à Martino V. fuerit indictum, eiusque indictio ab Eugenio IV. fuerit confirmata, inchoatumque fuerit à Iuliano Cæsarino, legato à latere ipsius Eugenij, cùm tamen prætextu componendi mores Reipublicæ Christianæ, statim post inchoationem multa & varia Ecclesiæ Romanæ priuilegia omnino tollere, & antiquare propositum habuerit, ab Eugenio IV. fuit meritò dissolutum, & Ferrariam trãslatum. Decretum autem quod à Vigorio adfertur,

eſt de eorum numero propter quæ facta eſt concilij diſſolutio, & reuocatio. quare ex eo nihil pro depoſitione Pontificis, in aliis ab hæreſi criminibus, poteſt efficere.

Quartùm, ex Schola Pariſienſi petitur. *Quæ* (inquit Vigorius) *ſemper decretis Conſtantienſis, & Baſileenſis concilij adhæſit, vt & ſchola Colonienſis, in libello quem tēpore Baſileenſis congregationis edidit, aduerſus eos qui Pontificem generali concilio ſubiectum negabant. De quo extat epiſtola Pij II. ad Rectorem & Vniuerſitatem ſtudij Colonienſis.* Reſpondeo, me Doctorem Pariſienſem libenter fateri, quoſdam ſcholæ noſtræ Doctores, ſententiam hanc Vigorij de Pontificis ſcandaloſi depoſitione adſtruere, præſertim Gerſoniū, & Almaïnum; nuſquam tamen legere me, vel etiam audire memini, vllum ea de re decretum à tota ſchola editum fuiſſe, veriuſque ac certius eſſe credimus, nunquam tale ab vniuerſa ſchola promanâſſe. Ideoq; falsò & iniuriosè me tanquam deſertorē ſcholæ habendū, & cœlo ſoloq; Gallico eo nomine illico priuandū. Quòd autem horum conciliorum decretis ſchola Pariſienſis ſemper adhęſerit, non propterea ſequitur eam ſententiæ Vigorij hac in re patrocinari; quandoquidem inprimis decretum Conſtantienſe latum fuit aduerſus incertos Pontifices, & qui ab vna & altera tantùm prouincia, non autem à toto orbe Chriſtiano acceptabantur: tales autē Pontifices, non ſolùm pro extirpatione ſchiſmatis, ſed etiam pro famoſis criminibus deponi poſſe, ego cum tota ſchola facilè conceſſerim. Baſileenſe autem decretum, nihil nos mouet aut moratur, nuſquam enim ſcholæ totius calculo fuit receptum, im-

mò vbique in Gallia, poſt electionem Amedei, & depoſitionem Eugenij veri & indubitati Pontificis fuit repudiatum, vt initio oſtendimus. Inſtabit forte Vigorius, Pium II. ex bulla retractationis eorum quæ in adoleſcentia geſſerat & ſcripſerat, in opinionem concilij ſuprà Papam à legatis ſcholæ Pariſienſis, *cuius* (inquit) *eſt fama percelebris*, adductum fuiſſe. Ergo non tantùm aliqui Doctores, ſed tota ſchola pro hac ſententia mordicus ſtabat. Reſpondeo, Pium II. non affirmare ſcholam Pariſienſem in hac opinione depoſitionis Pontificiæ verſari, ſed tantùm legatos eius. Certum eſt autem legatos motu proprio abſque vlla ſcholæ inſtructione in hanc contra Eugenium ſententiam deſcendiſſe, quandoquidem Rex Carolus, & conſequenter omnes Galliæ proceres à partibus Eugenij ſtabant. Noluiſſet autem ſchola renitente Rege, aduerſus Eugenium ſua habere comitia, & pro eius depoſitione ferre ſententiam: maximè cùm probè teneret iure caueri ne pro rebus concilij conuentus alibi quàm in concilio habeantur, videretque Regem Carolum ægrè ferre, quæ contra Eugenium Baſileæ agebantur. Ne ergo me amplius, tanquam ſcholæ meæ apoſtatam ſiue deſertorem ſugillet Vigorius, cùm nullum peſſimi ſui dogmatis decretum à noſtra ſchola conſtitutum poſſit oſtendere: Et quamuis aliquod extaret, mallem tamen ſtare à partibus Pontificis, cui omnes Chriſtiani, vt ſummo Eccleſiæ dictatori ſubiiciuntur, eique præcipuos honores, & obſequia debent: quàm ſcholæ alicuius particularis, cui error poteſt obrepere, decretum ſequi, aut tueri.

Schola Pariſienſis nunquam ſenſit Pontificē ſcandaloſum eſſe deponendum.

Quintum Vigorii argumẽtum ducitur ab exemplis & vſu Eccleſiæ: *Sixtus accuſatus ſtupri cum Chryſogonide conſecrata, cauſam dixit Leo III, Paſchalis, & Leo IV. rei facti ob alia crimina præter hæreſim, ſe ſe purgauerunt. Et Dioſcorus licèt in fide non peccâſſet, ab Eccleſia Romana cõdemnatus eſt. can. Sane 24. qu. 2.* Reſpondeo ſummos Pontifices de obiectis ſibi falsò criminibus vltrò reſpondiſſe, eáque non modò, ſed & eorum ſuſpicioné prudenter amouiſſe; ſéque (vt aiunt) purgaſſe, modeſtiæ atque humilitatis gratia: non tamen quod id facere vllo iure cogerentur. Sic Sixtus III. can. *Mãdaſtis* 6. qu. 5. omnibus Epiſcopis reſcripſit: *Scitis me criminari à quodam Baſſo, & iniuſtè me perſequi. Quod audiens Valentinianus Auguſtus noſtra authoritate Synodum congregari iuſſit, & facto concilio cum magna examinatione ſatisfaciens, licèt aliter euadere potuiſſem, ſuſpicionem tamen fugiẽs coram omnibus me purgaui.* Circa finem verò ita loquitur (quod attentè obſeruare debet Vigorius.) *Non aliis qui noluerint, aut ſponte hoc non elegerint faciendi formam dans.* Idemque ferè Leo III. cap. *Auditum eſt*, decernit. *Hoc autem faciens, non legem præſcribo cæteris quâ id facere cogãtur.* De Paſchali maior eſt difficultas, cùm auctor vitæ Ludouici Pii Imperatoris referat Ludouicum ipſum miſiſſe Romam Legatos, qui de cæde, cuius à multis Paſchalis Pontifex reus credebatur, inquirerent & cognoſcerent. Nihilominus alterutrum horum verum eſt: vel Ludouicum id vi potiùs quàm iure feciſſe: vel Paſchalem ſponte duntaxat & abſque vlla coactione iuridica coram Legatis ſe ab illa ſuſpicione purgaſſe, & innocentiam ſuam palam & publicè probaſſe. Quod verò ad Dioſcorum, is certè falsò inter

Põtifices ſponte ſe purgarũt à criminibus quorum accuſabantur.

inter Pontifices Romanos à Vigorio recenſetur; nullus enim Papa vnquam hoc nomine eſt vocatus. fuit quidem huius nominis Cõſtantinopolitanus Patriarcha, qui cùm in Romanum Pontificem anathematis ſententiam arroganter ferre auſus fuiſſet, ab Eccleſia ſtatim eſt condemnatus, & pœnas ſuæ arrogãtiæ luere coactus eſt. Sed vt Romam pro Conſtantinopoli ſæpe ſumpſit Vigorius: ita non mirum eſt ſi Conſtantinopolitanum Patriarcham cõtra gloſſam expreſſam, Romanum Pontificem nominare non ſit veritus, & quidem dolosè & malitiosè: ſatis enim illi conſtabat, quòd etſi Dioſcorus appellaretur Papa, non propterea ſequi eum in Apoſtolico throno ſediſſe, cùm nomen Papæ olim primoribus Epiſcopis & maximè Patriarchis tribueretur.

Sextum. hæc eſt iuris canonici conſultorum opinio ex gloſ. & ca. *Si Papa.* diſt. 40, quã totus mũdus (vt inquit Panorm. in cap. *Propoſuit.* de conceſſ. præbendę approbar. Sed ad gloſſam, eiuſque approbatores ſuprà ſatis ſuperque reſpondi: neque eſt quod idẽ toties repetamus: tantùm dicam mentiri Vigorium ea parte quâ ait Iuriſconſultos ſecum ſentire. Cùm enim ex regula Dialecticorum propoſitio indefinita æquipolleat vniuerſali, latenter inſinuat Vigorius omnes Iuriſconſultos ſuam ſententiam adſtruere. quod tamen eſt falſiſſimum: nam præter eos quos in ſolutione ſecundi argumenti recenſui, hi etiã longè doctiſſimi contra eum ſenſerunt Aluarus Pelagius lib. 1. de plãctu Eccleſ. c. 4. Turrecrem. in Summa lib. 2 cap. 93 & ſequentibus. Cordubenſis lib. 4. de poteſt. Papæ, qu. 5. Auguſtin. de Ancona quæſt. 5. de poteſt.

Mẽdaciũ apertum, quod omnes Canoniſtæ pro eius opinione ſtent.

Ecclesiæ cap.4. Syluester tit. Papa quæst.4. & alij.

Septimum petitur ex Sanctione Pragmatica à Carolo VII. edita, qua decreta illa cōcilij Basileensis quibus Pontificem pro crimine scandaloso deponi posse decernitur, cum omnium ordinum Galliæ, & vniuersitatum consensu sunt recepta. *Quòd si Valla* (inquit Vigorius) *dicat hanc sanctionem à Leone X. in bulla concordatorum fuisse reuocatam. Respondeo decreta quæ sunt fidei non esse reuocata.* Sed pax rebus: in hac Vigorij ratiocinatione, duo vel tria insignia mēdacia deprehēdo Primum, decretā fuisse Pōtificis depositionē pro crimine scandaloso in concilio Basileensi. Nihil enim ea de re actū est in hoc concilio. Solùm enim sess.2. cōfirmantur concilij Constantiensis decreta, pro concilij generalis suprà Papam authoritate. At hîc nullum extat verbū de depositione Pontificis pro crimine scandaloso. Ex eo autem quòd conciliū suprà Pōtificem cōstituat, non propterea eum pro quibusuis criminibus deponendum decernit. Secundum mendaciū est hanc Pōtificis depositionem extare etiam in Pragmatica Sanctione. Huius enim omnia capita summatim refert Guaguinus li.10. in Carolo VII. in quibus nulla huius rei fit mētio. En verba ipsa: *Romanus Pōtifex quoque decennio generalem synodum loco quē volet posthac congregato, Si negligens erit, potestas esto patribus id designādi. Conuocati cōcilij locū, nisi necessum erit Pōtifex, non mutato. Basileensis concionis authoritas & ipsius decretorū constantia perpetua esto, quæ nemo vnquam nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre præsumito.* Cæteræ regulę ad beneficiarios spectāt, vbi quæso in hac pragmatica sāctione verbū aliquod de depositione Pontificis pro crimine scādaloso? Tertiū mendaciū est, dogma hoc

In pragmatica sanctione nulla fit mentio depositionis Pontificis scādalosę.

esse de fide. nemo n. hactenus eo impudentiæ præter Vigoriũ ausus est deuenire: certè nullibi hoc est definitũ, imò bona pars doctorũ cõtrariũ sẽtit. Fortè dicet Vigorius in hoc Basileensi decreto quo statuitur cõciliũ generale in quẽcũque, etiã in ipsũ Papã habere authoritatẽ ad generalẽ Ecclesiæ reformationẽ, tã capite, quã in mẽbris. Verùm fallitur bonus vir: quãuis n. fortè virtualiter & implicitè (vt aiunt) talis Pontificis depositio in hoc concilij decreto contineatur, hoc tamẽ nõ sufficit vt de fide esse iudicetur. Expressa enim & absolutè definita esse debuit, ita vt à nullo quã à proteruo & contra Ecclesiam rebellãte negari possit: aliàs (quod diligẽter est animaduertẽdũ) quælibet dogmata à cõciliis nouissimis definita, cùm priùs implicitè in Scriptura aut traditione cõtinerẽtur, tanquã de fide haberi debuissent, quod nemo dixerit. Igitur, etiãsi in decreto illo Basileensi talis depositio prædicto modo cõtineretur, de fide propterea non esset. Sed negamus adhuc eam implicitè tali decreto cõtineri; satis enim est ad decreti Basileẽ. veritatẽ. & cõcilii supra Pontificem authoritatem depositio illius propter hæresim & schisma, & in casu quo ipse Pontifex fautor esset hæreticorum & schismaticorum.

Quomodo se gerere debeant Catholici tempore schismatis.

QVÆSTIO XI.

CVM tempore concilij Constantiensis, magno totius Ecclesiæ scandalo tres se pro põtificibus gererent, Benedictus XIII sedens Auenioni, Gregorius XII Arimini, & Ioannes XXIII Alexandri in concilio Pisano electi successor, & eorum quisque suã electionẽ legitimã & canonicã sustine-

ret, monstrosũ & pestiferũ schisma exortũ est, quod vniuersam Ecclesiã diuisit, perturbauit, & deuastauit. Quòd autẽ Ecclesia Gallicana per aliquod tẽpus Petro de Luna sub nomine Benedicti 13 obedientiam præstitisset, post concilium Pisanum ab eo penitus secessit; sed cùm nihilominus schisma perseueraret atque indies ingrauesceret, neutralitatem Gallia amplexa est, & eapropter cõcilium Parisiis habitum fuit, in sacra Capella Regalis Palatij anno 1408. præside Archiepiscopo Senonẽsi, in quo de administratione iustitiæ, de sententiis à iure latis, casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, dispensationibus, appellationibus, & aliis ad Ecclesiæ regimen necessariis multa pręclarè & laudabiliter pro tempore schismatis decreta sunt, de quibus hoc loco non agimus, cùm tantùm pro fide quam de Ecclesia & S^a Sede Apostolica haberi oportet, & non pro negotiis vt par est terminandis, hoc loco decertemus. Vt ergo quæstionem propositam dissoluamus, cùm in partes Ecclesia diuisa est, & Pontificum inter se contendentium schismate laborat; si vnum ex illis legitimum Pontificem esse certò constet, itaut de eius electione iustè ac meritò dubitari nequeat, illi omninò est adhærendũ, & ab aliis, tanquam ab illegitimis & schismaticis recedẽdum. Quòd si omnes sint dubij & incerti, itaut pro electione singulorum probabiles suppetant rationes, nulli tunc est adhærendum, nempe quia re vera nullus eorum ius habet veri, & legitimi Pontificis, vnde cùm incertus & dubius pro nullo in iure habeatur, perinde est ac si nullus in Ecclesia Pontifex esset, & ideo si quis tunc Christianus, cum aliquo dubio Pontifice communionem haberet, is meritò schismaticus haberetur, & in

Neutralitatẽ tempore schismatis Gallia est amplexa.

hoc casu concilium generale, aut congregatio Cardinalium, Ecclesiam vniuersalem repræsentantium, dubios illos Pontifices, ad iuri suo vero vel prætento renunciandum, potest compellere. Et quamuis eum qui reipsa verus sit Pontifex, non possit ad abdicationem cogere, ipse tamen in conscientia se Pontificatu sponte debet abdicare, si hoc ad pacem Ecclesiæ putet esse necessarium, iuxta illud Ioan. 10. *Bonus Pastor ponit animam suam, pro ouibus suis*, multò ergo magis honorem & dignitatem. Et hoc modo Gregorius 12. in concilio Constantiensi per procuratorem Pontificatu cessit, sess. 14. cùm idem concilium Ioannem 23. & Benedictum 13. abdicâsset. Dices concilium Pisanum, Gregorium 12. antea deposuisse, qui tamen multorum opinione verus erat Pontifex, saltem de eius quàm de Benedicti 13. iure euidentius probabiliusq; constabat. Ergo in schismate potest concilium generale verum Pontificem deponere. Neganda est consequentia. Id enim fecit concilium Pisanum, quia tunc non satis constabat Gregorium esse legitimum Pontificem. Vnde eum simul cum Benedicto 13. deponēdum censuit. Hoc tamen factum postea concilium Constantiense, voluntaria eius cessione prius expetita emendauit. Sed quid faciat (inquit) populus Christianus, qui de iure electorum iudicare nequit? Respondeo satis esse, si tunc de suis propriis Pastoribus & Episcopis adhæreat, donec ei pleniùs de electionis veritate constet, modò semper paratus sit, cum eo quem Ecclesia receperit, communionem habere, eumdemque vt verum Pontificem agnoscere & retinere. Ita Turrecremata in summa Ecclesiæ lib. 4. part. 1. cap. 14. & hactenus de Ecclesiastica Disciplina.

Verus Pōtifex aliquando tenetur se deponere.

QVARTA PARS

DE CONCILIIS, EORVMQVE CVM PONTIFICE COMPARATIONE.

An Concilia Ecclesiæ sint absolutè necessaria.
QVÆSTIO I.

CONCILII nomine intelligo cœtũ quendam Prælatorum in pium finem alicubi conuenientium. Concilia enim analogia quadam regnorum comitiis respondent. Vt enim in comitiis regni proceres pro salute & incolumitate ciuium congregantur; ita & in conciliis Ecclesiæ Prælati pro fidelium salute & conuersione; hoc tamen discrimine, quòd in comitiis de temporali, in conciliis de spiritali salute agatur. Conciliorum quatuor sunt genera; alia enim sunt œcumenica, quibus totius orbis Episcopi, nisi quid obstet (vt si sint hæretici, vel si cum Sede Apostolica cõmunionem non habeant) debent interesse, & his quidem ordinariè atque vtplurimùm præest solus Pontifex Romanus. Alia sunt nationalia, quibus intersũt Episcopi & Archiepiscopi omnes alicuius regni, & quibus regulariter præest Patriarcha, aut Primas, & hæc dicuntur nonnunquam generalia, aliquando verò prouincialia, quatenus cum œcumenicis comparantur, & quarumdã prouinciarũ finibus coarctãtur. Alia sunt prouincialia, in quibus cõgregantur Episcopi vnius duntaxat prouinciæ, & quibus regulariter præest Archiepiscopus. Alia deniq; diœcesana, in qui-

Quatuor genera conciliorum.

bus, tantū cõgregātur canonici& parçchi vnius Episcopatus, & quibus Episcopus loci præest, & hæc postrema vix nomen concilij merentur: cum enim concilia iurisdictione exteriori gaudere debeát, & in diæcesanis nullus ordinariè sit qui hac iurisdictione præter Episcopum gaudeat, non sunt propriè cõcilia, sed tantùm conuentus seu congregationes. Hoc autem ideo præmisimus, vt quisque sciat nobis in hac cõtra Vigoriū concertatione de solis conciliis generalibus sermonē esse; satis enim cuiuis Catholicorū exploratū est nullā inter summū Pontificē & cõcilia generalib. minora cõparationē intercedere: omni enim alio cõcilio nemine repugnāte summus Põtifex est superior. De solis ergo œcumenicis & generalibus hîc sermo instituitur. Quòd autē ante omnia in cõtrouersiā vertitur, est, an generalia cõcilia sint necessaria & quo iure necessitatis, an absolutè, an verò secundū quid, vt loquūtur. Vigorius init. cõmētarij ait nullā ab antiquis repertā esse expeditiorē rationē confirmādæ per totā Ecclesiā pacis, quàm eam quæ à Christo authore pacis est tradita, synodorū nēpe coactio, siue cõtētiones circa legalia sint rescindēdæ, siue hæreses extirpandę, siue schismata terminanda, siue Ecclesia tam in capite quàm in membris reformanda. *Christus enim* (inquit) *scandala ad Ecclesiam referri iubet.* Sed cùm hac in re generalius quàm par sit loquatur Vigorius, meritò est reprehendendus. Primum enim synodorum generalium coactio ad hos fines quos recenset non est absolutè necessaria, & quidē non ad extinguendas hæreses cū 300 annis & ampliùs variæ hæreses vel à Romanis Põtificib, quibus, vt ait Cypr (l.1.ep.3) obtēperare debet

Conciliorū generaliū coactio non est absolutè necessaria ad extingnēdas hæreses.

fraternitas vniuersa, vel à conciliis prouincialibus, vel etiam ab Episcopis particularibus fœliciter extinctæ fuerint, & ipsi hæresiarchæ condemnati, vt Cerdoniani, Marcionistæ, Valentiniani ab Eleutherio, Theodosiani & Quartodecimani à Victore primo, Sabelliani à Zephirino, Anabaptistæ à Stephano, Nouatiani à Romana synodo prouinciali, præsidente Cornelio, Manichæi ab Archelao Episcopo & Marcello eximiæ sanctitatis viro, qui omnes concilio generali minimè expectato statim toto orbe dãnati sunt. Quod enim dicit Vigorius Quartodecimanos à Victore damnatos & anathemate percussos in synodo Nicæna fuisse rursus condemnatos, id ad maiorem eorum confusionem atque infamiam factum fuit, vel etiam vt citra vllam tergiuersationem inter hæreticos vniuersaliter censerentur, qui anteà excõmunicati solùm habebantur. neque enim eorum dogma tanquam hæresim Victor cõdemnauerat. Quod ergo pro damnandis & extirpandis hæresibus toto illo temporis spatio absque vllis conciliis generalibus actum est, idem posterioribus seculis in Ecclesia præstari eàdem ob causam potuit, potest, poterit. Et quãuis septem prima cõcilia exortas hæreses magno Catholicorum omnium applausu extinxerit, cum tamẽ eodem modo quo primis trecentis annis quibus nullum generale concilium indictum est & congregatũ, extingui & sopiri potuerint, profectò ad extinguendas hæreses absolutè œcumenica concilia non erunt necessaria.

Sed contrà Vigorius, *Hæreses* (inquit) *à Pontificibus in Synodis particularibus Romæ coactis damnatæ à generalibus*

libus conciliis rursus damnari non desierunt, non ob aliam causam, nisi quia hæc Pontificis condemnatio ad cẽsuram hæreseos satis esse nõ credebatur: atque id quidem exempla non pauca demonstrant. Macedoniani enim à Liberio & Damaso in conciliis Romanis damnati, à Synodo Constantinopolitana generali rursus damnati sunt. Nestorius à Celestino in concilio Romano, & post à Synodo Ephesina. Petrus Antiochenus à Felice III. & pòst in synodo 5. œcumenica Constantinopolitana. Paulus, Pyrrhus, & Sergius ab Agathone, in 6. synodo Constantinopolitana. Iconomachi à Gregorio III. & à 2. Nicæna œcumenica. Photius & Gregori⁹ Syracusanus, à Nicolao I. & ab Adriano II. in conciliis Romanis ab 8ª œcumenica Constantinopolitana. Berengarius à Leone IX. in conciliis Romano & Vercellensi, & à Nicolao II. in concilio Romano postea à synodo Lateranensi œcumenica sub Innocentio III. Vvicleffus à Ioanne XXIII. in concilio Romano à Constantiensi. Respondeo, inde non colligi absolutam cõciliorum generalium necessitatem. ante cõcilij enim generalis celebrationem multi ex iis qui cõdẽnati fuerant, pro hæreticis à fidelibus habebantur, vt constat ex Tertulliano lib. de præscriptionibus hæreticorum, quem contra Marcionistas, Valentinianos, & Appellianos edidit. Et nota est responsio Polycarpi, ad Marcionem, quem Romæ fortuitò offendit: cui cùm vrbaniusculè exprobraret Marcion quod sibi occurrenti non assurgeret, eumq; tanquam incognitũ non salutaret, respondit Polycarpus, *Agnosco te tanquam primogenitum Sathanæ*, nempe propter putidas hæreses, quibus totus scatebat Marcion. Iam

Ex Hieron. lib. de scriptoribus Ecclesiasticis.

ergo licèt nullum adhuc esset concilium celebratum, hæretici tamen habebantur à Catholicis. Deinde si concilia generalia ad extinguendas hæreses essent necessaria, vel pro hæreticis necessaria essent, vel pro Catholicis. Atqui nō pro hæreticis, quia vt Pontificē sic & concilia hæreses condemnantia contemnunt & aspernantur, nec suam hæresim propterea statuunt deponere; non pro Catholicis, quia cùm hi Pontificis infallibilitatem in definiendo agnoscant, eius iudicio, & definitioni facilè acquiescunt: pro neutris ergo concilia generalia sunt absolutè necessaria.

Secundò, non sunt etiam eadem concilia necessaria ad componenda schismata inter Romanos Pontifices, quando scilicèt plures de Pontificatu contendunt, vt cùm Nouatus cū Cornelio, Vrsinus cum Damaso, Laurentius cum Symmacho, Anacletus cum Innocentio II. Carolus cum Alexandro II. & Gregorius cum Vrbano IV. de Sede Apostolica odio ferè implacabili contenderunt: neq; enim propter hæc schismata vlla generalia concilia coacta sunt, quæ tamen extingui & sopiri nō desierūt, scilicèt, per Cardinales ad quos iure, vel consuetudine iudicium Pontificiæ electionis deuoluitur, occurri potest & prouideri: Et quamuis interdum Cardinales dissidentes schismati mederi nolint, vel quia studia in contraria feruntur, vel quia alterum in aliorum electorum locum nolunt sufficere: non tamen propterea sequitur cogendum esse concilium generale, siquidem tunc totum negotium ad clerum Romanum deuoluitur, clero autem illo dissidente itur ad comprouinciales, seu viciniores Episcopos, adeout vix, ac ne vix, quidem casus

Pro schismatis componēdis, nō sūt necessaria absolutè cōcilia generalia.

possit contingere, in quo pro schismate extinguendo concilium generale sit conuocãdum, præsertim cùm multò difficiliùs coëant Episcopi totius orbis, quàm vel Cardinales, vel Clerus Romanus, vel comprouinciales Episcopi. Vnde etiamsi horrendum illud schisma, quo Sigismundi Imperatoris, & Caroli VI. Galliæ Regis tempore, Ecclesia dilacerabatur, tribus inter se de Papatu contendentibus, per concilium Constantiense fœliciter extinctum sit, in locum contendentium suffecto Martino V. hoc tamen absolutam necessitatem non arguit, cùm aliter huic schismati non minùs quàm aliis absolutè prouideri potuerit, & id quidẽ approbare videtur ipse Vigorius; ait enim pro schismatibus componẽdis varia in Ecclesia fuisse obseruata. *Quædam enim* (inquit) *communi consensu Ecclesiæ vniuersalis absque vllo generali concilio euanuerunt: alia per solam Ecclesiam Romanam, alia verò per Imperatores & Exarchos, vnum tantùm omnium longissimũ quod inter Benedictum 13, Gregorium 12, & Ioannem 23, per generale concilium Constantiense sopitum est.* Sed alia via (vt iam diximus) istud non minùs quàm præcedẽtia tolli potuit.

Tertiò, concilia, non sunt absolutè necessaria ad emendationem abusuum, qui in Ecclesiam, vt plurimùm solent irrepere, nam eiusmodi abusus satis superque vel à Pontifice, vel à primatibus, vel à conciliis prouincialibus tolli & emendari possunt: siquidem primis Ecclesiæ temporibus multi absque conciliis generalibus sunt sublati: maximè cùm cui vis Prælatorum facilè sit hos abusus diiudicare, & diiudicatos sua authoritate condemnare, & radicitus etiam euellere.

Non sunt etiam necessaria concilia ad abusus tollendos

Instabis, hoc quidem verum esse pro particulari fideliũ reformatione, non tamen pro generali, tam in capite quàm in mẽbris. hæc enim absolutè concilium generale postulat; nulli enim congregationi aut Prælato se vnquam pro reformatione summittet Pontifex: & hæc causa est cur concilium Cõstantiense sess. 39 quoque decennio concilia generalia cogi & celebrari statuerit. Respõdeo primò, ipsam capitis in moribus reformationem (quia de fide alia est quæstio) non ita ad Ecclesiæ gubernationem esse necessariam. Sufficit enim si eius doctrina sana sit & vera, vt Matth. 23. Christus nõ obscurè insinuat cùm Pharisæos corruptissimis moribus ab administratione Ecclesiæ nõ repulit, quinimmo populo mandauit vt illis obtemperaret, & eorum dicta seruaret: *Omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite, opera verò eorum nolite facere.* Deinde, esto hæc in capite reformatio absolutè foret necessaria; quia *cuius vita despicitur* (vt inquit Gregorius) *restat vt eius doctrina contẽnatur*. aliter tamẽ quàm per œcumenicum conciliũ promoueri posset, piorum nempe virorum adhortatione, Cardinalium reprehensione, & in foro pœnitentiali absolutionis denegatione. Neque enim dubium est quin in hoc foro ad morum emendationem Pontifex cogi possit. Quòd si his omnibus neglectis non resipiscat aut emendetur, tunc precibus, lacrymis, ieiuniis, ceterisq; piis operibus à Deo qui se iugiter Ecclesiæ affuturum promisit, & qui in necessariis nunquam deest; hæc capitis reformatio posset obtineri. Quòd si hoc nihil adhuc promoueat, totis viribus anniti debent Episcopi, ne Pontificis vitia greges sibi à Deo commissos

Concilia generalia minime necessaria pro reformatione tam in capite quã in membris.

inficiant, quod certè absque vllo generali concilio percõmodè si suo muneri diligenter inuigilent, præstare possunt.

Quartò, non sunt etiam absolutè necessaria concilia ad resistendum Turcæ, vel bellum illi indicendũ. licèt enim ab Vrbano II. Calixto II. & Eugenio III. quædam in hunc finem concilia coacta sint, hæc tamen in primis generalia non fuerunt. Deinde cùm ad Ecclesiæ salutem & incolumitatem non sit absolutè necessarium Turcæ bellum indicere (vt enim olim Ecclesia sub immanissimis tyrannis non tãtùm perstitit, sed etiam floruit, quidni etiam sub Turca florere aut perseuerare posset?) absit tamen vt Ecclesiã ipsam vnquã inuadat, sanè sequitur in eũ finẽ concilia generalia mínimè esse necessaria. Addam si bellum hoc spectatis vltro citroque circunstantiis necessarium iudicaretur, aliter tamen quàm per generale concilium principes Christiani ad illud gerẽdum induci possent, sicut iam aliàs absque eo fuerunt persuasi: neque enim vllũ celebratum fuit, cum Ludouicus VII. & Ludouicus. IX. Galliæ reges arma aduersus Turcas strenuissimè mouerunt.

Ex quibus omnibus apertè liquet concilia generalia in quemcumque finem referantur, Ecclesiæ nõ esse absolutè necessaria, per accidens tamẽ & in certo aliquo casu, vt pote propter hominũ proteruiam & malitiam iudicari possunt nonnunquam necessaria, v.gr. si Lutherani primò prouocassent ad concilium generale, cum promissione iurata se eius definitionem amplexuros, essetque probabile eos sic fore Ecclesiæ reconciliandos, tunc necessarium esset

generale concilium, peccarétque grauissimè Pontifex si illud nollet indicere: itemque si duo vel tres de Papatu contenderent, qui sub iuramento sponderét se post concilii œcumenici definitionem, & nō aliàs iuri prætento cessuros, quisquis in hoc casu generale concilium impediret, vel retardaret, schismatis fautor haberetur, & tanquam talis ab Ecclesia puniendus esset: sed hæc sunt per accidens, & de fortuitis rarissiméque contingentibus, ideóque necessitatem absolutam conciliorū per se non possunt euincere.

Concilia sunt vtilissima & secundùm quid necessaria.

Erunt itaque concilia duntaxat vtilissima, seu (vt loquuntur Philosophi) secundùm quid necessaria, vt sequentibus rationibus facilè demonstratur. 1. ex Augustino epist. ad Ianuar. vbi ait saluberrimam esse in Ecclesia conciliorum authoritaté: & Gregor. c. *sicut sancti*: vbi 4^or prima concilia tanquam quatuor Euangelia suspicit & veneratur, *Quia*, inquit, *dum sunt vniuersali constituta consensu, se & non illa destruit, quisquis præsumit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt.* Hieron. in fine disput. contr. Luciferianos: *Poterā omnes disputationum tuarum riuulos hoc vno Ecclesiæ Sole*, authoritate nempe cōciliorum, *siccare*. Isidoro lib. Concil. in act. 3. Synodi Tolet. *Vnde valde necessarium esse prospexi vestram in vnum conuenire multitudinem, habens sententiæ diuinæ fidem, quæ dicit, Vbi duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ego sum in medio eorum; credo enim beatam Sanctæ Trinitatis diuinitatem huic sacro interesse concilio, & ita ante conspectum Dei in medio vestri fidem meam protuli.* Et Celestino Epistola ad synodum Ephesinam, cui ipse per Cyrillum Alexandrinum præfuit: *Spiritus Sancti testatur præsentiam congre-*

gatio Sacerdotum. Cùm autem ex præſentia Spiritus Sancti tanquam ex fonte vberrimo multa in Eccleſiā commoda ſcaturiant, non poſſunt concilia non eſſe Eccleſiæ ſaluberrima & vtiliſſima. Secundò, illud idem conſtat ex facto Apoſtolorum, qui quamuis ſinguli propter plenitudinem chariſmatum (inter quæ fidei infallibilitas recenſetur, quam die Penteco-ſtes diuinitùs omnes acceperant) controuerſiam de ceſſatione legaliū potuiſſent ſeorſim definire: maluerunt tamen Act. 15. medium ordinarium, nempe concilij congregationem amplecti, quàm ſeorſim rem ipſam definire, illuſtre poſteris exemplum relinquentes, vt in dubiis circa fidem emergentibus ad concilia recurrerent. Et certè negare nemo poteſt quin maxima commoda in Eccleſiam inde redundent, ſic enim vnitas fidei per totam Eccleſiam meliùs & diuturniùs conſeruatur; ſolent enim Epiſcopi omnes conciliorū definitionibus ſubſcribere, eaſque ſuis ſubditis ſe declaraturos promittere. Item magis confunduntur hęretici, dum non vnius aut alterius Prælati teſtimoniū, ſed omnium omninò iudicium illis opponitur. Reformatio & emendatio culparum & abuſuum in Eccleſiam inuectorum commodiùs perficitur, dum Epiſcopi toto orbe diffuſi de moribus ſuorum ſubditorum Pontificem alioſque Prælatos certiores faciunt, vt quod his neceſſariū fore iudicauerint ipſi ſtatuant: quo ſenſu in Reſponſione Synodali concilij Baſileenſis dictum eſt frequentem conciliorum celebrationem eſſe agri Dominici culturam & irrigationem. Adde cùm in tota Eccleſia non adeò conſtet an definitiones pontificiæ ſine generali concilio

Cómoda conciliorum recẽſentur.

ſint omninò infallibiles: quidam enim inter Catholicos, vt iam oſtendimus, contrarium ſentiunt, adeo vt res non ſit omninò certa in fide: apud omnes verò Catholicos fide conſtet definitionem concilij generalis, cui præeſt ſummus Pontifex, eſſe prorſus infallibilem, fit, vt concilia generalia, & vtiliſſima, & ſecundùm quid ſint neceſſaria, præſertim cùm homines multorum in vnum coeuntium authoritate, quàm vnius ſententia efficaciùs moueri conſueuerint.

Cæterùm, quamuis hæc ita ſe habeant, non placet tamen quod initio commẽtarij docet Vigorius, concilia ita Eccleſiæ eſſe vtilia, vt nulla præ iis ſit expeditior ratio ad Eccleſiam, contra hæreſes, ſchiſmata, morumque corruptelam pręmuniendam. Eſto enim ſint valde vtilia, non propterea ſequitur, nihil iis excogitari poſſe vtilius, nullamque expeditiorẽ viam Deum Eccleſiæ reliquiſſe, cùm enim concilia œcumenica, non niſi cum maximis laboribus, expenſis, difficultatibus, longoq; tempore cogi & celebrari poſſint, ſæpiuſque, vt liquet ex hiſtoriis, à principibus, & peruerſis improbiſque hominibus interturbentur, peſſimè Deus Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſet, ſi viam hanc, quæ raro fœliciter deſinit, tanquam expeditius malorum indies emergentium remedium reliquiſſet; quinimmò Eccleſiam ad impoſſibile quodammodo obligâſſet. Neque enim eſt in poteſtate ſummi Põtificis, omniũque totius orbis Prælatorum, vt inter ſe omnes conueniãt propter Reges & Imperatores, qui magnos illos conuentus ſemper ægrè ferunt, ſuſpectoſque habent, noluntque vt plurimum precibus, & mandatis iterum, iterumque repetitis morem gerere, aut acquieſcere

Conciliũ generale, nõ eſt remedium expeditius.

quot

quot incommodis, quot difficultatibus nostro tempore concilium Tridentinum fuit habitum & celebratum? Vt ter fuerit interruptum, iamq; id magnum Dei in Ecclesiam beneficium creditur, quod opera & diligentia summorum Pōtificum ad optatum finem perductum fuerit? Ne ergo amplius dicat Vigorius nullam Ecclesiæ rebus componendis expeditiorem rationem præter concilia generalia Christum reliquisse; expeditior enim ratio erit si adeamus summum Pontificem, ad quem facilis patet aditus, eumque audiamus qui pro infallibilitatis priuilegio, exortam quācumque dubitationem doctis, prudentibus, piisque viris in consilium adhibitis, & rite conuocatis certò potest dissoluere, dirimere, & definire.

Cuius sit generalia concilia congregare.

QVÆSTIO II.

VIGORIVS quasi principum secularium parasitus, non tantùm prima concilia ab Imperatoribus coacta astruit, sed iure id fecisse inuictissimo argumento se demonstrare iactat, impudenter affirmans ad eorum validitatem, neque authoritatem, neque consensum summi Pontificis esse expectandum, quod non aliundè quàm ex impurissimis hæreticorum lacunis hausit, & expiscatus est. Lutherus siquidem lib. de conciliis pag. 58. ait concilia ideo dici œcumenica, quia ab vniuersali omnium Domino, scilicèt Imperatore coacta sunt, à quo non recedunt Caluinus, Magdeburgenses, Brentius, & Carolus Molineus Iurisconsultus Parisiensis, tractatu de Tridentino concilio non recipiendo §. 6. vbi ex eo potis-

Omnes hæretici aiūt cum Vigorio esse principū conuocare concilia generalia.

ſimum illud nequaquam eſſe recipiendum probat, quòd non ab Imperatore, ſed à Pontifice indictum fuerit. Quam rationem proteſtantes in Germania reddiderunt, cùm ad concilium à Pontifice & Prælatis totius orbis inuitarentur.

Verùm, contraria ſententia de fide eſt, non eſſe ſcilicet Imperatoris, aut alterius principis, ſed ſolius Pontificis Romani concilium œcumenicum iuridicè & ex authoritate conuocare. Quod vt planiùs explicetur, ſcire oportet tribus modis concilia generalia indici, & conuocari poſſe: Primò, per viam exhortationis, quomodo Imperatores Chriſtiani ad pacem Eccleſiaſticam reſarciendam & fouendam nonnunquam concilia coëgerunt, vt Marcianus Imperator Chalcedonéſe, vt ex epiſtola præambulari huius concilij euidenter conſtat. *Jn Calcedonenſem ciuitatem* (inquit) ad Epiſcopos, *venire dignemini.* & ad Leonem Pōtificem, *Tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu fidei poſſidentem inuitamus, atque rogamus ad celebrandam Synodum te authore.* Item Conſtantinus VI. epiſtola ad Agathonem Papam, in principio 6. Synodi. *inuitare & rogare poſſumus ad omnem commendationem, & vnitatem omnium Chriſtianorum, neceſſitatem vero inferre nullatenus volumus.* Secundò, per modum quidem authoritatis, ſed executoriæ duntaxat, & quæ ad ius facti, vt loquuntur, pertinet. hoc autem principibus competere, nemo inficiatur, ſunt enim principes executores legum Eccleſiaſticarum, & iurium ipſius Eccleſiæ, atq; etiam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ vindices & protectores, quòd in maxima gloriæ ſuæ parte meritò ponunt: ita vt ſi interdum Epiſcopi regnorum mandato Pon-

Tribus modis concilia generalia indici poſſunt.

tificis ad concilium eos conuocantis reluctentur, vel nimiùm morentur, pij Imperatores authoritate sibi à Deo commissa iustè possint aduersus eos edicere. Sic Martianus Imperator per literas voluntatem Leonis Papæ rescire voluit, vt eâ perspectâ Episcopos imperij edicto suo ad concilium conuocaret. *Si* (inquit) *onerosum est, vt tu ad has partes venias, hoc ipsum nobis propriis litteris tua sanctitas manifestet quatenus in omnẽ orientem & in omnem Thraciam & Illirum sacræ nostræ litteræ dirigantur, vt ad aliquem definitum locum qui nobis placuerit omnes Episcopi conueniant.* Et sic Constantinus & Irene profitétur se Romani Pontificis hortatu & veluti iussu Episcopos ad septimam synodum generalẽ Nicææ habitam congregasse. & ne aliunde quàm ex nobis petamus exempla, Gregorius Papa Theodoricum Francorum Regem epist. 54 lib. 9. Registri, hortatur vt contra simoniacos qui per regnum suum impunè grassabantur, synodum iubeat congregari. Et nouissimè Carolus IX Galliæ Rex edicto publico Episcopos sui regni ad concilium Tridentinum proficisci iussit, rogante hoc per litteras Pio IV Romano Pontifice. Tertio modo, præceptiuè, & ex authoritate concilia generalia indici possunt, ita vt Episcopi, si abest excusatio legitima, morem gerere, & comparere teneantur, & talis conciliorum indictio non Regibus, aut Imperatoribus, sed soli Romano Pontifici conuenit. neque enim de conciliis vt de comitiis idẽ ferri debet iudicium, cùm dispar sit in iis ratio. Etsi enim Reges authoritate quâ in omnes regni sui incolas pollent, possint iuridicè Episcopos tanquam regnorum suorum proceres ad comitia generalia con-

Inter epistolas præambulares cōcilij Calcedonensis.

Ex Actis huius cōcilij.

uocare, debeantque Præsules suo Regi obtemperare; non tamen idem est de conciliis quæ pro fide contra hæreticos, aut pro disciplina Ecclesiæ cõtra perditos fidelium mores indicuntur & congregãtur. hoc enim est solius Pontificis Romani pro suæ in omnes Episcopos potestatis plenitudine. Vetustissimus quippe extat Ecclesiæ canon, quo arctissimè prohibetur, ne quicquam de fide aut religione in Ecclesia decernatur (quod maximè fit in conciliis) absque Romani Põtificis authoritate & consensu: cuius canonis testis est Socrates lib. 2. cap. 5. & 13. canon inquit Ecclesiasticus iubet nõ oportere absque sentẽtia Romani Põtificis Ecclesiæ decreta sanciri, τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν, vel vt Epiphanius scholasticus in historia tripartita lib. 4 cap. 9 interpretatur concilia celebrari. Quem canonẽ Iulius Papa Episcopis Antiochiæ obiecit, qui se contra Athanasium absque eius consensu & authoritate conciliariter congregauerant. Hunc autem vetustissimum canonem à concilio Nicæno conditum esse primùm constat ex hac Iulij ad Episcopos Antiochenos epistola, vbi sic habet canonibus in Nicæna synodo iubentibus non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo concilia celebrari, vel quod eodem recidit ex Sozomen. lib. 3. c. 9. legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronũciat acta illa esse irrita quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur. Secũdò, ex epistola Ægyptiorum ad Felicem II. scimus in Nicæna magna synodo trecentorum octodecim Episcoporum ab omnibus concorditer esse definitum, non debere absque Romani Pontificis sententia cõcilia congregari, nec

Ad comitia regni vt proceres vocadtur Episcopi.

Socrates. Sozomenus. Theodoretus. Nicephorus.

Episcopos damnari, licèt hæc & alia quamplura necessaria ab hæreticis qui nos quotidie infestant, sint incensa, nobisque sublata. Tertiò iuxta Alphonsum Pisanum lib. 3. de actis & canonib. Nicæni concilij canon iste est ordine primus, ex quo & ignorantiæ & mendacij arguitur Vigorius, qui nihil tale in Nicæno concilio extare impudēter asseruit, conciliorumque compilatores huius canonis neutiquam meminisse, cùm tamen Alphonsus Pisanus eum ordine primum recensuerit. Dices Gratianum can. *Nullus.* 5. qu. 4. hūc canonē nō synodo Nicænæ, sed Iulio Pōtif. tribuisse. Respondeo Gratianū hunc canonē ideò attribuisse Iulio Papæ, quòd putâuerit cōcilium Nicænum sub Iulio fuisse celebratum, eique, vt infrà ostendemus, per legatos præfuisse. Quæ autem à toto cōcilio prodeunt, nonnunquam capiti à quo totum robur habet, attribuuntur. Deinde quia præcipua huius canonis mentio extat in epistola ipsius Iulij ad Episcopos Orientales, ex qua depromptus fuit, & cum ceteris canonibus corpori iuris à Gratiano insertus.

Multo ante Nicænum concilium vigebat cōsuetudo ne concilia inconsulto Pōtifice non celebrarentur.

Ceterùm, multò antè Nicænū concilium hæc tam inualuerat cōsuetudo, vt inconsulto Romano Pontifice concilia in Ecclesia nunquam celebrarentur, vt ex epist. 1 decretali Marcelli Papæ ad Salomonem Episcopum Antiochenū liquidò constat: *Simulque iidē* inquit (id est Apostoli, eorumque successores) *inspirāte Domino constituerunt, vt nulla synodus fieret præter Sedis Apostolicæ authoritatem, nec vllus Episcopus nisi in legitima synodo suo tempore Apostolica authoritate conuocata iudicetur.* Quam Marcelli epistolā spuriam & adulterinam esse contendit Vigorius: primùm quia (inquit)

finis epistolæ non cohæret cum principio, optimum patrem & sanctissimum Pōtificem sapit; principium verò maiestatem summi Pontificis redolet, hoc tempore prorsus insolitam & inusitatam. Item eadem ferè verba epist. 2. ad Maxentium tyrannum habentur, vbi maiestatem illam pontificiam ex sacris litteris quas omninò despuebat Maxentius, cōfirmat: quod argumento est has duas epistolas non esse Marcelli, aut si sint, fuisse adulteratas. Tertia epistola à Marcello ad mala inter Antiochenos pullulantia resecanda scribi debuit: at de iis quę initio scribit nulla fuit inter Antiochenos cōtrouersia, an scilicet esset caput iuxta Apostolorum sanctiones, & an aliqua synodus absque eius consensu posset fieri, & an Episcoporum iudicium ad sedem Apostolicam esset referēdum. Quarto, in Nicena synodo decretum est quæ prouinciæ subsint Antiocheno Episcopo, ex veteri consuetudine, vt prouincię occidentales Romano: atqui hoc repugnat principio epistolæ quâ profitetur Marcellus sibi sollicitudinem & curam omnium Ecclesiarum, ac proinde Antiochenæ incumbere. Quinto, synodus Antiochena in qua Paulus Samosatenus damnatus est, post Marcellum, longè ante Nicenam synodum fuit celebrata: ad quid ergo scripsisset Marcellus, cùm nulla tūc synodus celebraretur, se esse supremum Ecclesię caput, & ad se sollicitudinem omnium Episcoporum pertinere? Sexto quod dicit Marcellus de iudicio Episcoporum, quis non videt esse verba concilij Sardicensis 50. annis post Marcellum celebrati? hoc enim omnium primum iudicia Episcoporum ad sedem Romanam referenda

Epistolā Marcelli reiicit tāquā spuriam Vigorius.

esse statuit, cum hoc priscis temporibus non fuisset obseruatum. Verùm facile est demonstrare hãc Marcelli Epistolam ad Salomonem non esse confictam, nec vllomodo deprauatam, aut adulteratam. Ad primum enim respondeo nihil initio Epistolæ extare, quod superbum & fastuosum Pontificem sapiat, sed potiùs humilem, & de rebus Ecclesiæ vniuersalis impensè sollicitum; sic enim Marcellus loquitur: *Sollicitudinem omnium Ecclesiarum iuxta Apostolum circunferentes, diuinæ erga nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam ad fastigium sacerdotale euexit.* Ad secundum, libenter fatemur quædã in epist. 2. ad Maxentium reperiri, quæ non sunt Marcelli, sed quæ ab aliquo impostore & deprauatore sunt addita. Nulla enim Marcello erat occasio seu ratio, vt de authoritate sedis Apostolicæ ad Maxentium tyrannum scriberet, illamue ex sacris literis quas omnino respuebat, confirmaret. Sed & si hæc secunda epistola adulterata fuerit, non propterea tamen priori epistolæ ad Salomonem, ex qua testimonium deprompsimus, fides est deneganda. Erat enim Salomon ille Episcopus qui sacras literas colebat & amplectebatur, quiq; iam Marcellum de hæreticis suam diœcesim peruertentibus consuluerat: vnde debuit Marcellus sententiam suam in causa fidei aperire, eamq; sacrarum literarum testimonio cõfirmare, & simul disciplinam Ecclesiasticam in conuocandis synodis & damnandis Episcopis explicare. Ad tertium respondeo intercidisse epistolam Salomonis ad Marcellum, ideóque non posse ea sciri de quibus Pontificem consulebat: forte qui hæreses in Ecclesiam tunc inuehebant, authoritatem

Defenditur à calũniis epistola Marcelli.

Sedis Apostolicæ in dubium reuocabāt, nec controuersias exortas in fide, aut scandala in Ecclesiā emergentia ab ea componi & tolli volebant; vel quamuis nullus eo tempore authoritatē Sedis Apostolicæ despectui haberet, satis tamē superque Marcello vt pote sanctissimo constabat, hoc esse omnibus hæreticis familiare, vt iudicium Summi Pontificis subterfugiant, nec illi velint tam pro synodorū cōuocatione, quàm pro suarum hæreseon condemnatione morem gerere: eáque de causa Marcellus tāquam ex editiore specula futura prospiciens, supremam Pontificis authoritatem in conuocandis conciliis, & hæreticis condēnandis, ceterisq; ad optimum Ecclesiæ regimen spectantibus, voluit initio describere. Adde istud esse veluti quoddā προοίμιον necessariò præmittendū, vt ostenderet Marcellus ad pastoralem suam curam & sollicitudinem spectare, vt mala illa pullulantia quantocius resecarētur; atque etiam vt qui ex schola Pauli Samosateni prodierant, Sedis Apostolicæ iudicium libentiùs acceptarent. Ad quartum suprà disputat. de primatu respondi, Pontificem scil. Romanum tribus titulis exornari. est enim Episcopus Romanus, est Patriarcha totius Occidentis, & quarumdam aliarū prouinciarū, estq; supremus toti⁹ Ecclesię Pastor. Cùm ergo in Nicena synodo definitæ sunt illi suæ prouincię sicut & Antiocheno suæ, ibi sermo est de Pontifice Romano, non vt supremo Ecclesiæ pastore, sed vt Patriarcha, & vt cum reliquis Patriarchis in Patriarchali dignitate conuenit. Ad quintum, vt vt sit de tempore celebrationis Antiocheni concilij, quod fortè post Marcelli obitum celebratū est, non propterea tamen

Pontifex Romanus tribus titulis exornatus.

infertur

infertur eum ad Salomonem Episcop. non scripsisse. nam cùm annis 5. Ecclesiæ præfuerit Marcellus, sub finem vitæ epistolam de qua est quæstio scripsit. Falsum autem est quod ait Vigorius, synodũ Antiochenam longè ante Nicænam fuisse celebratam: siquidẽ à Marcelli obitu vsque ad Nicenam synodum anni 16 duntaxat effluxerunt; quo fit vt non longè post Marcelli obitum celebrata sit illa synodus Antiochena, in qua Paulus Samozatenus damnatus est: contra cuius errores Marcellus scripserat. Ad sextum respond. nos in tract. de appellationibus Episcoporum ad Pontificem luculenter satis demonstrâsse eas appellationes in concilio Sardicensi non accepisse, sed multò ante in Ecclesia viguisse; ideóque verba Marcelli ex canonibus Apostolicis & non ex Sardicensi concilio petita fuisse. Et hæc pro defensione epistolæ Marcelli contra Vigorium.

Tertiò itaque probatur authoritas Pontificis in conuocandis generalibus conciliis ex concilio Calcedonensi, vbi Dioscorus Alexandrinus iubetur inter Episcopos non sedere, eo quòd absque authoritate Sedis Apostolicæ synodum coëgisset, *quod* (inquit concilium) *nunquam licuit, nunquam factum est.* & ex Pelagio 2. epist. 1. ad Orientales: *Generales synodos conuocandi authoritas Apostolicæ Sedi, beato Petro singulari priuilegio tradita est.* & Hincmaro Archiepisc. Rhemensi lib. de Synodis cap. 18. *Non mireris quod ipsorum conciliorum authoritatem Romano Pontifici adscribamus. nam nulla concilia rata leguntur, quæ Apostolicâ authoritate fulcita non fuerint.* Isidoro can. *Canonum. Synodorum verò congregãdarum authoritas Apostolicæ Sedi commissa est, nec vllam*

Synodum generalem ratam esse credimus, quæ eius non fuerit authoritate congregata, vel fulcita, hoc authoritas testatur canonica, hoc Ecclesiastica comprobat, hoc sancti patres confirmant. Quartò, certum est concilium nunquam esse legitimum & validum, nisi Pontifice tanquam capite & præside sit munitum & informatum; aliàs enim esset prorsus ἀκεφαλὸν ac proinde illegitimum: atqui nemo nequidem Imperator Reges, aut Cardinales Pontificiam iudiciariam & præceptiuam authoritatem habet; ergo nemo ad concilium potest ex authoritate cogere & conuocare: econtrà verò ipse Pontifex in omnes Episcopos & Prælatos totius orbis authoritatem accepit: ideoq; eius solius est, singulos ad concilium œcumenicum conuocare. Secundò concilia nationalia à Primate, prouincialia à Metropolitano, diœcesana ab Episcopo propterea conuocãtur, quòd Primas Metropolitanis, Metropolitanus Episcopis, Episcopus verò suis Sacerdotibus & parœchis superior sit: atqui summus Pontifex est omnium Patriarcharum & Primatũ supremus: ergo eius est concilia generalia quibus ipsi interesse debeant, conuocare. Tertiò, si alicui alteri hæc authoritas competeret, maximè Imperatori, vt cum Lutheranis & Caluinistis censet Vigorius: at hoc vel solo lumine naturæ falsum esse liquet, Imperatoris enim & Pontificis diuisum est Imperium, *Diuisum Imperium, cùm Ioue Cæsar habet:* neque alter in alterius fines debet irruere, canone *Duo sunt*, iam toties citato. At Pontificis fines inuaderet, atque in messem eius falcem immitteret Imperator, si hanc conuocandorum conciliorum authoritatẽ sibi arrogaret; in his enim de legibus Ec-

Rationibus probatur potestas cõuocandi concilia.

clesiasticis duntaxat agitur, quibus subesse, non præesse debet Imperator. Addam frustrà hanc authoritatem Imperatori à Vigorio & hæreticis tribui, neque enim potest Imperator omnes totius orbis Episcopos conuocare, quippe cum Ecclesia multò latiùs Imperio pateat: minusque est, vt ait D. Leo, quod illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Quartò, Christus ascensurus in cœlum Ecclesiam suam Petro in littore piscanti, non Tyberio Romæ Imperanti commendauit: atqui nihil magis ad Ecclesiæ regimen & gubernationem spectat, quàm concilia generalia, in quibus controuersiæ fidei definiuntur, leges pro collapsa Ecclesiæ disciplina restauranda stabiliuntur, nec non ea constituuntur, quibus vnitas fidelium toto orbe diffusorum conseruatur: ergo eorum conuocatio arbitrio & voluntati principum, aut Imperatorum non relinquetur, sed D. Petro eiusque successoribus.

Homilij in natali D. Petri & Pauli.

Quintò, Matth. 18. numquam est legitimum concilium, nisi sit in nomine Christi congregatum, *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum:* atqui congregari in nomine Christi, non est aliud quàm authoritate Christi congregari, hoc est, ab eo qui à Christo congregandi authoritatem accepit: nullam autē Imperatores & principes à Christo acceperunt, quam enim iam habent, eorum antecessores ante Christum sibi iure gentium vendicabant, vt omnes melioris notæ Theologi tradiderunt; ideoque potius à Deo authore iuris naturæ, à quo ius gentium immediatè dependet, quàm à Christo Redemptore suam mutuātur authoritatem. Igitur con-

cilia ab Imperatoribus præceptiuè, & iuridicè conuocari nequeunt: sed à solo Pontifice, qui suam in Ecclesiam & Ecclesiasticos potestatem ab vno Christo habet. Hoc loco multùm se mouet, & nihil promouet Vigorius, licèt ad rauim vsque inclamet: *Si* (inquit) *in nomine Christi congregari, est ab eius Vicario cōgregari, cùm panis in sacramento ac tremēdo Eucharistiæ sacrificio in nomine Christi consecratur, idem erit ac à summo Pōtifice consecrari; & cùm in nomine Christi baptisma confertur, aut cùm in illius nomine dæmonia eiiciuntur, idem erit, ac ab eius vicario, nempe Romano Episcopo baptismum cōferri, & eiici dæmonia; quæ cùm absurdissima sint, nō potest etiam nō esse absurdum, cōgregari in nomine Christi esse à Pōtifice congregari.* Verùm, antequam respondeam, lubens ex Vigorio quæsierim: Quid ergo est in nomine Christi congregari, si non sit ad mādatum eius qui à Christo habet authoritatem congregari? Fortè cum Caluino respondebit, esse ita cōgregari vt Christus solus præsideat, & nullum collegam habeat, sed omnes sibi subiectos in conciliis teneat: Atqui hæc Caluini respōsio anarchiam in Ecclesiam apertè introducit, & visibilē Ecclesiæ vnitatem, quæ potissimùm in adhæsione cū vno summo præside & capite visibili relucet, prorsus dissoluit; quò fit vt inuitùs fateri debeat Vigorius cōgregari in nomine Christi, esse in Christi authoritate congregari; frequens enim est in Scripturis, vt particula (in nomine Christi) pro authoritate Christi sumatur, Marc. vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient.* Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus.* & Act. 4. *In qua virtute, & in quo nomine hoc fecisti?* Et quia Christi authoritas in summo Pontifice abundātiùs & nobiliùs quàm in quocunq; alio Patriarcha & Episcopo resi-

Quid est congregari in nomine Christi.

det, consequens est, vt congregari in nomine Christi sit ad imperium & consensum Pontificis congregari, qui à Christo hanc congregandi potestatem accepit. Quòd autẽ panis cõsecratio, baptismi collatio, & dęmoniorum eiectio authoritate Pontificis non fiant, etiamsi in nomine Christi fieri in scripturis dicantur, facile est causam reddere, siquidem hi actus sunt omninò supernaturales, & à creatura qualis est Romanus Pontifex, nonnisi instrumẽtaliter prodire possunt. At verò cõciliorũ generaliũ cõuocatio humanus est act⁹ & minimè supernaturalis: ideóq; in nomine & authoritate Christi cõuocari meritò dicũtur, quãdo à Põtifice, qui hanc à Christo potestatẽ accepit cõuocantur.

Postremò, hic mos semper in Ecclesia inualuit, vt cõcilia œcumenica non nisi authoritate Romani Põtificis, aut saltem ex cõsensu illius fuerint cõgregata, quod de singulis cõciliis generalibus nõ est operosũ ostendere, & quidem inprimis Nicænum, non à solo Constãtino, sed à Syluestro Pontifice est indictũ, ex 6ª synodo Act. 26. & Ruffino in historia, vbi expresse ait Constantinũ illud conuocâsse ex sententia Sacerdotũ pręsertim Syluestri, & Hosij Cordubẽsis. Hoc enim inter eos & Constantinũ pactũ fuerat, quia tunc Hosius legatione Romæ ad Imperatorẽ fungebatur, eoq; familiariter vtebatur. Vnde redeũte Hosio ex legatione statim à Constãtino indictũ est Nicænũ conciliũ. Dices ergo ex solo cõsensu seu cõsilio Hosij Cordubẽsis non autẽ Syluestri Romani Põtificis conciliũ indixit Constãtinus. Resp. non esse credibile Constantinum inconsulto Syluestro, & Hosio secum duntaxat, adhibito concilium indixisse, tum quia vetustissimus

Omnia concilia antiqua & recentia à summo Potnifice fuerũt cõuocata.

Sozomenus lib. 2. cap. 13.

Nicæna synodus à Syluestro Papa est indicta.

Ecclesiæ canon, vt supra ostēdimus, id omninò prohibebat: tum quia Constantinus vnicè Syluestrum colebat amabatque, quippe qui eum à lepra per baptismum curasset, tum demum quia vt 1ª parte abundè ostendimus, Pontificis Romani primatum in omnes totius orbis Ecclesias Constantinus non ignorabat. Annuente igitur Syluestro & volente, concilium indixit Constantinus.

Ex quibus ruunt omnia quæ in contrarium affert Vigorius; fatemur enim Constantinum concilium indixisse, literis encyclicis Episcopos acciuisse: sed vt ait Ruffinus ex sententia sacerdotum inter quos primas tenuit Syluester pontifex, deberet aduersarius (si posset) authoris alicuius fide digni ac non schismatici testimonium producere vnde à solo Constantino absque sententia & consensu Syluestri coactum fuisse cōstaret, sed nullus est qui hoc docuerit, nec hæretici in quamcumque partem se verterint, simile testimonium vnquam proferre potuerunt.

Constantinopolitana à Damaso.

Secunda synodus Constantinopolitana à Damaso indicta est Theodosij Imperat. opera & auxilio, vt referūt patres sextæ synodi act. 18. Theodosium ac Damasum per secūdam synodum obstitisse Macedonio, sicut Syluester & Constantinus congregato Niceno concilio Ario obstiterant; atqui primam synodum à Syluestro indictam, & à Constantino promotam ostensum est. Concedendum est igitur hanc secundam vniuersalem authoritate Sedis Pontificiæ & auxilio Imperatoris fuisse congregatā; in cuius rei cōfirmationem extat peruetustus codex in Vaticano & aliis Bibliothecis, vbi hæc scripta leguntur, *Senten-*

tiam de damnatione Macedonij & Eunomij Damasus confirmari præcepit, etiam in sancta secunda synodo quæ præcepto & authoritate eius apud Constantinopolim celebrata est. Sed qua ratione quæso Lucinius Apostolicæ Sedis vicarius Dioscorum in concilio Calcedonési tam acriter obiurgâsset, quòd sine Sedis Apostolicæ authoritate ausus esset facere quod ritè nunquam factum est, nec fieri licuit, si Constantinopolit. concilium œcumenicum absque Damaso congregatum & celebratũ fuisset, quibus collega Paschasius subiũxit de his esse regulas Ecclesiasticas & Patrũ instituta, & quâ fronte ipsemet Damasus epist. ad Episcopos Illyrici testatus esset decreta synodi nullius esse momenti, quibus ipse nec per se, nec per legatos assensum præbuisset. Frustrà autem obiicit Vigorius ex Theodoreto & Sozomeno, Theodosium seniorem indixisse & imperasse quatenus Episcopi suæ ditionis Cóstantinopolim ire maturarent, non enim propterea sequitur eum sententiã & consensum Damasi pontificis non habuisse, hoc erat illi expresśè probandum, vt dubios in suam sententiam faciliùs pertraheret.

Tertia synodus Ephesina à Celestino Papa indicta est, in qua Cyrillum Alexãdrinum legatum habuit ex epistola Celestini ad Cyrillum, quod cùm luce meridiana clarius sit, miror quo pacto hîc erret & cæcutiat Vigorius, dicatque eam synodum ab Augustis Theodosio & Valentiniano cõgregatam; hoc enim eodem modo quo indictio Nicenæ & Constantinopolitanæ est intelligendum, Augustos nempe opem Celestino Pontifici ad eam celebrandam præstitisse, remque omnem multùm adiuuisse.

Ephesinũ cõcilium indictum à Celestino Papa.

Calcedonense concilium à Leone I.

Quarta Calcedonensis à Leone I. ex epist. Martiani Imp. ad eundem, indicta est; ibi enim gratulatur Martianus Leoni quod concilium necessarium iudicarit, ad quem Leo Pôtifex rescribit: *Litteras dedimus ad fratres & coëpiscopos nostros, iisque conciliũ generale indiximus.* Idemq. patet ex epist. Pulcheriæ quâ Leonem rogat vt significare dignetur an velit concilium celebrari, *quo omnes totius orbis Episcopi Thraciæ atque Illyrici in vnã ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire, vt illic sancto concilio de Catholica confessione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit te authore decernant.* Quod etiam apertis verbis Episcopi secundæ Mesiæ ep^a. ad Leonem Imp. profitentur, vbi sic aiunt: *In Calcedonensiũ ciuitate multi sancti Episcopi conuenerunt per iussionem Leonis Romani Pontificis qui verè caput est Episcoporum.* Denique Gelasius epist. ad Episcopos Dardanię scribit non Alexandrinam, vel Antiochenam, sed solam duntaxat Apostolicam sedem cum auxilio Imperatoris sua authoritate decreuisse, vt synodus Calcedonensis fieret, vbi Gelasium mendacij arguunt Magdeburgenses, quòd solam Apostolicam sedem hoc concilium indixisse scripserit, cùm tamen ex actis (inquiunt) satis constet indictum etiam fuisse ab Imp. Martiano. Sed breuiter respôdeo particulam hanc (sola) quã habet Gelasius, non Imperatorem, sed alias sedes Patriarchales excludere, itaut velit concilium Calcedon. à sola sede Romana absque aliarum interuentu indictum fuisse. His testimoniis Vigorius cum Magdeburgensib. obiicit initio actionis 1. haberi: *In nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *consulatu piissimi amatoris Christi Imperato-*

ris

ris Flauij Marciani perpetuò Augusti, sub die 8. Idus Octobris. indict. 4. in Calcedonensi ciuitate Metropoli prouinciæ Bithiniæ facta est Synodus ex decreto piissimorum ac fidelissimorum Imperatorũ Valentiniani & Martiani. Verùm Vigorius non aduertit hac act. 1. à legatis Leonis Põtificis accusatum fuisse Dioscorum, quòd absque authoritate & consensu eius vniuersale conciliũ cogere ausus esset, eique contra morem & antiquitaté præfuisset: ad quam denunciationem decreto concilii è Patrũ consessu illicò est amotus, & in medio tanquã reus sedere iussus. Quę certè accusatio contra vniuersale concilium & contra Augustos locum habuisset, si absque Leonis Pontif. authoritate Patres Calcedonem conuenissent. Vnde ad argumentũ Vigorii respondeo, dici concilium ab Augustis conuocatũ, non ex authoritate, sed tanquã voluntatis Leonis executoribus, ne fortè Episcopi qui non nisi summis laboribus & impensis Calcedonem poterant commeare, mandatis Pontificis non obsequerentur: viam auté executionis seu facti in rebus Ecclesiasticis principibus secularibus citra detrimentum potestatis Ecclesiasticæ conuenire, suprà satis declarauimus.

Quòd autem Leo ad Theodosium iuniorem scripserit epist. 11. vt intra Italiam iuberet synodũ fieri, quæ tamen Ephesi celebrata est, idque breuiori tempore quàm ipse Leo postulauerat, vt ex epist. 13. constat: itémque à Martiano Imp. petierit, vt concilium Calcedonense differret, ex epist. 44. quod nec impetrare potuit, itaut Papa hac in re Imperatoris volũtati morem gerere fuerit coactus. Imò verò scribit Liberatus in Breuiario cap. 12. Romanum Pontificem cum ple-

risque Episcopis genibus prouolutis Valentinianum Imperat. Romæ tunc agentem rogâsse, vt hortaretur Theodosium Imper. vt aliam ab Ephesina synodum conuocaret. Respond. Romanos Pontifices nonnunquam seculares principes pro indictione & conuocatione concilij rogare, non quidem quòd in ea re authoritatem aliquam in Imperatoribus, Principibusve agnoscant, sed propter executionem; nisi enim authoritas secularis cum Ecclesiastica intercederet, vix possent Episcopi in vnum locũ vnquam coïre & cõgregari, illudq; antiquitùs magis quàm hoc tempore erat necessarium: tum quia ab Ethnicis periculum in itinere Episcopis imminebat, tum quia cùm ij magna tunc paupertate premerentur, nec possent tantas impensas sustinere, necesse erat eos ærario publico ali: tum quia ciuitates in quibus commodè poterat celebrari concilium, subditæ essent Imperatoribus, vnde absque illorum consensu & decreto executorio generales conuentus haberi non poterant, præsertim cùm illi soleant esse principibus suspecti. Quòd autẽ Theodosius iunior Leonis Papæ petitioni nõ acquieuerit, in hoc vt & in plerisque aliis grauiter peccauit. Fuit enim illa synodus Ephesina à Theodosio indicta, perturbatissima, planéque prædatoria: omnia siquidem contra ius & ordinem acta sunt, vt non ibi iudicia lata, sed latrocinia commissa fuisse scribat Leo epist. 51. quippe cùm Flauianus iniquè fuerit dãnatus, & Dioscorus hæreticus operâ & authoritate Theodosij immeritò defésus, ex Liberato c. 12. & Leone ep[a] 43. Martianus autem Imp. Leonis petitioni aut potiùs desiderio noluit etiã acquiescere, sed hoc totũ factũ

Rogant aliquando Papæ Imperatores vt concilia celebrentur.

Quare peccauit Theodosius iunior

est ex Leone ep.47. Apostolicæ Sedis iure atque honore seruato, ipsoque etiá Pötifice cösentiéte, *Poposceram*, inquit Leo ep.45. ad Martian. *vt synodũ aliquantisper differri iuberetis, &c. sed quia pio studio humanis negotiis diuina præponitis, ego etiam vestris dispositionibus non renitor. &c.* Ex quibus patet pium principẽ Martianũ in conuocando concilio Calcedon. propria authoritate vsum non esse, sed agnouisse potius cöciliorum conuocationem ad ius & authoritatẽ solius Romani Pontificis pertinere.

Quinta synodus, nẽpe secunda Constãtinopolitana à Vigilio Papa, authoritate pontificia indicta est, sed Iustiniani opera, studio, ac fauore cögregata, res tota fusissimè & fidelissimè in notis ad ipsum concilium describitur, maximè verò quòd Imperator veritus ne decretũ de trib. capitulis à se editũ Episcopi nollẽt cöfirmare, indefessoq; studio ac labore curauerit, vt ex Vigilii Papæ sentẽtia synodus œcumenica perageretur. Obiicit Vigorius Euagriũ lib.4.c.37 asserere Iustinianũ 5tam synodũ cöuocasse, ideoq; actione 2 huius synodi sic haberi: *His proximis diebus præcedente pio iussu Christo amãtissimi ac à Deo custoditi Imperatoris nostri cöuenit præsens nunc sancta synodus.* Respöd. hæc secũdũ viá executionis, vt de ceteris diximus, intelligéda esse; iam enim synodus à Vigilio Papa qui tunc Constantinopoli agebat, indicta erat.

Quinta synodus] quæ est. 2. Constantino-politanus à vigilio Papa indicta est.

Sexta synodus fuit in Trullo itidem ab Agathone pontif. indicta, ope verò & auxilio Constãtini Pogonati Imp. congregata, vt ex eius actis liquidò cöstat. nam cùm piissimus ille Imperator incredibili desiderio reconciliandorũ orientaliũ cũ occidentalibus fla-

6. Synodus in Trullo ab Agathone Papa indicta est.

graret, ad Agathoné de conuocádo cócilio, quo nullũ præsentius efficaciúsve remediũ ad pacé Ecclesiæ reddendã credebat scripsit: Agatho tã iustæ petitioni annuens, primò curauit Romæ celebrari conciliũ occidentaliũ, in quo hæresis Monotelitarũ conspirãtibus omniũ votis damnata est: & postquam vniuersa huius cõcilii negotia fœlicem exitũ habuissent, legatos ad Imperatoré misit, quos magno cum gaudio & honore excepit, edictóq. statim iussit vt omnes oriétales Constãtinopolim vocarẽtur, quos in interiore cubiculo palatii, quod Trullũ propter sublimé fornicem desuper in altũ porrectũ vocatur, cõgregari voluit. Vrget Vigorius, verba hæc cócilii nobis apertissimè contradicere, *cõueniente sancta & vniuersali Synodo quæ secundùm imperialẽ sanctionẽ congregata est in hac à Deo conseruãda regia vrbe*. Respond. aliud esse congregare, aliud indicere, licèt nonnunquã pro eodé vsurpetur. nam cõgregare executioné sonat, indicere verò præceptũ & authoritatem. vnde etiãsi interdũ dicantur concilia generalia ab Imperatorib. congregata, hoc tamé duntaxat de via executionis nó pręcepti & authoritatis intelligitur, vt sexcéties dixi: vel si nónunquã concilia ex authoritate Imperatores coëgerint & indixerint, vno verbo dico eos contra ius vt pleraque alia fecisse. Quot enim & quãta fieri solent à principibus (qui omnia sibi licere putãt) quę iuri & æquitati aduersantur? Si libet, licet, vt dicebat Iulia Augusta, Antoninũ priuignũ suũ ad stuprũ inuitans, An nescis te Imperatoré esse? & leges aliis dare, non ab aliis accipere? Instat nihilominus Vigorius, *Concilia coacta ab Imperatoribus* (inquit) *Ecclesia tanquam legitima recepit*. Ergo coactio facta ab Imperatoribus est

legitima & optima. Respond. falsum esse antecedés, tum quia nonnulla de facto ab Imperatorib. coacta Ecclesia reprobauit, vt Ephesinũ 2 dictũ latrociniũ, quod coëgerat Theodosius Iunior: & Constantinopolitanũ cõtra sacras imagines, quod indixerat Cõst. Copron. Iconoclasta: & quãuis non eo solo nomine Ecclesia illud reprobauerit, sed quia errorẽ pro veritate definierat, sacrasq. imagines tẽplis abstrahẽdas decreuerat, Deus tamẽ propter secularẽ istã indictionẽ adesse iis noluit, vt ab errore vindicarẽtur: tũ quia & si quædã receperit Ecclesia à principibus secularib. coacta, non tamen eorum coactio seu indictio citra consensum Summi Pontificis vnquam facta est, vt latè de singulis conciliis generalibus probauimus.

De synodis Galliæ & Germaniæ quæ à principibus videntur indicta.

Secundò instat, nullos alios præter Reges synodos particulares Galliæ, Germaniæ & Hispaniæ coëgisse, & tamen passim earũ canones obseruat Ecclesia: vt necessariũ sit dicere illas iure & ritè coactas. Respód. I. hæc concilia non fuisse œcumenica, de quibus hoc loco præcipuè instituitur disputatio. II. ne idẽ de œcumenicis quod de prouincialib velit Vigor. esse iudiciũ Respondeo cócilia prouincialia ex August. ep. 127. à solo Archiepiscopo vel Primate debere cóuocari vnde si Reges aut principes in suis regnis aut prouinciis aliqua indixerint, hoc ex consensu ipsorũ Archiepiscoporũ fecerũt; aut cùm iam indicta essent & veluti pacta inter Episcopos, sua authoritate pro executione & via facti de iis cogendis edixerunt. Tertiò, etiãsi principes citra consensum Episcoporũ, imò etiam cõtra eorum voluntatẽ aliqua interdum indixerint (quod tamẽ rarissimũ est, & vix in vno aut

receperit & obſeruauerit; hæc tamẽ decreta ab initio nullam obligationẽ induxerunt, vt pote edita contra ordinẽ in Eccleſia à Chriſto & Apoſtolis præſcriptũ; nihil n. iuris habent in Eccleſiá principes, ſed tamen quia tractu tẽporis ceperũt in Eccleſia obſeruari, moribuſque vtentium firmari, iam fideles ipſos obligant non quidem vi legiſlatoris nempe concilij, ſed vi receptionis & approbationis, quæ illis poſtea acceſſit: quòd apertiſſimè liquet ex ſynodis Ancyrana & Neocæſarienſi, ante Nicænum ſynodum celebratis, quæ etſi à ſummo Pontifice indictæ, & coactæ non fuerint, in Nicæna tamen ſynodo vniuerſali fuerunt approbatæ: vt ex concilio Florentino act. 14. conſtat; ſicque eorum canones per totam Eccleſiam recepti obligationem inducere cœperunt.

De ſynodis Ancyrana Neocæſarienſi.

Tertiò, duo concilia profert Vigorius inuitis Pontificibus congregata, quæ tamen in Eccleſia, tãquam legitima ſemper ſunt habita: vt Sinueſſanum inuito Marcellino, qui idolis vrgente & cogente perſecutione thus adoleuerat; & Piſanum, non conſentientibus, immò diſſentientibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. Reſpondeo non eſſe mirum hæc concilia inuitis Pontificibus, aut ſaltem minimè conſentientibus coacta eſſe. Nam primùm, quod attinet ad concilium Sinueſſanum à clero Romano, circa religionis negotium vigilantiſſimo, & non à Marcellino fuit conuocatum, quippe qui etſi mente Chriſtianam religionem ſemper coluiſſet, exteriùs tamen ab ea defecerat, & conſequenter à iure Eccleſiæ gubernandæ excidiſſe videbatur. Vnde non potuit in eo caſu concilium indicere, & conuocare, ſed tantùm clerus Ro-

in altero contigit) eorũq. decreta Ecclesia vniuersalis manus ad quem tunc Cardinalium authoritatem habentem ius cogendi concilij deuoluebatur. Adde quod suprà ostendimus Ecclesiam posse Pontificem hæreticum aut scandalosum deponere, accusare, & corripere, & ex consequenti eo inconsulto, immò etiã inuito posse cõciliũ indicere, quod cùm in facto Marcellini contigerit, non mirum est si Episcopi trecenti Sinuessæ ad eum corripiendum vel iudicandum conuenerint. Quòd autem ad concilium Pisanum, in quo Gregorius XII. & Benedictus XIII. fuerunt depositi responsionem non meretur, nam tunc Ecclesia graui schismate laborabat, & incertum erat vter eorum esset summus Pontifex: cùm autem incertus habeatur pro nullo, secundùm vulgatam iuris regulam, mirum non est si non à Pontifice qui tunc nullus habebatur, sed à Cardinalibus vtriusque partis cõcilium hoc fuerit indictum & celebratum; ad eos enim sede vacante suprema in Ecclesiam potestas, vt illi de capite prouideant, omninò deuoluitur.

De concilio Pisano.

Postremò sic vrget, esto omnia concilia ex cõsensu expresso, aut tacito Pontificis indicta fuerint: hoc tamen in ipsis Pontificibus authoritatem conuocandorum conciliorum non arguit, aliàs Patriarcha Antiochenus & quilibet alius Primas concilium cogere diceretur, cùm eius consensus congregationes conciliorum soleat antecedere. Respõdeo Pontifices consentiendo Imperatoribus, eo ipso suæ conuocationi authoritatem prębuisse; si enim id sibi suo iure licere putassent Imperatores, ad quid consensum Pontificum exoptassent? *Frustra* enim *precibus imperatur, quòd iure communi licet*, vt eleganter iure cons. 1. C. de

thesauris. Deinde omnis actus humanus ex Iurisc. sententia, ita interpretandus est, vt aliquid operetur: atqui cõsensus Põtificis expetitus ab Imperatorib. est actus humanus, vt omnes norũt: ergo aliquid debuit operari: Atqui nihil potuit operari, nisi authoritatẽ conuocandi, aut celebrandi concililia præstitisse intelligatur. sic pater consentiendo nuptiis filij authoritatem eis præstat, quæ aliàs iure ciuili non valerent, quamuis in iure canonico alia sit ratio l. 12. ff. de ritu nuptiarum. sic qui rem suam pignoranti consentit, pignori authoritatem, & firmitatẽ tribuit, quod aliàs non valeret; ea deniq; ratione Episcopi comprouinciales absentes, consentiendo ordinationi Episcopi, eandem confirmant, idemq; robur & vim tribuunt, ac si præsentes ordinâssent, dist. 65. can. *Episcopus*. Quare siue consensus ille Pontificum, ad cõciliorum conuocationem ab Imperatoribus expetitus mandato comparetur, siue tacitæ approbationi, vtroque casu arguit, & authoritatem concedẽtis, nempe Pontificis, & necessitatem impetrantis scilicèt Imperatoris.

Cæterùm, quæ diximus regulariter, & per se sunt accipienda; nam si contingeret concilium œcumenicum Ecclesiæ esse prorsus necessarium, ita vt eius defectu omnia retro sub lapsa ferrentur in Ecclesia; neque induci posset Pontifex vt illud indiceret, in hoc casu Cardinales possent illud indicere, qui si etiam nollent, Primates diuersorum regnorum possent inter se conuenire, & Episcopos sibi subiectos in vnum locum conuocare: quibus etiam renuẽtibus, Episcopi ipsi mutuo hortatu, in vnum locum ad Ecclesiæ rebus prouidendum, legitimè inter se conuenire possent;

In quibusdam casibus concilia absque summo Pontifice possũt indici & cõuocari.

-sent; & quamuis in eo casu dogma fidei Ecclesiam vniuersalem de facto obligans condere nequirent, tamen vel suis decretis, euidenti Ecclesiæ periculo succurrerent, aut si in moribus ad ruinam totius Ecclesiæ tẽdentibus omninò esset summus Põtifex ἀκόλαστος & incorrigibilis; tunc enim eum monere, nec non increpare possent, & reprehendere, omni tamen moderatione seruata: aut denique si hæreticum eum esse aut schismaticum manifestissimis cõiecturis cognoscerent, ipsum procul dubio possent deponere, & alterum in eius locum sufficere.

Quinam debeant ad concilium vocari.

QVÆSTIO III.

PRÆTERMISSIS hæreticorum opinionibus, seu verius figmentis, quorum alij solos electos ad concilium vocandos volunt, alij solos peritos, rei de qua est quæstio, siue laïcos, siue clericos, contra quos Polemici huius æui Doctores manus acuerrimè conseruerunt: cum Vigorio duntaxat res nobis erit, & vt apertiora fiant omnia, quædam præmittenda veniunt. Primùm, conuocationem ad concilium posse ob varios fines fieri, aliqui enim vocantur vt iudicent, ac decernant, alij vt consulant & examinent id, de quo in concilio agitur. Alij verò, quia sunt in causa, & periculum est, nequid in eorum damnum à concilij patribus decernatur. Secundò, sciendum aliquos de iure concilio interesse debere: alios verò tantùm ex priuilegio Pontificis, aut Legatorum eius concessione. Quibus positis, ne in aliis quàm quæ habet Vigorius immoremur; constat Episcopos,

& qui his ſint ſuperiores, puta Archiepiſcopos, Primates, & Patriachas eſſe de iure vocandos,& quidem in finem iudicandi & decernendi,quippe qui in conciliis ſuffragio deciſiuo gaudent, vt in omnibus ferè antiquis conciliis videre eſt, quibus Epiſcopi tanquam iudices & definientes ſubſcripſerunt hac formula: Ego Epiſcopus definiens ſubſcripſi. Et meritò, ſunt enim principes ſuarum Eccleſiarum, quas ſoli repræſentant, non minùs quàm magiſtratus ſuam ciuitatem. Vnde quemadmodum negotia publica,quæ in prouinciarum Comitiis tractari ſolent à ſolis ordinibus definiuntur & terminantur, & non ab aliis fortè peritioribus: ita & negotia publica & Eccleſiaſtica, in conciliis generalibus & prouincialibus, tantùm ab Epiſcopis iure terminantur. Item conſtat Cardinales, Epiſcopos, Abbates, & generales ordinum conciliis generalibus intereſſe, & in iis ſuffragio deciſiuo gaudere, quod in concilio Lateranenſi, & Tridentino eſt obſeruatum, nec ſine ratione, non enim incongrùè dici poſſunt Eccleſiarum Principes. Vt enim Rex aliquos ad principatum temporalem pro ſuæ poteſtatis plenitudine nonnunquam euehit: ita Pontifex ad Eccleſiaſticum principatum pro amplitudine ſuæ in Eccleſiam poteſtatis poteſt nõnullos attollere. De Cardinalibus nemo negat, his enim ſaltem ex conſuetudine incumbit electio Pontificis, iidemque cauſas Epiſcoporum, tanquam Papæ conſiliarij legitimè cognoſcunt. De Abbatibus,& ordinum generalibus, nemo idem iure negauerit, cùm in ſuos ſubditos poteſtatem habeant, non tãtùm quoad forum interius, ſed etiam exterius.

Epiſcopi corumq; ſuperiores in finẽ iudicandi vocantur ad concilium.

Cardinales, Epiſcopos, Abbates & generales ordinum inter ſunt cõciliis in finem iudicandi.

Constat denique viros doctos, & peritos ad cōcilium esse conuocandos, sed in finem consultationis & examinis eorum, quæ in concilio pertractantur, non autem ad ferendam sententiam, quam vocant definitiuam; neque enim ipsi sunt Ecclesiæ principes, sed potius ipsorum Episcoporum, Romaniq; Pontificis ministri, quamuis tamen speciali Pontificis concessione interdum possint ad iudicandum & definiendum admitti. Sed hoc est extraordinarium, & hactenus minimè obseruatum. Tota itaque cōtrouersia est de Presbyteris animarum curam habentibus, an eadem qua Episcopi in conciliis potestate gaudeant: Affirmat Vigorius: nos negamus, cùm enim in conciliis generalibus tria potissimum pertractentur, fides aduersus hęreticos, morum reformatio cōtra peruersos Christianos, & causæ quædam priuatæ Episcoporum, vel aliorum; ad nullum horum debent Presbyteri illi tãquam iudices, & definientes admitti, & quidē non ad fidem. nam cùm definitiones fidei sint maximi momenti, nihilque in Ecclesia sit iis maius, solæ personæ Hierarchicæ iudicium ferre debēt, non autem inferiores Sacerdotes qui Episcopis subsunt, eorumq, sententiam, nisi quid obstet, sequi debent; sic enim in regno grauiora negotia à Rege, Principibus, supremisq; magistratibus, non autem ab inferioribus & pedariis iudicibus definiuntur. Adde parœchos, etsi animarum curam habeant, propriè non dici patres Ecclesiæ; quia scilicèt nullos Sacerdotes ordinant; & quamuis per instructionem de rebus fidei, & per baptismi collationem filios pariant Ecclesiæ; cùm tamen hoc omnes, si non ex officio, saltem ex commissione, & ex charitate,

Viri docti ad cōciliū vocantur in finem cōsultationis.

Presbyteri non intersunt conciliis in finem iudicādi.

aut interdum in casu necessitatis id præstare possint, non propterea propriè,&per se Ecclesię patres debēt nominari, non sunt etiā propriè Apostolorū successores, qui magistri,& præcones fidei fuerūt, nullaq; exteriori iurisdictione in Ecclesiam gaudent, nec illis ex officio incūbit Euāgeliū prædicare, fidéq; contra hæreticos propugnare & defendere, sed tantùm prima doctrinæ Christianæ rudimenta suos subditos edocere, nisi ex priuilegio & authoritate ab Episcopis, aut summo Pontifice accepta: & ideo Dionysius Areopagita cap. 5. cœlestis Hierarchiæ part. 1. Sacerdotes vocat illuminantes, quia sacramenta, vt Baptismum & Pœnitentiam administrant, Episcopos verò perficiētes, quia Fidei mysteria docēt Christianos: Igitur nullis sacerdotibus (quos Curatos vulgus vocat) licèt gregi animarum numerosissimo præfecti sint, sed solis Episcopis definitio quæstionum fidei conuenit. Secundò dico, eosdem presbyteros non posse in conciliis morum regulas, seu canones reformatorios condere, quippe qui nullam habeant leges ferendi potestatem, sed quas Episcopi statuunt, potius teneantur obseruare. Hæc enim potestas est iurisdictionis externæ, qua ipsi carent, cùm solùm in foro interno, & conscientiæ, valeat eorum potestas: qua de causa Martianus Imperator, in concilio Calcedonēsi act. 7. cùm vellet constitui canones de moribus, quos ipse cum Senatu suo proposuerat, noluit tamen eos sua, sed synodi Episcoporum auctoritate promulgari. *Quædam (inquit) capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reipublicæ vobis seruauimus,* decorum esse iudicantes, *à vobis hæc regulariter formari per synodum, quàm no-*

stra lege sanciri: Dico tertiò, nunquam licuisse parœchis interesse conciliis, quasi possent esse Episcoporum iudices: sic enim maior à minori iudicaretur, & superior ab inferiore damnaretur, aut absolueretur, quod iuris, rationisque ordinem omninò destruit; & obedientiam quam Episcopis parœchi præstare debét pœnitus eneruat & frangit. Cùm ergo hæc tria in conciliis soleant pertractari, & ad nullum eorum Sacerdotes animarum curam habentes potestatem ex iure habeant, non sunt ij ad concilium vocandi, vt sint iudices: quæ causa est cur Augustinus lib. 2. de baptismo cap. 7. & epist. 119. cap. 19. vocet synodos, Episcoporum concilia, & ad concilium Calcedonense Pulcheria Imperatrix, quæ cum Martiano imperabat epistola sua præambulari fateatur, se Clericos vel monachos; atque etiam laïcos ad concilium non vocâsse, ideoque velle, vt si conueniant, vi repellantur, exceptis paucis illis, quos secum Episcopi adduxerant, vnde in concilio Calcedonensi act. 1. cùm ad Martianum Archimandritam mitteretur, vt subscriberet; respondit, non esse suum, sed Episcoporum tantùm: & in eodem concilio act. 4. cùm pro Dioscoro ingressi essent monachi & clerici, acclamatum est: *Mitte foras superfluos, Synodus est Episcoporum, non Clericorum,* & in Ephesina synodo prædatoria, cùm Dioscorus hæreticus Patriarcha, Presbyterum ad subscribendum vocâsset. Respondit se nolle id facere, quod Episcopis ex proprio officio conueniret. In eodem concilio act. 3. & in epistola ad Ephesinam synodum, quæ extat primo tomo eiusdem concilij cap. 32. Theodosius iunior palam testatus est, nefas

esse, eum qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus, quos solos constat in cōciliis agitari; sed multò ante Theodosium tempore Victoris Papæ varia variis in locis concilia pro celebratione Paschatis coacta sunt; quibus non presbyteri, sed Episcopi interfuerunt. Euseb. lib. 5. c. 23. *Ob quam causam* (inquit) *conuentus Episcoporum & concilia per singulas quasque prouincias conuocatur.*

Rationibus probatur Presbyteros non vocari ad concilia in finem definiēdi.

Neque verò desunt rationes Theologicæ ad Vigorij dogma refellendum; si enim in primis presbyteri animarum curam habentes iure ad concilium vocandi essent, vel omnes vocari oporteret, vel aliquos: nō prius, quia nullum vnquam posset generale concilium celebrari. Quomodo enim in vna ciuitate parochi omnes possent contineri, aut eorum quisque sententiam dicere? neque enim dici meritò potest, cùm in oriēte celebraretur cōcilium paucos parœchos occidentales adesse debere, sicut in Occidente paucos orientales: neque enim propterea difficultas soluitur; quomodo enim parœchi omnes Occidentalis Ecclesiæ in vnum aliquem locū conuenirent, certè ex Gallia numerus parœchorum esset plusquam septuaginta millium: de aliis verò Christianæ religionis prouinciis idem ferè est iudiciū, cùm omnes habeant parœchos penè infinitos. Adde quod Ecclesia insigne pateretur detrimentum, sic enim fideles magno tēporis spatio absque pastoribus essent, quibus tamen quottidie, non item Episcopis, pro suæ conscientiæ regimine indigent: aliquos autem duntaxat ad concilium vocandos esse dici non potest, cùm omnes sint dignitate æquales, nec vnus in gregem maiori

prædituſ ſit authoritate quàm alter. Dices fortè, maiores parœchos relictis minoribus ad concilium profecturos, ſed certè maiores parœchi cùm ampliſſimo gregi præficiantur, minùs quàm alij vocandi ſunt; illorum enim abſentia Eccleſiæ magis eſt pernicioſa. Iterùm dices illos ſolos ad concilium ituros, qui à cæteris collegis eligerentur; Verùm hæc electio nõ obſtaret quominus omnes ex ſe & ratione officij concilio iure poſſent intereſſe. qui enim alteri poteſtatem facit vt alicui negotio ſe immiſceat, poteſt ipſemet per ſe munus illud obire. Atqui abſurdum eſt & cõtra Eccleſiæ ordinẽ & ſtatum, vt omnes parœchi cõcilio œcumenico interſint: Ergo nullo iure intereſſe poſſunt, ſed ex priuilegio tantùm, & ex voluntate Pontificis, qui quatenus expedire iudicabit in finem cõſultationis & examinis eos poterit accerſere. Secundò, cùm numerus parœchorum numerum Epiſcoporũ excedat, ſi ipſi intereſſent conciliis, & in his ſuffragio deciſiuo gauderent, à Parœchis Epiſcopi vincerẽtur, ſicque regerentur ſuperiores ab inferioribus, patres à filiis, principes à ſubditis. at hoc præter rationem eſt, immò & contra omne ius. in Eccleſia enim vult Apoſtolus omnia eſſe ordinatiſſima. Tertiò, poſſent facilè Archiepiſcopi & Primates in quorũ prouinciis concilium haberetur, omnes aliarũ prouinciarũ Epiſcopos & iudices ſuperare, & in quam vellent ſententiam pertrahere, quia omnes parœchos ſuæ prouinciæ in concilium facilè introducerent, ſicque cùm vt plurimùm ſuffragia non ponderentur, ſed numerẽtur, numero ſuffragantium quicquid vellent decernerent: quod certè in Eccleſiæ perniciem non poſſet non ce-

dere. Quartò, Parœchi non ſunt Eccleſiæ principes & capita, ſed tantùm velut perpetui Epiſcoporum vicarij; & quæcunque ab iis præſtantur, ab Epiſcopo legitimè & citra cuiuſque iniuriā præſtari poſſunt. vnde ſacramenta omnia quæ in Eccleſiis parœchialibus Parœchis ſuis ſubditis adminiſtrāt, in Eccleſia maiori ab Epiſcopo iiſdem ſubditis legitimè adminiſtrari poſſunt. Emmanuel verb. *Epiſcopus.*

Argumēta Vigorii pro cōuocatione Presbyterorum ad conciliū.

Sed argumenta Vigorij quibus hanc Doctorū ſententiam labefactat, ſigillatim expendamus. *Primùm enim* (inquit) *in concilio Hieroſolymitano non ſolùm aderant Apoſtoli, quorum vicem tenent Epiſcopi, ſed etiā ſeniores Eccleſiæ. Act. 15. Concilio Nicæno multos Chorepiſcopos interfuiſſe & ſubſcripſiſſe patet ex eius actis tomo 1. Concil. Erāt autem chorepiſcopi preſbyteri duntaxat, quod nos docet Damaſus epiſtola de chorepiſcopis, ſeu Villani, aut Vilatici, quos Curatos dicimus, qui erant vicarij Epiſcopi in villis & pagis ab Epiſcopis miſſi poſt manuum impoſitionem. Euſeb. lib 3. de vita Conſtantini cap. 9. ait interfuiſſe concilio Nicæno 250 Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, & Acolythos: Athanaſius tunc tantùm Diaconus adfuit, qui ex Gregorio oratione funebri eiuſdem Athanaſij maximā partem concilij cōtra Arium ſuſcepti ſuſtinere viſus eſt. ex Sozomeno lib. 1. ca. 16. quæ verba ſatis oſtendunt ius ſententiæ habuiſſe, ſed & Sylueſtri vicarios preſbyteros tantùm fuiſſe conſtat.* Hæc Vigorius. Reſpondeo Vigorium hoc argumentum ex Proteſtantibus in libello qui inſcribitur, cauſa, ſurripuiſſe, ideóque vtriſque eadem reſponſio ſatis erit. In concilio ergo Hieroſolymitano interfuerunt Seniores cum Apoſtolis: ſed per Seniores intelligimus non Presbyteros, quales nunc ſunt in Eccleſia qui Prælatis

tanquam

tanquam ſuperioribus ſubſunt, ſed Epiſcopos ex ep. 1. canonica D. Petri cap. vlt. πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος; ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον ἐπισκοποῦντες *Seniores qui cum vobis ſunt obſecro ego conſenior, paſcite qui in vobis eſt gregem prouidentes.* Nomen ergo Senioris Apoſtolorum tempore magis Epiſcopum quàm inferiorem quemdam presbyterum ſignificabat. Secundò reſpondeo, eſto presbyteri, non Epiſcopi cōcilio Hieroſolymitano interfuerint, non tamen propterea ſequitur eos tanquam iudices & decernentes interfuiſſe, ſed tantùm vt conſultores & rem de qua erat quæſtio pro acumine ſui ingenii diſcutiētes, vel vt Apoſtolorum definitioni obſequerētur, neque ei reclamarent. Quod ita eſſe probo, primùm ex conſuetudine Eccleſiæ optima ſcripturarum interprete; nam cùm poſterioribus conciliis preſbyteri tāquam definientes non interfuerint, ſignum eſt concilio illi primo œcumenico, quod cæterorum norma erat, non aliter quàm vt definitionem audirent, illíque obſequerentur, interfuiſſe. Deinde hoc idem ex contextu patet, quia ſoli illi in concilio locuti ſunt, qui Apoſtoli erant, aut Epiſcopi; Petrus nempe Apoſtolorum Princeps & coryphæus, Iacobus Apoſtolus & Hieroſolymorum Antiſtes, Paulus, Barnabas, Silas, & Marcus, qui duo tantùm Epiſcopali dignitate refulgebant.

Quinam propriè ſint corepiſcopi.

Quod autem ſpectat ad concilium Nicænum, cui ſubſcripſerunt corepiſcopi, ſciat Vigorius velim, quoſdam fuiſſe chorepiſcopos qui realiter Epiſcopalem conſecrationem acceperant; ſed corepiſcopi dicebantur quia propriam Eccleſiam non habebāt,

ſed in aliena diœceſi miniſtrabant, non ſecus atque illi qui nunc titulares ſeu ſuffraganei vocantur, de quorum numero fuiſſe eos qui Nicæno concilio ſubſcripſerunt, ex eo colligitur, quòd in eadem ſubſcribentium ſerie, in qua alij verè Epiſcopi reponantur, neque vlla eorum ſit differentia in ratione ſubſcriptionis. Quòd ſi Vigorius inſtet chorepiſcopos parœchis noſtris tantùm reſpondiſſe, nec ſtatum aut conditionem presbyterorum, qui nunc in Eccleſia cernitur, ſuperâſſe. Reſpondeo eos ſubſcripſiſſe concilio tanquam teſtes, non tanquã definientes. Quòd autem Athanaſius tunc tantùm diaconus magnam concilij partem ſuſtinuerit, hoc de docta & celebri diſputatione cum Ario eiuſque ſectariis ab eo habita, non autem de ſubſcriptione & definitione intelligitur; legati verò Sylueſtri ſimplices quidem erãt ſacerdotes, ſed ex priuilegio Põtificis & ex legationis prærogatiua concilij definitionibus tãquam iudices ſubſcripſerunt. *Sic enim honorabitur quem* Rex ſeu Pontifex *honorare voluerit.* Secundò obiicit Vigorius, *Inter Patres Conſtantinopolitanos Petrus frater Baſilij magni, & Diodorus numerantur à Theodoreto lib. 5. cap. 8. qui non erant Epiſcopi, nec inter Epiſcopos numerati. In Synodo Epheſina Philippus preſbyter Eccleſiæ Romanæ legatus, & Euſebius legatus Epiſcopi Claudionopolitani: & in Calcedonenſi Bonifacius preſbyter Sedis Apoſtolicæ legatus, & multi Preſbyteri ſubſcripſerunt.* Reſpondeo non conſtare an Petrus ille fratrer D. Baſilij Epiſcopali dignitate refulſerit, maior tamen eſt coniectura eum potius Epiſcopum fuiſſe quàm alterius gradus Eccleſiaſtici; recenſetur enim in catalogo Epiſcoporum qui ad electionem Nectarij in locum Gregorij Theo-

logi Conſtantinopolim conuenerant: ſed notandum inſigne Vigorij mendacium, cùm ex Theodoreto Diodorum ab Epiſcopali dignitate remouet, cum ipſemet Theodoretus eum Epiſcopum nominet: *Et optimus* (inquit) *Piſidarum Cilicumque antiſtes Diodorus*: Sed hoc homini condonandum. Quod vero Philippus preſbyter Eccleſiæ Romanæ legatus concilio Epheſino ſubſcripſerit, vt Calcedonenſi Bonifacius, id non mirum, quia priuilegium hoc ſedis Apoſtolicæ legatis, propter inſignem legationis prærogatiuã non poteſt nõ cõuenire. Referunt quippe perſonam Pontificis, qui ſi adeſſet, primus omnium ſubſcriberet, ſuoque calculo concilia ipſa confirmaret. Euſebius verò legatus Claudianopolitanus etiam nomine ſui Epiſcopi tanquam definiens legitimè ſubſcripſit; non enim, opinor, ignorat Vigorius quæcumque ſunt iuriſdictionis poſſe ab Epiſcopo in vicarium transfundi. Cum ergo ſubſcriptio hęc conciliorum non ſit ordinis, ſed potius iuriſdictionis actus; eſt enim confirmatio decreti ab Eccleſia conditi, Vicarij Epiſcoporum ſpecialiter ad id deputati, ſubſcribendi poteſtate legitimè fruentur. Eoque modo ſoluitur quod ex Synodo Conſtantinopolitana ſub Iuſtiniano profert, vbi Theophanes & Pelagius diaconi Romani, & Stephanus diaconus Epiſcopi Cæſareæ legatus, Maximus presbyter, & Eraclius diaconus multique alij ſubſcripſerint; & in Synodo Trullana varij presbyteri & monachi tanquam ſubſcribentes recenſeantur; erant enim iſti legati ſuorum Antiſtitum, & eodem quo illi ſi præſentes fuiſſent, iure gaudebant; vel ſi legati non

Poteſtas definiendi poteſt delegari, cũ ſit iuriſdictionis.

fuerint, tantùm ſubſcripſerunt vt oculati & auriti teſtes eorum quæ in concilio acta definitáque fuerant. Tertiò obiicit, *In Lateranenſi concilio, ſub Innocentio III. Abbates duodecim, Priores conuentuales octingenti, in Florentino ſub Eugenio IV. multi Diaconi Græcorum ſubſcripſerunt, multique Abbates occidentales.* Reſpondeo ſubſcripſiſſe, & quidem tanquam definientes, ſed ex ſpeciali Pontificis indulto & priuilegio: quòd ſi defuerit, tanquam teſtes definitionum ſubſcripſerunt. Sanè probandum erat Vigorio eos per ſe & ex officio ius iſtud definiendi non minùs quàm Epiſcopos habuiſſe; quod cùm non præſtet, ſed tantùm in hæc verba exclamet & effutiat: *At quid vos docuit nō habuiſſe ius definitiuæ ſententiæ, vt aures duntaxat accommodâſſe videantur?* Profectò quæcũq; hoc loco profert, eadē facilitate qua cetera omnia refellũtur. Quartò, ſententiã ſuã cõfirmat teſtimonio Gerſonis tract. de origine iuris & legũ; & Almaïni lib. de ſuprema poteſtate Eccleſiaſt. qui expreſsè docēt inferiores ſeu minores Prælatos, per quos Prælatos intelligunt ius definitiuæ ſententiæ ratione ſtatus & nō ex priuilegio habere. Reſpond. propter vnum aut alterũ doctorē Pariſienſem, qui contra communiorem & veram ſententiam abierit, non eſſe ſingularem aliquam opinionē toti ſcholæ Pariſienſi affingendam. Nolo quidem à caſtris Scholæ meæ quantùm conſcientia ferre poterit diſcedere: ſed ſi ab vno aut altero doctore diſſentiã, nemo eſt qui mihi iure poſſit ſuccēſere; neque enim vn⁹ ille aut alter doctor ſibi amplius arrogauerit, quàm Auguſtinus, qui ſuarum opinionum non tam acer & pertinax defenſor erat, vt eas ab omnibus pro

veris, & indubitatis haberi vellet, sed quicunq; ratione meliore, ingenio sagaciore, aut rebus in Ecclesia attentiùs discussis & diligentiùs exploratis quidpiam aliud inuenisset, ei contrarium sentiendi licentiam vltro dabat, quod idem de aliis doctoribus & Scripturæ Sacræ interpretibus iudicabat. *Ego* (inquit) *solis eis scriptoribus, qui canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum scribendo errâsse firmissimè teneam, ac si aliquid in eis offenderim, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem quàm mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, vel me minimè intellexisse nō ambigam; alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinave polleant, non ideo vera putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illos authores canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt*: Quapropter etsi Gersonem & Almaïnū magni semper fecerim, & etiamnum faciam, eorum tamen iudicium non est apud me præiudicium, præsertim vbi de rebus summi Pontificis sermo est, cùm tempore schismatis vterque (vt secunda parte notauimus) floruerit.

Doctores particulares ægrè ferre non debent si eis interdum contradicatur.

Quintò, in conciliis prouincialibus sententiam definitiuam Diaconi & Presbyteri dederunt: atqui non est cur etiā in generalib. idem nō præstēt, cùm in cōciliis prouincialibus, æquè ac in generalibus hæreses damnentur, & eorum decreto tota acquiescat Ecclesia. *Vnde* (inquit) *si idem sit effectus particularium ac generalium, certè idem ius est constituendum.* Maiorem sic probat. *Victor ad cōcilium Romanum vocauit Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, & Arabianis duobus in quibus Berilli hæresis damnata est, interfuit Origenes, non Episcopus,*

ex Eusebio lib. 6. cap. 26. & 30. post martyrium Fabiani habita est Romæ synodus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, qui synodum sede vacante coëgerant ex Cypriano epist. 7. lib. 2. in qua Presbyteros non solùm testes, sed & iudices fuisse, sententiamq; definitiuam dixisse patet. His subiungit cõcilium particulare Romanum, quo Nouati hæresis ab Episcopis Presbyteris & Diaconis dánata est: *Nec minùs* (inquit) *damnatus est Nouatus in cõcilio hoc Romano, quàm si esset in generali, cùm æquè eius condemnationẽ omnis Ecclesia amplexata sit: Antiochenæ synodo qua hæresis Pauli Samosateni explosa est, interfuerunt Presbyteri & Diaconi, Eusebius lib. 7. cap. 22. & 24. eosque dedisse sententiam definitiuam docet epigraphe huius synodi.* Alia eius generis & sensus testimonia plurima recenset Vigorius, sed maiori importunitate quàm efficacia. Respondeo igitur Vigorij ratiocinationem esse puram putã Sciomachiã, nihilq; aduersum nos efficere quis enim negat Presbyteris cõuenire ius definitiuæ sentẽtię ex summi Põtificis, vel legatorũ illius cõcessione, si sit cõciliũ generale; vel Primatis, aut Archiepiscopi, si nationale; aut prouinciale? ideo vno verbo dicimus in his & similibus cõciliis Presbyteros ex præsidũ priuilegio, definitiuam tulisse sententiam. Ex quo facilè soluitur quæstio, an vi Sacerdotalis muneris in conciliis prouincialibus Sacerdotes iudicium definitiuum ferant? Pars enim negans omninò vera est, cùm enim decreta publica fidei, & morum, externam postulent iurisdictionem, ea autem Sacerdotes careãt, non possunt ex se & proprio sui Sacerdotij iure quicquam in conciliis definire: sed si quid agant & definiant, id totum faciunt ex priuilegio. Quod autem in minori

propositione dicat Vigorius, hæreses æquè in prouincialibus, ac in generalibus condemnari: si per particulam (æquè) intelligat, quod eadē authoritate, eodemq; robore in vtrisque condemnentur, hæresim manifestam adstruit, sibiq; apertissimè contradicit; prius quidem, quia nihil est inter doctores cōmunius, nihilq; experientia quotidiana manifestius, quàm pleraq; cōcilia prouincialia turpiter errâsse, Deumq; soli Ecclesiæ vniuersali, quæ per conciliū œcumenicum, vel supremum illius caput repręsentatur, non autem particulari, quàm prouinciale conciliū refert, priuilegium infallibilitatis promisisse & cōcessisse; posterius verò, quia initio libri prima ipsa pagina fusè explicat quo pacto decreta fidei à conciliis prouincialibus cōdita, approbatione generalis concilij ad robur firmitatis obtinēdum, opus habuerint: quòd si per particulam, æquè, intelligat non quidem æqualitatem, sed tātùm similitudinem, ita vt sicut in conciliis œcumenicis damnatæ sunt variæ hæreses, ita & in cōciliis prouincialibus, verum quidem dicit, sed non ad rem: ex hoc enim propterea non sequitur Presbyteros in cōciliis generalibus suffragio definitiuo gaudere; tū quia argumētum à simili ex Philosophis infirmū est nimisq; populare; tum quia de casu in casum secundū Iurisc. consequentia non trahitur, præsertim cùm alter ad quem trahitur est multo dignior & excellētior quale est concilium generale respectu prouincialis, ideoque etsi suffragio decisiuo in conciliis prouincialibus pro materia fidei Presbyteri gauderent (quo tamen nisi ex concessione Præsidūm, iure gaudere nequeunt) non propterea legitimè infertur à Vigorio,

In conciliis prouincialib. damnātur hæreses sicut in generalibus, sed nō æquè.

in conciliis generalibus pari iure gaudere. Superest vltima obiectio qua se Aërianũ prodit Vigorius: Videtur enim ęquare Presbyteros animarum curam habentes Episcopis, quippe qui cum Richerio inter vtrosque nullam in primitiua Ecclesia fuisse differentiam contendat, ex can. Legimus 93. dist. vbi sic loquitur Hieronymus, *Etenim quõdam Presbyteri Ecclesiam in commune regebant*. & can. olim 95. distinct. *Vel si maiores sint Episcopi Presbyteris* (vt credidit Augustinus) *non aliundè quàm ex vsu Ecclesiæ, innotuit*. can. *Quanquam* 2. quæst. 2. ex quo sic ratiocinatur Vigorius, Si quondam Presbyteri vnà cum Episcopis Ecclesiam in commune rexerunt: ergo & Episcopi & Presbyteri ius ferendæ definitiuę sententiæ in cõciliis quibuscunque à Christo acceperunt. quod si iam non ampliùs ferãt, id ex vsu & ordinatione Ecclesiæ, non Christi institutione prouenit. Mihi certè hoc argumentum attentiùs perpendenti venit in animum eadem mente illud attulisse Vigorium qua olim Aërius, de Episcopis & Presbyteris dicitur iudicâsse. docet enim Epiphanius hæres. 75. Aërium Episcopos & Presbyteros inter se coæquasse, nullamq; inter vtrosque distinctionem agnouisse, vt seipsum quod ad Episcopalem dignitatem assumptus non fuisset, consolaretur; sic enim fortè perniciosum Aërij dogma ideo renouare nititur Vigorius, quòd in Archiepiscopatu Narbonẽsi auunculo suo clarissimo doctori non successerit: sed hoc scrutatori cordium & renum relinquentes, dicimus ad argumentum: Primò, satis superque in fide constare, Episcopos Presbyteris multò maiores & digniores esse, non solùm ordinis, sed etiã iurisdictionis potestate,

Differentia Presbyteri & Episcopi secundũ Hieronymum.

poteſtate, ſeſſ. 23. concil. Trid. cap. 4. ideoque non ſolùm hoc tempore, ſed etiam olim in primitiua Eccleſia, Epiſcopos fuiſſe in medio Presbyterorum, non vt conſules in Senatu, ſed tanquam Principes in medio conſiliariorum. Quantum ad ordinis poteſtatem, ſolus profectò Epiſcopus ordinare poteſt, & eo modo patres Eccleſiæ parere, quamuis vt diximus, ſi in Sacerdotio maneant, hoc nomen illis ſolũ impropriè cõueniat: Presbyteri verò ordinare nõ poſſunt, ſed ſolùm baptizare, & eo modo filios duntaxat generare, vt Epiphanius contra Aërium ratiocinatur: ita vt ſi quemquam ordinare aggrederentur Presbyteri, non ſolùm grauiter peccarẽt: ſed totum eorum opus eſſet irritum & nullum: & hoc liquidò conſtat ex Hieronymo epiſt. 85. ad Euagrium, *Quid facit Epiſcopus excepta ordinatione, quod Sacerdos non faciat?* Quantùm vero ad poteſtatem iuriſdictionis, notum eſt Epiſcopos iure diuino maiores eſſe Presbyteris; tum quia in veteri lege ſummus Sacerdos (cui reſpondet in noua lege Hierarcha ſeu Epiſcopus) minoribus Sacerdotibus (quibus reſpondent Presbyteri) iuriſdictione ſuperior erat, Deuteron. 17. *Qui ſuperberit nolens obedire Sacerdotis imperio, decreto iudicis morietur homo ille:* tum quia Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, Presbyteri verò 70ª diſcipulis: At Apoſtoli iure diuino 70ª diſcipulis maiores erant, vt conſtat ex Euangelio; vbique enim Chriſtum comitabantur, eoque familiariùs, multò quàm diſcipuli vtebantur, & illis ſolis dixit, Ioan. 20. *Sicut miſit me viuens pater, ita & ego mitto vos.* Vnde Actuum 20. Epiſcoporum eſt Eccleſiam ipſam regere: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spi-*

Epiſcopi ſuccedũt Apoſtolis parœchi vero 72. diſcipulis.

ritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Quare cùm synodorum coactio, & iudicium decisiuum quæstionum fidei, & morum, ad potestatem iurisdictionis spectet, nemini dubium est, quin Episcopi iure aliquo in cõciliis gaudeant, quo Presbyteri, quamuis animarum curam habeant, gaudere nequeunt.

Quod spectat ad Hieronymum, qui à nonnullis huic Catholicorum sententiæ aduersari creditur, eius verba proferre lubet, vt apertiùs soluantur, & à calumnia quâ eum notat Vigorius, omninò liberetur: sic ergo scribit in cap. 1. epistolæ ad Titum: *Idem est Presbyter qui Episcopus, & ante quàm diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ communi Presbyterorum concilio Ecclesiæ gubernabantur: Postquam verò vnusquisque eos quos baptisauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur* (& infrà.) *Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudinis quàm dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.* Idem ferè habet epist. 85. ad Euagrium. Respondeo primùm, his locis Hieronymum Vigorij dogmati non suffragari, nam esto, iure diuino, & dispositionis dominicæ veritate, non essent Episcopi maiores Presbyteris (quod tamen falsum est) nihilominus tamen cum in toto orbe decretum fuisset nascentis Ecclesiæ tempore, vt vnus cæteris Presbyteris ad tollenda schismatum semina, superponeretur: necessariò se-

Explicatur locus Hieron. de æqualitate iurisdictionis in episcopo & Presbyt.

quitur saltem iure positiuo, eoque prorsus œcumenico, quædã in Ecclesiæ regimine conuenire Episcopis, quæ Presbyteris minimè conueniunt, quod satis est ad conditionis disparitatem & inęqualitatẽ adstruendam, atq; etiam vt illi suffragio decisiuo in conciliis gaudeant, quo Presbyteri gaudere non debent. Secundò, vt ab omni suspicione Aëriani dogmatis Hieronymum eximamus, dicimus vbique eum agnoscere Presbyterum minorem Episcopo, quoad ordinationem, quam constat ad ius diuinum spectare. Vnde non est dubium, quin ab Aërio, qui iure diuino Presbyterum & Episcopum pares faciebat, longè dissenserit. Addimus Hieronymũ tãtùm velle initio nascentis Ecclesię, propter ministrorũ paucitatẽ omnes Presbyteros simul fuisse Episcopos: non quòd eadem esset Sacerdotum nempe & Episcoporum potestas, sed quòd illorum eadem potestas singulis Sacerdotibus tunc daretur. Quo sensu, verum est Episcopos, & Presbyteros in commune Ecclesiam rexisse, nullus enim tunc erat, qui cum Sacerdotio, Episcopatu non fungeretur. Quamuis aliorum responsio, multùm etiam arrideat, scilicèt Hieronymum duntaxat velle in quibusdam Ecclesiis Sacerdotes in communi potestatem regendi Episcopalem, non quidem ordinariam, sed tanquam delegatam habuisse, ac proinde hoc sensu, in actu ipso regendi, fuisse tũc æquales Episcopis: postea tamẽ occasione schismatum decretum fuisse, vt Episcopus Pastor ordinarius hanc iurisdictionem solus haberet. Ex quibus contra Vigorium cõcludimus solos Episcopos de iure vocari ad concilium in finem ferẽdæ definitiuæ sentẽtiæ, Cardinales

Epilogus totius quæstionis.

vero, Abbates, & generales ordinum ex priuilegio, Presbyteros verò ex se & iure proprio, non nisi in finem consultationis, & deliberationis ad concilium vocari, quamuis per accidens, & ex priuilegio speciali Pontificis, aut illius legatorum, suffragio decisiuo nonnunquam gaudeant.

Quisnam debeat conciliis œcumenicis præsidere.

QVÆSTIO IV.

CVM œcumenicum concilium, de quo hîc sermo præsertim instituitur, maximam Prælatorum multitudinem complectatur, vt ab eo confusio omnis, contentio, tumultusque tollatur, necesse est vnum aliquem multitudini præesse: neque enim multis optimatibus munus hoc potest competere, inter eos enim nullus seruaretur ordo, neque ab ipsis, cùm æquales essent, contentiones & dissidia commodè satis arcerentur: id ipsum maximè ex eo constat, quòd status Ecclesiæ sit monarchicus, qui cùm in conciliis generalibus, magis quàm in aliis Ecclesiæ actionibus relucere debeat; consequens est vnum aliquem supremum monarcham debere necessariò præsidere, in quo cùm omnes ferè Catholici hæretici consentiant, controuersia solùm est, cuius sit iis præsidere. Vigorius cum Magdeburgensibus cent.4.cap.7.colum.536. cum Caluino lib.4. Inst.ca.7. §.1.& 2.&Carolo Molineo in consil. De non recipienda Tridentina synodo §. 4. affirmat, Imperatoris esse cōciliis generalib. præsidere, eaq; suæ authoritatis pōdere confirmare. *Constantinus* (inquit) *in Nicæna synodo præses. fuit.* Sozomenus *lib.1.c.19. Theod. in Constantin.*

Sozomen.lib.7.cap.12. Martianus & iudices ab eo delegati in Calcedonensi, qui & pronuntiauerunt canonem Nicenæ Synodi de primatu Papæ in exemplaribus illius Synodi non reperiri. Constantinus in Constātinopolitana in Trullo. hæc ille. Sed aduersus eum (Deo dante) demonstrabo ordinarium conciliorum præsidem non esse Imperatorem, sed Pontificem Romanum ad Ecclesiæ vniuersalis gubernacula à Christo euectum, ita vt eius sit vel per se, vel per legatos iis præesse. Sciendum itaque est tribus modis contingere aliquem multitudini congregatæ præesse. Primò ad pacem fouendam, & vt omnia cum debito ordine & tranquillis animis transigantur. Secundò, itaut ipse primum locum teneat, primus loquatur, & rem de qua est quęstio, congregationi proponat; in definiendo tamen cæteris par sit, & ad suffragiorum pluralitatem cōcludat, vt prætor in prætorio, & decanus scholæ Theologicę Parisiensis in generalibus eius comitiis. Et hoc quidem adhuc duplici modo, primò solius honoris causa, vel honorariè (vt loquuntur) & absque vlla authoritate, vt Scabinus in concilio aliorum Scabinorū: posterius verò cum authoritate, itaut in eos qui sententiam dicunt, & suffragia ferunt, ipse imperium & authoritatem habeat. Tertiò, ita cōtingit aliquē præsidere, vt non tantùm ipse sententiam dicat, sed etiam dicendo iubeat alios in suam sententiam descendere: sic supremus aliquis Monarcha sanctiori suo concilio præest. De hoc tertio modo speciatim non differemus; huius quippe probatio ex alterius quæstionis solutione dependet, an scilicet Pontifex sit ita superior concilio, vt ab eius sententia nullus Episcopus

iure queat recedere.

Solus Pōtifex cum authoritate præest conciliis.

Prima conclusio. Solus Pontifex conciliis œcumenicis, per se aut per legatos non honorariè, sed cū authoritate qua in omnes Episcopos cōgregatos pollet, preest; si quidem Ioan. 20. Petro & non Imperatori aut Principibus dictum est: *Pasce agnos meos, pasce oues meas*: per quas, vt aliàs fusè ostendimus, Episcopi, Archiepiscopi, Primates & Patriarchæ, imò etiā Imperatores & principes intelliguntur; idē enim est ex Chrysostomo in hunc locum, ac si dixisset Christus: *Esto præpositus loco mei, & caput fratrum tuorum.* Vnde sicut Christus in medio eorum qui in eius nomine congregātur, sedet, & in medio doctorum obscura quæque & difficilia legis diuinæ explicat & aperit. Luc. 2. ita & Petrus in medio Apostolorum ad eadē pro modulo suo præstanda sedet, necnon Pontifex illius successor in medio Prælatorum in vnum coëuntium. Igitur nemo præter ipsum Episcoporum congregationi præerit. Dices Pōtificem esse quidem præsidem seu caput omnium tam Episcoporum quàm Imperatorum & Regum, sed vt sunt per orbem diffusi, & à se inuicem disiuncti, non vt in concilium coëunt & conueniūt. Contrà & hæc erit secunda ratio Act. 15. Apostolorū concilio Hierosolymis pro cessatione legaliū coacto præfuit Petrus. ex Hieron. epist. ad August. 11ª inter epistolas Augustini: & Theodoreto epist. ad Leonē 1. Petrus enim in hoc cōcilio primus surrexit, primus locutus est, & primus quæstionē definiuit, omnesq; in eius sentētiā statim descēderunt: & quāuis posteà locutus sit D. Iacobus, & dixerit, *Ego iudico;* illud tamē nō ideò factum est quòd sententia à Petro lata cum ad

cōſentiendum non adſtringeret: ſed quia cùm eſſet Hieroſolymorum Epiſcopus, & concilium Hieroſolymis celebraretur, illius potiùs quàm alterius fuit ſententiam explicare & publicare: in qua promulgatione quod in genere iam definierat D. Petrus ſpecialiùs explicauit & definiuit. Atqui conſtat Summū Pontificem Petro in his quæ ad generalem Eccleſiæ ſtatum ſpectant, ſucceſſiſſe. igitur eius eſt, & non alterius generalibus præeſſe conciliis. Tertiò, hic mos in Eccleſia ſemper inualuit, vt Romanus Pontifex per ſe aut per legatos conciliis præeſſet, vt inductione per omnia & ſingula generalia concilia facilè demonſtratur. Etenim Nicæno præfuit Syluester per Hoſium Cordubenſem, Vitum & Vincentium preſbyteros, legatóſque à latere: hi enim primi omnium ante Imperatores & reliquos Patriarchas ſubſcripſerunt, ex actis huius concilii tom. 1. Concil. Conſtantinopolitano 1 non præfuit Theodoſius ſenior, cùm tantùm ad Epiſcopos Romani Pontificis literas, quibus ad concilium vocabantur, miſerit, ex epiſt. cōcilii ad Damaſum, apud Theodoret. lib. 5. c. 5 nō præfuit etiā Rom. Pontif. Damaſus, quia cū optaſſet Epiſcopos Orientis primū Conſtātinopoli cōgregari, & ex hoc loco poſteà Romā venire, vt ibi plenarium & œcumenicū conciliū cum Epiſcopis Occidētalibus celebrarēt, hoc in cauſa fuit cur Cōſtātinopolim Legatos ſuos minimè miſerit; & quāuis Epiſcopi orientales Romā venire poſteà detrectarint, nec Eccleſias ſuas tam longo tempore relinquere voluerint propter grauiſſimas tempeſtates ab Arianis vbique per orientem excitatas, animis tamen & ſententiis vtrique tam inter ſe concordes fuerunt, quàm

Omnibus conciliis generalibus præfuit ſummus Pontifex.

erant à se inuicem locorum spatiis disiuncti, adeo vt plenarium & œcumenicum fuerit eorum concilium. Quòd autem Romanus Pontifex si ad illud venisset, ei sine dubio præfuisset: vel ex hoc solo apertissimè patet, quòd ipsum concilium ad Damasum scribens, Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarũ vocet, se autem illius capitis membrum: ipséque Damasus vice versâ eos sic congregatos filios suos appellet: ideoque & si Damasus actu huic Constantinopolitano concilio non præfuerit, potestate tamẽ certum est præfuisse, præsertim cùm illud posteà confirmauerit, suæque authoritatis pondere œcumenicum reddiderit; & quod amplius est, illud cõuocauerit, ex Theodoreto cap. 8. lib. 5. Concilio Ephesino Cyrillus Alexandrinus Celestini Pontificis legatus præfuit, ex Prospero in Chron: Euagrio lib. 1. cap. 4. & act. 3. & 4. Concilij Calcedon. vbi Patres congregati loquendo de Damaso eum dominum suum & vniuersalis Ecclesiæ Pontificem appellarunt: & denique ex actis huius Ephesini Concilij. Concilio Calcedonẽsi Paschasius & Iulianus cum Bonifacio presbytero tanquã Leonis Papæ legati præfuerunt, & ante omnes Patriarchas & Episcopos sederunt; & si vnus eorum presbyter esset, primique in Dioscorum sententiam tulerunt, eique subscripserũt. ex act. eiusd. conc. epist. Leonis ad Martianum 49 & 50. & ad ipsum conciliũ epist. 47. Nec refert quod huic concilio Martianus Imp. interfuerit, siquidem ipse orat. synodica palam & publicè professus est se non ad ostendendam potentiam, sed ad cõfirmandam fidem exemplo Constãtini religiosi principis concilio interesse. vnde vt Cõstantinus Nicæno

Concilio ephesino præfuit Celestinus Papa.

Concilio Calcedonensi non præfuit Martianus.

con-

concilio non præfuit: ita nec Martianus Calcedonẽsi. quòd autem iudices ab eo selecti post eius discessum in concilio remanserint, id tantùm factum est vt omnia tutò & pacificè tractarentur, nec ab vllo fautore Dioscori, patres concilij turbarentur & retardarẽtur. Concilio Constantinopolitano 2. in Trullo præfuit non Menas Patriarcha; concilium enim à Mena celebratum fuit particulare, non œcumenicum: sed Eutichius Menæ successor, qui tamen ad Romanũ Pontificem præsidentiã pertinere palam & ingenuè professus est, si cõcilio interesse vellet, ex epist. ipsius Eutichij ad Vigilium Papam, quæ in fine primæ collationis huius synodi extat. *Petimus* (inquit) *præsidente nobis vestra beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri:* quod etiam testatur Zonaras in vita Iustiniani, *Sub hoc* (inquit) *quintum concilium est coactum centum sexaginta Episcoporum, quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus qui tunc Constantinopoli agebat:* Et quamuis Vigilius concilio interesse noluerit, nec vllum suo nomine ad illud deputauerit, licèt ad eum multæ tum à cõcilio, tum ab Imperatore legationes in hunc finem instructæ fuissent: quia tamen posteà Sedis Apostolicæ, necnon ipsius Vigilij assensu confirmatum est & roboratum, in catalogo œcumenicorum concilium recensetur. Concilio Constantinopolitano 3° & 6° generali præfuerunt legati Agathonis Papæ Petrus & Georgius presbyteri cum Ioanne diacono, vt refert Zonaras in vita Constantini 4. illudque ex singulis huiusce cõcilij actionibus, in quibus primi omnium nominantur, leguntur, & subscribunt, euidentissimè constat. Septimo concilio Nicææ habito

Adrianus Papa per legatos Petrum Archipresbyterum,& Petrum sancti Sabæ Abbatem præfuit, quippe qui primi omnium nominantur, & actionibus synodi subscribunt: quod idem in cæteris aliis conciliis semper fuit obseruatum, vt acta eorum fidem faciunt.

Quo sensu Imperatores dicũtur præfuisse conciliis.

Secunda conclusio, qua omnes Vigorij argutiolæ eluduntur,& concidunt;Imperatores quodammodo dici possunt conciliis pæfuisse,ad Episcoporum nempe multitudinem in pace continendam, & vt omnia cum debito ordine, absque vllo tumultu peragerentur, non tamen ad ea quæ sunt merè Ecclesiastica & spiritalia, qualia sunt fidei morumque decreta : quod disertè act. 5. Calcedonensis cõcilij asseritur;cùm enim in responsione ad Leonem Papam dixissent patres, illum tanquam caput membris,per legatos suos concilio præfuisse,subiunxerunt illico, *Imperatores verò ad ornãdum decentissimè præsidebant: sicut Zorobabel, & Iesus, Hierusalem renouare circa dogmata annitentes.* vnde sicut hi in templi ædificatione aduersariorum impetus sua vigilantia reprimebant,& vt omnia decenti ordine fierent,sua prudentia curabant: sic Imperatores in spiritali Hierusalem, scilicèt Ecclesia per concilium œcumenicum renouanda similem præstabant operam; sic enim Constãtinus Magnus Nicæno concilio præfuit, vt patet oratione ad Episcopos habita, qua eis modum & formam procedendi præscribit. quod autem pro Ecclesiasticis negotiis, nunquam concilio præfuerint Imperatores, præter ea quæ iam attulimus, constat ex ipsomet Constantino, qui acceptis libellis supplicibus Episcoporum quorundam accu-

sationes continentibus, de illis iudicium ferre noluit, vnde Ambrosius epistola 32. *Nullas* (inquit) *leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Et hinc est quòd humilem sedem in concilio elegerit, in qua priùs sedere noluit, quàm Episcopi annuissent. Ex Eusebio lib. 3. cap. 10. huius summissionis oculato teste. De Theodosio verò scribit Ambrosius eum in concilio Aquileensi noluisse iniuriam facere Sacerdotibus (rebus Ecclesiasticis nimirum se immiscendo) sed ipsos interpretes constituisse, id est, libertatem ferendi leges pro Ecclesiastica disciplina illis reliquisse. Quod ad Theodosium II. misit quidem ad concilium Ephesinum Candidianum comitem, vt præsentiam suam suppleret, sed cum mandato, vt in nullo de piis dogmatibus communicaret, sed ea iudicio, & sententiæ Episcoporum relinqueret; licèt alioquin idem Imperator à Dioscoro eiusque fautoribus deceptus, multa aduersus Cyrillum Celestini Papæ legatum molitus fuerit, in quo grauiter peccauit, & horrendo schismati causam dedit: cuius rei postea eum vehementer pœnituit concilio Calcedonensi eo modo quem in conclusione diximus, præfuit Martianus, ille enim professus est se velle in omnibus Constantinum imitari: quare iudices ad concilium in eum duntaxat finé delegauit, vt quod à patribus decerneretur curarent statim executioni mandari, sic enim in fine act. 2. loquuntur, *quæ inter locuta sunt effectui mancipetur* act. 4. *Interlocutio quæ præcessit tradatur effectui.* paulò post: *Quod placuit reuerẽdo cõcilio ipsum nos doceat.* & ibid. agnoscunt Dioscorum à concilio ignorante Impera-

Sozomenus lib. 2. cap. 16. & Greg. in registro lib. 4. epist. 5.

Ex actis huius cõcilij tom. 1. conciliorum.

tore damnatum fuisse: & cum de reliquis Ægyptiis Episcopis Dioscoro adhærentibus sententiam ipsi iudices rogarent, sic dixerunt: *Rogamus vestram reuerentiam docere quid de iis placuerit.* moxque dicente sentētiam Paschasio Leonis Pontificis legato concludunt: *Sanctissimi Paschasij firmū sit iudicium.* Et sic act. 8. Theodoreto in cōmunionem Ecclesiæ à patribus recepto concluserunt, iuxta decretum sancti concilij. *Theodoretus Cyri Episcopus Ecclesiam suam recipiat.* & denique act. 10. in causa Ibæ Episc.: *Quæ iudicata sunt* (inquiūt) *à concilio de Iba propriam fortitudinem retinebunt.* In quibus enarrandis si paulò fuerim prolixior, sibi id attribuat Vigorius, qui passim Martianum per iudices à se delegatos concilio Calcedonensi præfuisse mentitur, vt omnem Ecclesiæ authoritatem perniciosa quadam adulatione, Regum & Principum arbitrio potestatique subiiciat.

Vtrum ad validitatem conciliorum Pontificis confirmatio sit necessaria.

QVÆSTIO V.

VIGORIVS 7. cap. art. 9. pag. 71. affirmat Pontificem consensisse quidem nonnullis conciliis, sed non ea confirmasse. Ex quo colligit ad conciliorum validitatem talem confirmationem minimè requiri. & cap. 14. art. 6. cōtendit ne quidem cōsensum illius esse iis necessariū, in quo etsi cum nōnullis Parisiensibus sentiat, qua parte dicit concilia generalia hac cōfirmatione non indigere; ab eorum

tamen castris longè discedit, quatenus idem de conciliis prouincialibus & particularibus sentit, vt vim authoritatémque definiendi obtineant. De vtrisque conciliis disputatio instituitur, & quidem in primis constans est Catholicorum dogma, esse Pontificis, nō alterius, siue Patriarchæ, siue Imperatoris concilia cō-firmare & corroborare. primùm ex dignitate capitis, cuius est vitam, actionem & motū reliquis membris impertiri. hanc autem dignitatem in Pontifice Romano esse suprà abundè docuimus. Secundò, quòd Christus Petro dixerit, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* At quæ Petro ratione muneris pastoralis conueniunt, ad successores transiisse nullus dubitat. Igitur Pontificis est confirmare Episcopos suos fratres, siue in vnum coactos, siue ab inuicem disiunctos, cùm verba Christi generalia sint, & tunc cùm ea Christus protulit Apostoli simul essent. Tertiò ex his quæ scripsit Richerius hæc Pontificis confirmatio maximè infertur: ait enim Petrum Christi præceptum de fratribus confirmandis executioni mandasse, cùm in die resurrectionis Apostolos de hoc mysterio dubitantes, & præ cordis duritia Christi promissis fidem non adhibentes confirmauerit, & ab incredulitate reuocauerit: atqui tunc Apostoli erant in vnum coacti: ergo non solùm est Pontificis fratres toto orbe diffusos confirmare, sed etiam inter se collectos adeoq; ipsa cōcilia, quæ ab Episcopis prout in vnum conueniunt, minime distinguntur. Quartò illud idē constat ex perpetua Ecclesię praxi, qua nihil vnquam de fide aut moribus absque Romani Pōtificis authoritate & consensu decretorum legimus: si modò hoc

Est Pontificis nō Imperatoris cō-firmare concilia.

decretũ vniuersis fidelibus obligationẽ induceret, ex Socrate. *Canon Ecclesiasticus iubet, ne absque sententia Romani Pontificis decreta vlla Ecclesiis sanciantur.* Vel vt habet Epiphanius scholasticus lib. 4. historię tripartitę cap. 9. *Concilia celebrentur,* ex nouell. 131 Iustiniani: *Nulla vnquã synodus rata legitur quæ ab Apostolica beati Petri sede non fuerit fulta.* Quid enim aliud vult conciliũ Calcedonense act. 1. cũ Dioscorũ Alexandrinũ Patriarchã ideo condemnauit, quòd absque sedis Apostolica authoritate synodum ausus esset facere quod nunquã rite factum est, nec fieri licuit: atqui synodũ facere non tantũ est eam indicere & cõuocare, sed multo magis decreta obligatoria cõdere & confirmare. *Hoc autẽ* (inquit conciliũ) *nunquã inconsulto Pontifice Romano rite factũ est.* Et actione 10ª apertè scribitur legatos Apostol. solere sẽper in synodis priùs loqui, & cõfirmare quæ facta sunt. hinc est quòd Primates aut Archiepiscopi in prouincialibus synodis, præsertim vbi de fide agebatur, Romani Põtificis confirmationem semper exoptarint, rati non aliter sua decreta robur habere posse: & ne in re trita & peruulgata nimiũ hæreamus, erit nobis concilium Carthaginense Augustini præsentia decoratũ, instar omnium; cuius acta ad Innocentium Pontificem confirmationis ergo relata sunt, ex August. epist. 92. *Vt statutis* (inquiunt) *nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas:* quorum literis respondens Innocẽtius inter cætera ait, *Patres olim non humana, sed diuina decreuẽre sententia, vt quicquid in disiunctis remotisque prouinciis ageretur, non priùs ducerẽt definiendũ, quàm ad illius Sedis notitiã perueniret, vbi tota eius authoritate iuxta quæ fuerit pronũ-*

tiatio firmaretur. apud August. epist. 93. quinimo cùm iam multa essent contra Pelagianos habita concilia, multæque in variis locis aduersus eos latæ sententiæ, eorum tamen hæresis inter Christianos non priùs reiecta est, quàm Summi Pontificis sententiâ eam condemnantis intercesserit, qua per Ecclesiã promulgata nemo ampliùs Pelagianis fauere est ausus. *Per Papæ rescriptũ* (inquit August. serm. 2. de verbis Apost.) *causa Pelagianorum finita est, totóque orbe post eius damnationẽ damnati sunt.* & epist. 94 scribit eos à concilio Carthaginensi & concilio Numidiæ damnatos, nondum tamen euidenter ab Ecclesia separatos fuisse, sed posteà manifestissimo Sedis Apostolicę iudicio dãnatos repétè conticuisse; ideò ex lib. 2. cap. 3. cõtra duas epistolas Pelagianorum *litteris Innocentij tota de hac re dubitatio sublata est.* Et hæc de conciliis prouincialibus aut nationalibus. Iam verò de cõciliis œcumenicis idẽ patet; Quæ enim Romani Pontificis confirmatione caruerunt, nullius vnquam authoritatis aut roboris in Ecclesia extiterunt, vt Ariminense conciliũ 600 Episcoporũ, synodus Iconomachorũ sub Constantino Copronymo; & quod efficacissimũ est, cùm in Calcedon. concilio generali proximè post Romanum Pontificẽ Patriarcha Constantinopolitanus intercedẽte Imperatoris desiderio & voluntate nominatus ac recẽsitus fuisset; nunquã tamẽ locũ hunc potuit obtinere propter Romanos Pontifices fortiter in contrariũ reclamãtes, donec ducẽtis annis posteà nouo quodã decreto in cõcilio Cõstãtinop. in Trul. 6. generali istud speciali Romanor. Pontificũ priuilegio cõcessũ & cõfirmatũ fuisset, Gratian. dist. 22. c. *renouãtes.* quib⁹ accedit

continua Ecclesiæ praxis, qua hactenus omnia & singula generalia concilia Pontificis calculo approbata, & confirmata fuerunt; & quia Vigorius recentiorib. duntaxat seculis hanc confirmationem in vsu fuisse ait; operæpratium est, hoc loco docere illam Papæ confirmationem antiquioribus seculis, à cõciliorum veterum patribus expetitam fuisse, qui concilia nullius esse in Ecclesia roboris crediderunt, si Papæ calculo & confirmatione non essent communita: & quidem inprimis constat de Synodo Nicæna, vbi Episcopi ad Syluestrum sic scribunt, *Quicquid constituimus in Nicæno concilio precamur vestri oris consortio confirmetur*, tom. 1. concil. Sed instat Vigorius epistolam hanc synodicam confictam esse, & quamuis conficta non esset, non fuisse tamen concilij, sed legatorum Syluestri. Verùm fallitur, nam in actis concilij Niceni ab Alphonso Pisano editis, hæc epistola, cum die & consule tanquam à tota synodo ad Siluestrum missa refertur: cui mox respondit se nempe quicquid in Nicæno concilio circa Trinitatis mysterium & doctrinam Euangelicam actum erat, à Patribus confirmare. Quòd autem dicat Vigorius Macharium, cuius in epistola fit mentio, non potuisse appellari Constantinopolitanum, cùm nondum extaret Constantinopolis, neque enim tunc adhuc sedem eò transtulerat Constantinus. Respondemus in hoc esse mendum, & loco Constantinopolitanũ, ponendum esse Hierosolymitanum, cùm hic Macharius Hierosolymorum antistes esset. In secunda synodo Constantinopoli habita Patres sic ad Damasum scribunt, ex Theodoreto lib. 15. hist. cap. 9. *His omnibus tanquam legitimè*

Singula generalia concilia à S. Pontifice confirmata fuerunt.

legitimè secundùm Ecclesiæ canones constitutis, obsecramus vestram sanctitatem vt consentiat. De synodo autē Ephesina quæ est tertia generalis ita loquitur Cyrillus epist 29. *Celestinus Papa scripsit consona synodo, & omnia illius gesta confirmauit.* De Calcedonensi verò 4 generali sic act.3 ad Leonem Papam scribunt Patres: *Rogamus vt tuis decretis nostrum honores iudicium & firmitas tua filiis quod decet adimpleat.* Obiicit Vigorius confirmationē hanc act.3. expetitam fuisse, vnde si ad cōcilij eiusque actionum validitatem confirmatio Pontificis sit necessaria, consequens erit tres tantùm huius concilij actiones fore validas, reliquas verò numero tredecim vt pote minimè confirmatas, nullius roboris. Respōdeo concilium Calcedonense tantùm fuisse confirmatum & receptum quoad ea quæ de Incarnatione contra Eutychem decreta sunt, nō autem quoad priuilegium Patriarchatus Constantinopolitani, cui fortiter Leo cum suis successoribus reclamauit: neque mirum est si pro omnibus eius actionibus non fuerit confirmatio concessa, cùm tantùm regulæ fidei à Leone fuerint confirmatæ; siquidem cùm Martianus Imp. cuius studio & operâ concilium hoc Calcedonense conuenerat à Leone Pontifice cōfirmationem actorum illius expetiisset, ita respondit Leo epist.69. *Imperator ad omnes Episcopos Calcedonensis concilij me scripta dirigere voluit, quibus quæ illic sunt definita de regula fidei, firmarem; hoc libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio meam sententiam haberet incertam.* Hæc de primis generalibus conciliis Pontificis calculo confirmatis; In cæterorum confirmatione nolumus immorari: satis enim ex demonstrata antiquorum confir-

matione confutatus manet Vigorius, eiusque calumnia & impostura clarè innotescit. Quòd autem munus confirmandi nusquam Imperatoribus conuenerit, æquè facilè ostenditur. quæ enim ipsi propria authoritate, & inconsulto vel inuito Pontifice confirmare conati sunt, ea nullius vnquam roboris in Ecclesia fuerunt, vt constat ex Ephesina synodo vulgò prædatoria, quam Theodosius II. Imperator totis viribus confirmare studuit: hæc tamen per concilium Calcedonense abrogata est, & Flauianus Patriarcha damnatus, & per tumultum lethaliter Ephesi vulneratus post mortem est absolutus, & in sanctorũ martyrum album 630 Patrum calculo (tot enim Calcedonem conuenerant) relatus. Similiq. modo multa Iconomachorum concilia à Leone Isaurico, Cõstantino Copronymo, & aliis Iconoclastis Imperatoribus confirmata in Ecclesia perpetuò explosa & reiecta fuerũt. Dices in concilio Calcedonensi haberi. *Diuæ memoriæ Theodosius Imperator confirmauit omnia quæ iudicata sunt à sancta synodo generali.* & Martianus Imper. act. 3. eiusdem concilij ita scribit: *Sacro nostræ serenitatis edicto, venerandam synodum confirmamus.* Respondeo Imperatores potestate facti & authoritate executionis decreta conciliorum cõfirmare, quatenus scilicet quod à conciliis præscribitur, executioni mandari iubent, coguntque; & in contumaces atque inobediẽtes edictis suis animaduertunt: sed hoc potiùs est coërcitio quàm vera & propria confirmatio quâ iuridicè quid credendum vel agendum secundùm leges Euangelicas & Ecclesiasticas fidelibus proponitur; quod ab Imperatorib9 minimè præstatur, sed tãtùm à Roma-

Munus cõfirmandi concilia nunquam eluxit in Imperatoribus.

nis Pontificibus. Vrget Vigorius multa extare concilia contra Romanorum Pontificum voluntatem & ſententiam coacta & celebrata: quorum tamen decreta vbique per Eccleſiam recepta ſunt: vt concilium Aphricanum de quo Cyprian. epiſt. 4. contra Stephanum Papam, qui Baſilidem & Martialem excommunicatos ab aliquo Epiſcoporum concilio in communionem recipiendos eſſe volebat: cuius concilij decreto tota acquieuit Eccleſia, & in aliis ſequentibus conciliis decretum eſt, ne excommunicati ab vno Epiſcopo, ab aliis Epiſcopis reciperentur: ergo confirmatio Pontificis ad validitatem conciliorum nullo planè modo requiritur. Reſpondeo nos dũtaxat velle confirmationem Pontificis, decretis fidei & morum eſſe neceſſariam, vt fidelibus obligationem inducant. Cum enim Eccleſiæ ſtatus ſit prorſus Monarchicus, omnis obligatio reſpectu fidelium totius orbis, ab vno ſupremo moderatore & non à pluribus debet deriuari: Verùm quia in cõciliis & in curia Romana præſidente Pontifice quorundam facta examinantur, diſcutiuntur, & definiuntur, his definitionibus error nonnumquã poteſt obrepere, ideoque nemini mirum videri debet ſi nõnunquam iudicia hæc facti à Pontifice vel etiam à concilio generali definita repudientur, & aduerſus ea aliquid decernatur: vnde ſi quæ cõcilia particularia vel generalia cõtra ſẽtẽtiã Põtificis fuerint celebrata, neq; eius cõfirmationẽ vllomodo expetierĩt cauſa fuit, quia in iis de quęſtionibus facti, in quibus error Põtifici obrepſerat, nõ iuris agebatur. hoc autẽ in cõcilio Aphricano quod obiicit Vigorius, cõtigit; ſciendũ enĩ eſt Baſilidẽ Epiſcopũ

Qua de cauſa decreta Põtificum interdum fuerint exploſa.

legionésē & Martialē Asturicensē in sæua Diocletiani persecutione lapsos, à concilio Aphricano postulantibus Hispaniæ Episcopis legitimè fuisse dānatos, & Episcopatu priuatos: cùm autem hanc concilij sententiā iniquo animo ferrent, ad Stephanū Pōtificē prouocarūt, & ea de causa Romā profecti sunt conquerentes se iniustè fuisse exauctoratos, & Episcopali sua dignitate priuatos. Quare libellū supplicē mille mēdaciis refertum, vt honori pristino restituerentur, Stephano Papæ obtulerūt: veriti autē Hispaniæ Episcopi, ne fortè à Stephano audirentur, sedíque suæ restituerentur, Sabinus & Felix in locum Basilidis & Martialis suffecti, Romam nauigârunt, vt eorum mēdacia retegerent, & iustam eorum exauthorationem Stephano declararent. Quid autem à Stephano Romæ actum sit, incertum est, cùm nihil ea de re vel apud Cyprianum, vel apud probatum aliquem authorem reperiatur. Hinc meritò reprehenditur Vigorius, qui sine teste & authore audacter asseruit Stephanum eos in communionem recepisse, dignitatíque restituisse, eiusque sententiam propterea á concilio Aphricano reiectam & explosam fuisse. neque enim constat an Stephanus causam hanc definiuerit & terminauerit, & an Felix & Sabinus aliis restitutis dignitate sua spoliauerit; & quamuis id manifestè cōstaret, errori tamē facti tribuendū esset. Credebat enim Stephanus falsâ relatione deceptus, Basilidē & Martialē in persecutione constāter se gessisse, nec criminū quorū conuicti erant, reos esse; vnde si conciliū Aphricanū, Stephani sententiæ non acquieuerit, nullum propterea authoritati Sedis Apostolicæ

probrũ nullaq; iniuria infertur, cùm patres huius concilij apprimè scirẽt Põtifici multa falsa fuisse renũtiata, remque totã mendaciis, & imposturis fuisse implicitam: Aliàs enim sancti illi Episcopi, de quorum numero erat Cyprianus, sententiam Stephani minimè reiecissent, cùm non ignorarent summum Pontificem pro suæ potestatis plenitudine, posse lapsos pristinis honoribus pœnitentia peracta, restituere: siquidem inhabilitates, irregularitates, & censuræ omnes, quibus quis ab ordine & officio clericali arcetur, potestatem Pontificiam, non excedunt, vt cotidie videmus obseruari.

Rursus obiicit, si quod in nonnullis veterum conciliorum confirmationis Pontificiæ vestigium reperire sit, non tamen est vera & propria confirmatio, sed tantùm accessus Pontificis ad sententiam ipsorum conciliorum; multùm autem inter se distant accedere sententiæ conciliorum, & ea sua authoritate munire & corroborare, ex posteriori enim vim suam accipit concilium, ex priori verò non item. Concilium Sardicense petiit per epistolam ab Episcopis Aphricanis, vt sententiæ concilij accederent, at hoc non erat petere, vt eius decreta confirmarent, alioqui diceremus ius cõfirmationis ad Episcopos Aphricanos pertinere. Respondeo primò, falsum esse concilia duntaxat à Pontifice expetiisse consensum, seu accessum eorum sententiæ, non confirmationem & approbationem eorum quæ gesserant, aut decreuerant, vt ex variis locis suprà allatis constat. Deinde esto consensum illius tantùm postulasent, hic tamẽ cõsensus erat approbatio quædam tacita, expressæ confirmationi

Non tantùm est experitus consensus Pontificis pro conciliis, sed confirmatio etiam expetita.

respondens, erat enim consensus illius, cui ex officio incumbit per se vel per legatos cõciliis præesse. Quòd si nullam decretis firmitatem attulisset, quorsum tãto ardore & diligentia eum expetiissent? cur ad alium Patriarcham, aut Episcopum eius obtinendi gratia, non confugissent, & cur simul atq; calculo Romano, & Põtificio eorum decreta munita essent statim rata & firma, & ab omnibus inconcussa fide tenenda iudicâssent? atq; in contrariũ sentientes, aut agẽtes seuerè animaduertendum esse censuissent? certè Sole clarius est cõsensum hunc Romani Põtificis à patribus conciliorum semper expetitum, veram & propriam fuisse cõfirmationem, suumq; robur illorum decretis attulisse. Huc pertinent quæ suprà de cõciliorum conuocatione pluribus disseruimus. Quòd autem cõcilium Sardicense consensum Aphricanorum Episcoporum postulauerit, non ideò sequitur illorum consensum, authoritatem Sardicensibus decretis dedisse: quia in bonum Aphricanæ Ecclesiæ eum expetierũt, & ne in materia religionis atq; disciplinę Ecclesiasticæ Prælati inter se dissentirent, sed omnes quoad fieri posset, magno totius Ecclesiæ bono consentirent, optant quidem Pontifices, vt in Gallia Tridentinum concilium recipiatur; nemo tamen dicet ideo Pontifices hanc receptionem vrgere, quòd Gallia vim & authoritatem decretis illius concilij tribuat; hoc enim exoptant Pontifices in bonũ Gallorum, vt in Gallia magis floreat Ecclesiastica disciplina, variisque defectibus quibus illustrior hæc gregis Christiani pars labefactatur, promptiùs & faciliùs occurratur.

Utrùm concilia generalia, à Pontifice Romano non confirmata, sint infallibilia.

QVÆSTIO VI.

NVSQVAM à Catholicis in dubium vocatum est, quin concilia œcumenica calculo Pontificis munita & approbata, priuilegio infallibilitatis gaudeant, vt contra seculi nostri nouatores disertè docent Doctores Polemici, qui scilicèt controuersias pertractarunt, & in hoc Christiano bello calamos in hæreses distrinxerunt: sed dubium est an sua generalitate ita fulciantur & corroborentur concilia, vt licèt desit confirmatio Pontificis, non desinant tamen esse rata, firma, & infallibilia. Vt faciliùs excurrat disputatio, sciendum est Romanum Pontificem rarò per se ipsum præesse conciliis, frequentissimè verò per legatos. Cùm enim cōcilia generalia sua præsentia interdum cohonestent Imperatores, ne discordia de sedibus inter Pontificem, & Imperatorem oriatur, mauult Pōtifex per legatos potius quàm per seipsum illis præsidere: quamuis enim vtcunque tolerabile sit Imperatorem ante legatos sedere, esset tamen prorsus intolerabile eum ante summum Pontificem Christi Vicarium, vniuersalis Ecclesiæ caput, & ordinarium conciliorum præsidem sedere. Secundò, Pontificem duplici modo legatos ad concilium generale mittere. Vel enim eos cum instructione præuia, de eo quod est in concilio definiendum mittit, vt in conciliis 4. 6. & 7. generalibus, vbi id fa-

Pontifex raro per se præest conciliis frequentissimè per legatos.

cilè factu fuit, quia in his synodis de vnica solùm quæstione tractabatur; aliquando verò absque vlla instructione propter varias & multiplices quæstiones à patribus discutiendas: neque enim tunc Pontifici in promptu est suam instructionem legatis tradere, vt nuper in concilio Tridentino, in quo variæ contra hæreticos quæstiones erant agitandæ, factum fuit, & hæc causa est, cur cùm aliquid in eo concilio esset definiendum, de eo priùs certior Pontifex à legatis fieret, vt ab eo instruerentur, ne quid necessarium ad ritè definiendum omitterent. Tertiò, definitiones concilij generalis quatuor diuersis modis spectari posse. Primò, ita vt patres aliquid definiãt legatis dissentientibus. Secundò, ita vt legati ipsi definitionibus consentiant. Tertiò, consentientibus legatis, sed certam à Pontifice instructionem non habentibus. Quartò, consentientibus legatis & patribus, neque ab instructione Pontificia vel minimùm deflectentibus. Quartò, aliud esse gaudere infallibilitate, aliud posse ad credendum quoslibet fideles positiuè adstringere: etsi enim in summo Pontifice illa duo coniuncta reluceant, in aliis tamen priùs absque posteriori stare potest: sic ex hypothesi quidam à Deo specialiter illuminantur, & de omnibus ad salutem necessariis interiùs à Spiritu Sancto edocentur, quales multos fuisse constat in primitiua Ecclesia: & quibus propterea dicebat Ioannes: *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, vnctio enim spiritus docet vos de omnibus.* Neq; verò repugnat extare etiamnum aliquos qui sic à Spiritu Sancto edoceãtur, qui licèt infallibilitatis donum habeãt, alios tamen ad sentẽtiam suam

Legati duplici modo mitti possunt ad concilia.

sequen-

ſequendam , aut ad quæcũque ipſi credunt, credenda nequeũt obligare. His ergo duob. probè diſtinctis, ſit Prima concluſio. Definitiones veterum conciliorum quæ neque ſunt approbatæ, nec confirmatæ, magnæ ſemper in Eccleſia authoritatis fuerunt, propter multitudinem Prælatorum & doctorum qui conciliis intereſſe ſolent; multitudo enim ſapientum, ſanitas eſt orbis terrarum. Sap. 6. Etenim ſi conſenſus Patrum, qni nunquam ſimul in locum aliquem conuenerunt, nec aliquam fidei quæſtionem ſimul diſcuſſerunt; tãti à Chriſtianis æſtimetur vt ei reſiſtere & refragari nolint: multo magis cum omnes totius orbis prælati, vnà cum eximiis doctoribus in concilio, prę uia conſultatione & diſcuſſione, inuocatoq; diuino Numine quæſtionem aliquam definient, ipſis fides aliqua adhibebitur, eorũq; definitiones magni erũt roboris & authoritatis: tales ſunt ex multorum opinione cõcilij Arauſicani canones; & ſi enim concilium hoc œcumenicum non fuerit, quia tamen in Eccleſia nunquã fuit reprobatũ, ſicut nec reprobati eius canones fidelibus magnæ ſunt venerationi: ſicut & definitio cõcilij Baſileenſis (quicquid ſit de illius validitate & generalitate), de immaculata beatæ virginis Cõceptione, quæ quãuis de fide nõ ſit, nihilominus propter multitudinẽ patrũ & doctorũ qui ad eam decernẽdam cõuenerũt, plurimũ ęſtimatur. an autẽ illæ definitiones ſint infallibiles, habeantque vim fidei, infrà dicetur.

Definitiones veterum conciliorum non approbatæ nec receptæ magni æſtimantur.

Secũda cõcluſio. decreta conciliorũ generalium quę à patribus & legatis inſtructionẽ Põtificis adamuſſim ſequentibus fiunt, etiam ſi ea Pontifex nondum confirmauerit, ſunt infallibilis veritatis, tunc enim cõ-

Decreta conciliorum legatis ſequẽtibus inſtructionem Pontificis, sũt infallibilia.

lium cum ſuo capite in vnum & idem conſpirat & conſentit: & ex conſequenti tota Eccleſia, quę in hoc concilio tam in capite quàm in membris perfectiſſimè repræſentatur: hoc in concilio Calcedonenſi viſum eſt, actione 3, 6, & 7. in quibus Patres instructionem Leonis Papæ ſibi per legatos fideliter expoſitã ſunt ſecuti. Obiicies, inſtructionẽ hanc non eſſe ſententiam definitiuam, ſed potiùs propoſitionem eius, quod meliùs & tutius in fide Pontifici videtur, cui propoſitioni falſum ſubeſſe poteſt, cùm à Pontifice vt doctore, non vt Paſtore totius Eccleſiæ prodeat. Reſpondeo, quidquid ſit de hac Pontificis inſtructione, prout ab ipſo ſolo proficiſcitur, an rationem definitionis, an verò ſimplicis propoſitionis habeat, (de quo nolumus impræſentiarum diſſerere) falſum tamẽ ei nõ poteſt obrepere, cùm in eam Patres omnes cum legatis feruntur, tunc enim tranſit in rem iudicatam, quam non ſolùm fideles tenentur amplecti, ſed etiam ipſemet Pontifex, itaut eam ampliùs reuocare non poſſit, ſiquidem cum ea conditione legatos ſuos ad concilium emittit, vt ſi ſuo iudicio concilium conſentiat, formetur decretum; ſin minùs differatur, donec quid ſibi videatur reſponderit: & in hac concluſione nulla eſt difficultas. Controuerſia ſolùm eſt, an quando Summus Pontifex legatos abſque præuia inſtructione ad concilium mittit, & vnanimiter patres & legati in aliquod decretum conſentiũt, illud infallibile cenſeri debeat, nulluſque in cõtrariũ, citra fidei diſpendiũ abire poſſit. Sit igitur

Tertia concluſio. Decreta conciliorum generaliũ vnanimi Patrũ & legatorũ cõſenſu edita, ſunt infalli-

bilia, etiã ante Põtificis confirmationẽ, quamuis ipse nullam huius decreti instructionem legatis dederit: quæ conclusio non ita certa est ac præcedens, cùm à multis, iísque non inferioris notæ doctoribus impugnetur; hanc tamen tuentur Anthonius Cordubensis lib. 4. quæst. 1. proposit. 9. Sotus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. & alij. Quæ vt intelligatur firmiúsque probetur, & verò ea nullus offendatur aut scandalum sumat, quasi contra supremam Pontificis authoritatem aliquid statuamus, supponimus primò concilium esse legitimum, vtpote à Pontifice indictũ & conuocatum, nec vllo modo reuocatum, item legitimè, & seruatis omnibus circunstantiis ad rectè definiendum necessariis procedere, scilicet cum matura & diligenti rei de qua agitur discussione, inuocato diuino Numine, sepositis humanis affectibus, & sola sibi proposita veritate. Secundò supponimus legatos à Pontifice in finem definiendi quæstiones propositas ad concilium missos esse, neque iis præcepisse vt eum ante definitionem consulant. Tertiò supponimus patres & legatos ita concordes esse & vnanimes, vt nullus definitioni refragetur; si enim maior pars decreto consentiret, minore repugnante, firmum & infallibile illud non iudicaretur, donec maiori parti confirmatio Pontificis accederet. His positis, facilè probatur conclusio; primùm enim tale concilium perfectissimè Ecclesiam vniuersalem repræsentat, legati Pontificem tanquam caput; Prælati, Ecclesias particulares toto orbe diffusas, tanquam huius capitis membra: Atqui Ecclesia vniuersalis est firmamentum & columna

Decreta conciliorũ legatis & patrib. consentiẽtibus, & si nullam dederit instructionẽ Pontifex, sunt infallibilia.

veritatis, contra quam portæ inferi nequeunt præualere: igitur nec contra tale concilium. Secundò hoc concilium dici non potest ἀκέφαλον ibi enim per legatos adest & præest, verũ & essentiale caput: at congregationi generali, & quæ capite suo non est orbata facienti quod in se est, vt eam in hoc casu facere supponimus, adest infallibiliter Spiritus Sanctus ex vi promissionis Christi. Matth. 16 & 23. Tertio si tota hæc congregatio errare, & falsum pro vero definire possit, poterit contingere vt vera & intemerata fides in solo summo Pontifice remaneat: at hoc dici non potest, sic enim sequeretur in solo summo Pontifice residere Ecclesiam, quæ non stat, nec stare potest absque fide. Hoc autem est impossibile, cùm Ecclesia per se & essentialiter sit congregatio quæ multitudinem cum vnitate necessariò postulat; nam quod aliqui dicunt tempore Passionis Christi fidem in sola beata Virgine mansisse, eamque tunc Ecclesiam in seipsâ conseruâsse, quod significatur per candelam quæ in Officio hebdomadæ sanctæ ceteris extinctis non extinguitur, vt habet Durandus in Rationali diuinorũ officiorum, & Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 31. hoc certè omni vacat probabilitate; siquidem in primis hæc candela ante quingentos annos solebat extingui, ex Ruperto lib. 5. de diuinis offic. cap. 26. Quòd autem nunc non extinguatur, vel est propter decentiam, ne officium diuinum absque igne peragatur: vel fortè significat in sola Virgine fidẽ explicitã resurrectionis mãsisse, cùm scilic. Apostoli & reliqui fideles implicitã dũtaxat huius mysterij fidem haberẽt, quòd tamẽ nõ impedit, quominus verã & integram fidẽ, in

In sola beata Virgine non remansit vera fides tempore Passionis Christi.

animo retinuerint: poteſt enim quis citra ſuæ fidei detrimentum alicui myſterio nondum ſufficienter propoſito & declarato explicitè non credere. Adde præter Virginem Deiparam fuiſſe fideliſſimas mulieres Magdalenam, Mariam Cleophæ, & Salomæ; cùm Ioſeph ab Arimathia, & nonnullis aliis qui fidem in Chriſtum, non obſtante Iudæorum perſecutione, toto Paſſionis & mortis triduo conſtanter retinuerunt. Ex quibus colligitur fieri non poſſe, vt conciliũ œcumenicum, totam Eccleſiam repræſentãs omni ex parte erret, & falſum pro vero definiat; ſic enim vel Eccleſia omninò excideret, vel contra naturam ſuam in ſolo ſummo Pontifice remaneret, quorum vtrumque eſt impoſſibile. Forte dices, in laïcis & Sacerdotibus Pontifici adhærentibus remanſuram, etiamſi omnes patres cum legatis Pontificis, ab ea ſepararentur. Reſpondeo, hoc inprimis eſſe admodum incertum; populus enim, & Clerus inferior ſuos Paſtores audit, illiſque adhæret & obſequitur: vnde ſi ſolum ſummum Pontificem diſſentientem videret, eum deſereret, vel certè in maximas anguſtias redigerentur, dubitarent enim cui in hoc caſu eſſet adhærẽdum. Accedit quod initio libri aduerſus Vigorium demõſtrauimus, concilium generale cum capite non tantùm Eccleſiam vniuerſam, ſecundùm integritatem membrorum repræſentare, ſed eſſe ipſammet Eccleſiã, ſecundùm authoritatem definiendi, legeſque condendi. Vnde ſi tale concilium errare contingeret, hic error toti Eccleſiæ non immeritò tribueretur. Quartò conſenſus Patrum vnanimis in doctrina fidei, tanquam inuictiſſimum arduerſus hæreticos argumentum aſſumi ſo-

let, dicente Scriptura, & monente, *Interroga patres tuos, & anunciabunt; maiores tuos, & dicent tibi:* quia vt præclarè docet August. 2. contra Iulianum, sub finem: Quod inuenerunt ipsi in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt: at in concilio de quo loquimur vnanimis est omnium Ecclesiæ patrum & legatorum Pontificis in definitioné, seu decretum fidei cõsensus: igitur illud decretum erit omninò infallibile. Quintò, contra suauem illam prouidentiam & curam qua Deus Ecclesiam gubernat, id pugnare videtur, vt vniuersis patribus legitimè congregatis, & quod in se est, pro quæstione fidei definienda facientibus desit, iisque permittat errorem qui in totam Ecclesiam redundaret, obrepere. Sextò: summus Pontifex legatos ad concilium mittit, cum potestate definiẽdi: at frustra est illa potestas quę ad actum reuocari non potest, aut quæ si reuocetur inanis sit & fallibilis: nisi præterea confirmatio eiusdem Pontificis accedat. Septimò, nullum tale concilium hactenus errâsse legitur; nam quòd aliqui dicunt concilium Ariminense sexcentorum Episcoporum & amplius Ephesinum 2. Constantinopolitanum, sub Constantino Copronimo, & Basileense authoritate Eugenij conuocatum, & præsentia legati Iuliani munitum errasse, facilis est responsio. Primùm enim Ariminense concilium, non à Liberio, sed ab Imperatore Constãtio indictũ fuit, & coactum, caruitq; libertate cõciliis necessaria; oẽs siquidẽ Prælati Arimini, tãquã in lato aliquo carcere detinebantur, & ab Imp. minis, terrorib. diraq; fame præmebantur, vt testãtur Atha-

Quare cõcilium Arimiñẽse errauit si verum sit illud errasse.

nasius epist. ad Aphricanos, & Ambros. ep. 32. ad Valentinianũ. Deinde constat illud propriè non errasse, nã ibi fides Nicęna probata est, & Arianorũ loquendi formula, quã filiũ patri per omnia similem asserebãt, improbata & reiecta, ipsiq; dãnati, & anathemate perculsi, post quorũ dãnationem synodo finis est impositus, sed multis postea mẽsibus Prælati violẽto, vt diximus, modo detẽti, & fraudibus Vrsatij, atq; Valentis illecti & decepti, decreto fidei adulterato ab Arianis subscripserunt: qua in re etsi grauiter deliquerint, dici tamẽ non potest conciliũ propriè errasse, cùm multis mensibus antea finitum esset, & absolutũ. Sed esto errauerit, vt omnes fere antiqui docent, legitimè tamen non erat coactum & congregatum, nec modo etiã, vt par erat, legitimo processit. vnde ex eo non sequitur cõciliũ legitimè coactũ, & legitimo modo procedẽs, de quo solo loquimur, errare posse. Idẽ est iudiciũ de Ephesino 2. tũ quia inprimis non legitimè processit, siquidẽ opera Theodosij Imp. Dioscor⁹ & Eutichiani hæretici in Ecclesię cõmunionem sunt recepti, & Flauianus Patriarcha dãnatus lethaliterq; vulneratus, tũ quia huius cõcilij decretis palã, & publicè Leonis Papæ legati reclamarũt, nec cum aliis patribus vel deceptis à Dioscoro, vel ab Imperatore perterritis consenserunt: conciliũ autẽ Constãtinopol. sub Constãtino Copronimo ideo errauit, & sacras imagines abolendas cẽsuit, quia ab ipso Imp. non à Põtifice indictũ, & congregatũ fuit, neq; ad illud suos legatos ipse Pontifex destinauit, & eo nomine in 7ª synodo Niceæ habita fuit reprobatum. Quod ad concilium Basileense, iam satis initio ostẽdimus nomẽ generalis cõcilij non

Conciliũ Ephesinũ 2. quare errauerit.

De concilio Cõstantinopolitano, & Basileẽsi.

mereri, tantumq; ratione cõuocationis à generali Pastore per vniuersum orbem indictæ, dici generale secundùm quid & impropriè. Adde non fuisse in eo consensionem omnium Prælatorum, sed maximam & horribilem dissensionem, vt tradit Æneas Syluius, rerum in eo gestarum oculatus testis: vnde etsi hoc concilium turpissimè errauerit, ex eo tamen contra legitima concilia legitimeq; procedentia, de quibus nostra est conclusio, idem concludere non licet.

Verùm, contra hanc conclusionem nonnulla solent obiici. Primùm, priuilegium infallibilitatis à Pontifice delegari non posse: Ideóque quantacunque potestate gaudeant eius legati, semper tamen priuilegio infallibilitatis destituentur, ac proinde & si cum aliis patribus in aliqua definitione conueniant, hæc tamen non erit infallibilis, donec ab ipso Pontifice confirmetur. Respondeo, concilium œcumenicum legitimè coactum, & legitimo modo procedens, non à Põtifice, sed à Spiritu Sancto sibi assistente infallibilitatem habere ex vi ordinationis, & promissionis Christi, qua promisit & statuit se spiritúmque suum Ecclesiæ iugiter affuturum, & portas inferi nunquam aduersus eam præualituras. præualerẽt autem, si concilij generalis definitionibus error posset obrepere: quia tota Ecclesia, tam in capite, quàm in membris per ipsum concilium repræsentatur. Secundò obiicitur, si ante Pontificis confirmationẽ concilium generale sit infallibile, duæ in Ecclesia futuræ sunt cathedræ prorsus infallibiles, Pontificis nempe, quem secunda parte absolutè infallibilem asseruimus; & ipsius concilij œcumenici. Hoc autem absurdum est,

Conciliũ œcumenicum legitimè coactum, & legitimo modo procedẽs habet à Spiritu Sancto assistente infallibilitatem.

&vni-

& vnitati Ecclesiæ repugnans, immò neutra cathedra dici posset suprema, non solum quia, vt communi prouerbio fertur; Qui consortem habet, Dominum habet. sed quia neutra alteram sibi subiectam haberet. Respondeo 1° hoc argumentum pugnare aduersus illos qui statuunt cõcilium œcumenicum, etiamsi seorsim à Pontifice sumatur, posse extremo iudicio controuersias fidei dirimere, & iudicare: nos verò hoc non dicimus, quia ex nostra conclusione adest Pontifex per legatos suos in finem definiendi, & cum tali potestate ad concilium missos, etsi de sententia sua eos minimè instruxerit: ideóque non sunt duæ cathedræ, sed vna tantùm, quæ ex Pontifice per legatos, & ex omnibus totius orbis patribus constat & coalescit. Secundò, non repugnat, nec est inconueniens dari duas supremas cathedras infallibilitatis: suprà enim ostendimus & Pontificem esse infallibilẽ, & Ecclesiam vniuersalem, quæ vt diffusa per orbem errare non potest: ita nec in concilio coacta, & per Prælatos suos perfectissimè repræsentata, quamuis repugnet dari duas supremas cathedras iurisdictionis; vnica est enim, vt mox ostendemus, in solo Pontifice subsistens. Tertiò, si concilium ante Pontificis confirmationem esset infallibile, ipse Pontifex sententiæ concilij consentire & stare teneretur, nec posset eam non confirmare, aut in contrarium abire; hoc autem statum Pontificis monarchicum penitùs destruit. Respondeo verum esse teneri Pontificem cõcilij generalis legitimè congregati, & procedentis tã in fide quàm in moribus sententiæ cõsentire & stare, vt ait Sotus loco cit°; non quasi sit inferior concilio,

Possũt esse duæ supremæ cathedræ infallibilitatis, sed non iurisdictionis.

eique tanquã superiori obediẽs, sed vt obediens veritati per Spiritũ Sanctũ certissimè reuelatæ, eodẽ modo quo vnusquisque doctoribus aliquid peccatum mortale iudicantibus assensum pręberé tenetur.

Quarta conclusio. Conciliũ œcumenicum ante Pontificis confirmationem solùm habet vim directiuam, non coactiuã, id est, ostendit quidem veritatẽ infallibiliter amplectendã, cui obsistere ac refragari nemini liceat, sed eam toti Ecclesiæ non potest iuridicè proponere, neque fideles ad exteriorem suæ definitionis professionẽ iure cõpellere, minúsque pœnis & censuris in eos qui cõtrariũ senserint, sæuire, adeo vt qui ab ipsis decretis nondum confirmatis dissentiret, & si erraret, non propterea tamen hæreticus & Ecclesiæ rebellis censeretur, nisi fortè Pontifex legatos mittendo facultatem publicandi definitiones concilij non expectata sua confirmatione specialiter & expressè concessisset. Ratio conclusionis manifesta est, quia cùm status Ecclesiæ sit monarchicus, non autem aristocraticus, aliunde coactio seu positiua fideliũ obligatio oriri non potest quàm à supremo moderatore, vt in regno non aliunde nascitur legum seruãdarum obligatio, quàm à Rege; & hæc causa est cur semper œcumenica concilia à summo Pontifice cõfirmationem expetierint, quia scilicet non ignorabant sua decreta nõ posse aliter per Ecclesiam legitimè promulgari, & fidelibus obligationem positiuã inducere, & contradicentes pœnis & cẽsuris castigare, cap. Significasti. de electione. *Omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatẽ & facta sunt, & robur acceperunt.* dist. 17. can. *Concilia.* vbi de prouincialibus cõciliis à Pontifice nõ

Conciliũ non confirmatum etsi sit infallibile, nõ potest iuridicè proponere Ecclesiæ suas definitiones.

confirmatis ſcribitur; *Quæ quia non habent præſentiam,* id eſt, confirmationẽ, *Pontificis valetudinẽ perdiderunt* Referri huc poſſunt quæ ſuperiori quæſt. pro hac confirmatione attulimus. Dices, Patres concilij non expectata Pontificis confirmatione, pœnã anathematis in contrariũ ſentientes ſolere decernere, vt in concilio Tridentino omnibus ferè ſeſſionibus eſt obſeruatum, multò antequam Pius IV. illud ſuo calculo cõprobâſſet. Reſpõdeo id facere Patres ſub ratihabitione (vt loquuntur) & confirmatione futura ipſius Põtificis, à quo certum eſt totam eorum iuriſdictionem dependere: vnde etſi tanquàm iudices in conciliis ſedeant & definiant, quia tamen ſtatus Eccleſiæ eſt monarchicus, eorum leges cum pœnis indictis nõ aliter quàm per ſupremum illius monarcham proponi, aut promulgari poſſunt, aut pœnæ in contrariũ ſentientes decerni. Inſtabis decreta à Patribus in concilio edita nomine ipſius concilij non Pontificis promulgari: ergo eorum vis & obligatio non à Pontifice, ſed à cõcilio prouenit. Reſpond. verum eſſe antecedens, quia etſi ſummus Põtifex ſit primus & præcipuus iudex totius concilij, alij tamen Epiſcopi cum ipſo iudicant & definiunt; quò fit vt nomine totius cõcilii ſoleant publicari. vnde Auguſt. lib 2. de Baptiſmo cont. Donatiſtas cap. 7. ſynodos vocat Epiſcoporum concilia: & act. 15. in concilio Hieroſolymit. quod cæterorum ſubſequentium norma eſt, reſcripſerunt Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, non ſoli Petro. & in Synodo Nicæna conclamarunt Patres, *Hæc eſt fides Patrum*, non Syluestri. Et nouiſſimè in Tridentina ſic incipiunt decreta: *Sancta ſyno-*

Epiſcopi iudices in conciliis.

dus in Spiritu Sancto legitimè congregata. ſed hoc nõ impedit quo minùs antequam nomine concilij publicẽtur ab ipſo ſummo Pontifice, ſi præſens per ſe concilio non fuerit, debeant confirmari, propter rationem ſtatus Eccleſiæ qui eſt eſſentialiter monarchicus: & hoc in regnis & monarchiis politicis apparet, vbi etſi decreta nomine comitiorum publicentur, à Rege tamen priùs approbantur & cõfirmantur. Ex hac ergo publicatione decretorum nomine concilij perperam colligit Vigorius, primò concilium ſolum eſſe infallibile: deinde eius eſſe, & non Pontificis, canones condere; vtrumque enim ſatis ſupérque anteà refutauimus. Et certè infallibilitas concilij œcumenici infallibilitatem Pontificis non deſtruit; ſicut nec econtrà infallibilitas Pontificis, concilij infallibilitatem non euertit, cum potiùs illa hanc ſtatuat, firmetque.

Vtrùm de fide ſit concilium eſſe ſupra Papam.

QVÆSTIO VII.

QVAM Vigorius quæſtionem nobiliſſimã prędicat, hanc ego odioſam & hoc tempore tot tamque portentoſis hæreſibus aduerſus Sedem Apoſtolicam ſæuientibus periculoſam affirmo; ideò ab ea penitùs abſtinuiſſem, ſi dudum ſopitas in Eccleſia tragœdias denuò non excitaſſet infœlici ſuo commentariolo Vigorius. Sed eundum eſt fortiter, quo nos alioquin inuitos vocat aduerſarius in ea quã ipſe elegit arena proſternendus. Ante omnia igitur ſciendum eſt nullam hîc de dubio & incerto Pontifice eſſe controuerſiam, vt cùm Eccleſia ſchiſmate la-

borat,& plures coloratis vtrinque iuribus de Pontificatu contendunt. cùm enim tunc summa rerum sit penes Ecclesiam vniuersalem, quam œcumenicum concilium ad viuum refert, nemo dubitat quin tunc concilium certum incerto & dubio Pontifice sit superius, cumque possit ac debeat deponere, si de alterius iure magis constet, aut saltem aliquem de nouo eligere, vt in concilio Constantiensi factum est, cùm scilicet tribus qui se pro Pontificibus gerebant abdicatis, Martinus V. fœlicibus auspiciis in Pontificiam dignitatem euectus est. Quæstio ergo tantùm est de certo & indubitato Pontifice, an scilicet ille concilio œcumenico maior sit & superior. Secundò, sciendum est multiplicē esse huius quæstionis sensum: vel enim quæritur vtrùm persona Papæ sit ita concilio subiecta, vt est inferior superiori, vel an decreta concilij decretis ipsius Pontificis præponderent, & si contingeret inter vtrumque cōtrarietas, an huius potiùs quàm illius decretis standū esset; vel tertiò an ipsemet Pontifex legibus concilij ita sit alligatus, vt de iis dispensare, aut eas abrogare nequeat. Vel denique an decretis Pontificis maior & certior fides, quàm concilij decretis sit adhibēda. De his namque omnibus Doctores certant & controuersantur. Tertiò sciendum est concilium cum Papa dupliciter conferri posse, primò quidem quatenus ab eo tam per se quàm per legatos abest: deinde verò quatenus in eo est præsens. Vtroque modo locus est quæstioni. nam si Pontifex absit, & omnes Prælati totius orbis legitimè conuocati in vnum locum conuenerint, quæri solet, an hæc congregatio Pontifice absente sit superior; quòd si sit

Explicatur multiplex sensus huius quæstionis.

præsens, quæstio adhuc est, an sententiam omnium Patrum concilij vel maioris partis ita sequi teneatur, vt solus cæteris omnibus obsistere, vel cum minori parte, relicta maiori, concludere non possit; nõnulli huius temporis scriptores quæstionem hanc de Pontifice supra concilium, vel econtrà, superuacaneam putant & nugatoriam; aiunt enim concilium absque Pontifice præsente & presidente non esse concilium, sed conciliabulum, & veluti latrociniũ: ideóque immeritò quæri & dubitari an Pontifex sit supra tale concilium; nullus enim est in Ecclesia verè Catholicus qui hoc in dubium audeat reuocare. Verùm isti grauiter allucinantur, supponimus enim tale concilium esse legitimum, vt pote authoritate Pontificis conuocatum & congregatum, cui tamen ipse Pontifex propter infirmitatem, vel captiuitatẽ, vel aliquod aliud incommodum aut impedimentum; neque per se, neque per legatos intersit. constat autem tale cõcilium dici non posse conciliabulum, aut latrociniũ, aliàs quinta synodus quæ ab omnibus recipitur, legitima non esset; quia Vigilius Papa ei personaliter adesse noluit, quod tamen facilè illi erat; ille enim Cõstantinopoli tunc agebat cùm concilium inibi celebraretur. Casus ergo potest contingere, in quo concilium sit legitimum, cui tamen nolit Pontifex adesse, ideóque meritò quæritur, an tale concilium sit ipso Pontifice superius. Prætereà aiunt, si Pontifex cõcilio intersit, eíque per se aut per legatos presit, frustrà etiam quæri an concilium sit supra Papam: tunc enim fieret comparatio eiusdem ad seipsum pro ratione maioris authoritatis, idémque esset ac si quæreretur

an Pontifex seorsim sumptus sit seipso maior & superior quatenus est in concilio. Sed huic quæstioni præterquã quod videtur esse ridicula, facilè satisfieri potest, si dicamus Papam cum concilio esse se ipso maiorem extensiue tantùm, non intensiuè, instar Dei, qui cum mundo spectatus maius bonum extensiuè dicitur, quàm cum solus & absque mundo consideratur: Sed in hoc non minus quàm in priori allucinantur. esto enim Pontifex concilio præsit, dubium semper est num sit eo ita superior; vt cum minore prælatorum parte, relicta maiore, possit concludere, vel an eius solius sententia totius concilij sententiæ sit anteponenda; de hoc autem non immeritò dubitatur, vt ex infrà dicendis constabit: similitudo autem allata ad rem minimè facit, siquidem constat omnes omninò creaturas, omnemq; earum virtutem quouis modo spectatã à Deo depẽdere: at verò non tã liquidò constat omnẽ concilij virtutẽ esse à Põtifice; nam licèt eius conuocatio, loquẽdo regulariter, ab eo solo dependeat, quãdo tamen prælati semel sunt legitimè congregati, ex quorumdã sententia à Spiritu Sancto, non à Põtifice virtutẽ suã accipiunt, ideóque vtrouis modo spectetur Pótifex, vel vt absens, vel vt præsens, non ineptè quæritur vter sit superior. Quartò sciendum est doctores non consentire, an alterutra pars quæstionis de fide sit. Cameracensis enim tract. de potest. Ecclesiæ, Gerson. de potest. Papæ, & lib. de eiusd. auferibilitate: Okam in dialog. & Almaïnus de authorit. Ecclesiæ cap. 16. asserant de fide esse concilium generale legitimè congregatum esse Pontifice superius: quod etiam mordicùs affirmant

Doctores dissentiũt vtra pars quæstionis de fide sit.

Vigorius & Richerius, cuius sententiæ fundamentũ præcipuum est concilium Constantiense sess. 4. & Basileense sess. 2. in quorum vtroque istud videtur definitum: alij verò contrarium sentiunt, scilicet de fide esse, Pontificem concilio œcumenico legitimè congregato esse superiorem, ex concilio Florentino in literis vnionis, quibus tam Græci quàm Latini Patres interfuerunt: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi & regendi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro* IESV CHRISTO *plenam potestatem datam esse.* Item sess. 11. concilij Lateranensis sub Leone X. disertè scribitur summum Pontificem esse supra omnia concilia, decretumq́; contrariũ concilij Basileensis eo nomine reprobatur, his verbis: *Solum Romanum Pontificem tanquam super omnia concilia authoritatem habentem conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimoniis, dictis sanctorũ Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifestè constat.* Verùm in hac tanta doctorum dissensione, dicam ingenuè neutram harum opinionum esse de fide; non priorem, tum quia nemo nunc est in Ecclesia qui ita sentiat præter egregios illos Dioscuros Vigorium & Richerium, quorum si vera esset sententia, totus orbis Christianus qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret; tum quia facilè est eorum fundamentum cõuellere. nam quod attinet ad conciliũ Constantiense, non

Neutra opinio est de fide Papam esse supra vel infrà concilium.

non omnes eius sessiones vim fidei habent, siquidem à Martino V. eæ duntaxat quæ concilialiter decretæ fuerant, sunt confirmatæ: per particulam autem (conciliariter) intelligit quæ cum præuio examine, & mutua inter concilij patres collatione definita sunt: hoc autem modo decreta & constituta non fuit definitio authoritatis concilii supra Pontificem; nulla quippe intercessit discussio, nullumq; præuium examen, vt ex Actis liquidò constat, sed omnes vltro citróque in hanc sententiam abierunt: vel per illud concilialiter, intellexit Martinus, quæcumque post sopitum & terminatum schisma, suiq; ipsius electionem à Patribus fuêre definita. sic enim propriè res dicuntur concilialiter definiri, quãdo videlicet Pontifex & cæteri Prælati post maturam deliberationem in aliquod dogma consentiũt. & quia tunc cùm hæc authoritas concilii supra Pontificem definita est, aberat Ioannes XXIII, qui clam aufugerat: & Martinus V. nondum à patribus electus erat, dici non potest cõcilialiter definita, cùm præsertim, vt aliàs ostẽdimus, conciliũ schismate in Ecclesia grassante res fidei definire nõ possit, sed tantùm schisma extinguere, certúmque ac verũ Pontificem eligere. Deinde licèt Ioannes XXIII huic decreto cõsensum præbuisset, suoq; calculo illud approbasset, quod tamen est falsissimum: quia tamen tres se tunc pro pontificibus in Ecclesia gerebant, quorum vnusquisque prouincias sibi obedientes habebat, tertia tantùm pars Ecclesiæ hanc concilij supra Papam authoritatem definiuisset, sicq; à concilio propriè & essentialiter generali decretum non manâsset. Nec dicat Richerius partem illã Ecclesiæ quæ Ioanni XXIII

Concilij Constantiensis definitio de superioritate concilij quomodo intelligenda.

adhærebat, aliis duabus longè fuisse ampliorem, etsi quinquepartito vniuersalis Ecclesia distribueretur, vix quinta pars Benedicto XIII & Gregorio XII fauisse comperirietur, cùm interim reliquæ quatuor Ioannis XXIII partes sequerentur. *Quod ad vniuersalis synodi constitutionem,* inquit Richerius, *plus æquo sufficere diuina & naturalis lex comprobat.* Hoc, inquam, non est quod obiiciat Richerius; primùm enim quando concilium œcumenicum in Occidéte celebratur, aliquos ex Oriente si cum Sede Apostolica communionem habeant, qualem tépore Constantiensis concilij certú est habuisse, per se aut per procuratores ei interesse oportet: multos verò, imò ferè omnes ex occidéte. At in concilio Constantiensi plurimi ex Occidente aberant, vt Prælati Aragoniæ, Apuliæ, Scotiæ, & nõnulli Vasconiæ; quo fit vt etiamsi in præsentia Ioannis 23. decretum hoc concilij Constantiensis factum fuisset, non tamen propterea diceretur à concilio generali manâsse, quia Constantiense concilium non fuit nec dici debuit generale, quovsque Martinus V, cui se Ioannes & Gregorius cum plerisque aliis qui Benedicti partes sequebantur, submiserunt, ei præfuisset. His subiungam duo notatu dignissima, ne ampliùs nostrates Galli definitionem hanc concilii Constantiensis tanquam verè & propriè œcumenici adeò pugnaciter vrgeant, Pontifices illius téporis sub hac semper cõditione fuisse electos, vt videlicet eorú quisque pontificatu cederet, si alij suo iuri prætenso renuntiarẽt, vel si euidens Ecclesiæ vtilitas illud exposceret: ex quo clarum est eorú electionem ratam & absolutam non fuisse, ideóque etsi eorum aliquis per se vel per

legatos decreto interfuerit, non sequitur propterea decretum manâsse à concilio absolutè œcumenico, & absolutè totam Ecclesiam tam in capite quàm in membris repræsentante: Deinde vocabantur antùm Pontifices suæ obedientiæ, vel in sua obedientia; quo fit vt non essent propriè œcumenici pastores, sed tantùm particulares, ac proinde nõ erãt veri pontifices saltem absolutè, certò & indubitãter. Ceterùm non sine maxima ratione grauissimi quidã doctores asserunt conciliũ Constantiense nihil aliud definiuisse, quàm concilium esse superius Pontifice dubio & incerto, quod accidit quando schismate laborat & vexatur Ecclesia, & iura contendentiũ omni ex parte dubia sunt, tunc enim nemo dubitat quin in Ecclesia sit suprema potestas, ad dubios illos Pontifices vel alterum eorum deponendum, aut aliquem in eorum locum sufficiendum. Quod ad concilium Basileense, iam satis initio ostendimus illud propriè non esse generale, sed tantùm impropriè & secũdum quid, quod ad aliquid tanquam de fide definiendum non sufficit, neque obstat quod in Bituricensi synodo decretum hoc Basileensis concilii receptum fuerit. nam cùm hæc synodus prouincialis duntaxat fuerit, & cõtra Eugenium IV vt & Basileensis coacta, & à Lateranensi concilio sess. 11. penitùs antiquata, eiq; prætereà per Franciscum I. Galliç Regẽ sicut & Sanctioni Pragmaticæ fuerit derogatũ, nihil profectò pro authoritate cõcilij supra Papã tanquã de fide credẽda efficit. Quod autẽ ad Scripturæ locos & testimonia, quæ ex Ænea Syluio de hac cõcilii supra Pontificẽ authoritate conciliũ Constantiense explicat, responsio est in

Pontifices tempore concil. Constantiensis nõ erant veri & œcumenici Põtifices.

De conciliabulo Bituricensi.

promptu, tunc nẽpe explicationi & interpretationi Scripturæ à conciliis traditæ esse incunctanter adhærendum, quando eam tanquam genuinam & veram expresse definiunt, vt cùm conciliũ Tridentinũ decreuit talẽ esse sensum horum verborum, *Hoc est corpus meum*: &, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* vt literaliter atque vt verba sonant, & non metaphoricos sint accipienda. At verò quãdo obiter & in trãscursu aliquod testimoniũ interpretantur, vel ad rem de qua est quæstio probandam aut illustrandam assumunt & accommodant, non propterea sequitur eam interpretationẽ ceteris esse præferendã. Adde quod etsi interpretationes illæ ita essent à concilio Constãtiensi, vt vult Æneas, definitæ, non tamẽ vim ipsa definitione maiorẽ haberent, quæ vt ostendimus, nullã vim fidei habet. Quantũ vero ad testimoniũ Pii II, de quo triũphũ videtur agere Vigorius, nõ aliunde quã ex eodem Pio II. remedium seu solutionem repetemus, vt sagitta quæ vulnus intulit opem afferat & medelam ferat inde hostis, vnde læserat; hic enim ad apicem Pontificatus euectus speciali bulla quæ incipit: *Cum in minoribus*, quæcunque contra Eugenium quartum in fauorem concilij Basileensis dixerat & scripserat, reuocauit & tanquam à se non dicta haberi voluit; integram hanc transcribere non placet, sed solum ea eligere quæ forte animum Vigorij & Richerij ad suos contra sedem Apostolicam errores abiurandos permouebunt. *Mortem quidam sibi prius consciuerint quàm videri velint aliquando male sensisse, & nõnulli ne vel ad horã videantur errasse semper errant, & dũ vel minimum tolerare honoris iacturam nequeant totum abiiciunt, & perpetua notantur infamia, & in pessimas prola-*

buntur hæreſes: qui ne appareant inconſtantes pertinaces efficiuntur, ſuperbiſſimi hoc agunt qui videri dij volunt non homines, quales Conſtantiæ combuſti ſunt noſtra ætate, in magno conuentu Hieronymus & Ioannes hæreſiarchæ. Nos homines ſumus, & vt homines errauimus: neque imus inficias multa quæ diximus, ſcripſimus, egimus damnari poſſe: verùm non vt Arius, Eutiches, Macedonius, aut Neſtorius, & alia blaſphemorum turba ex animo damnatam viam elegimus, ſeducti peccauimus, vt Paulus, & ignorãter perſecuti fuimus Eccleſiam Dei & Romanam primamque ſedem propter quod proſtrati ante oculos diuinæ pietatis ſupplices oramus, delicta iuuentutis & ignorantias ne memineris: pudet erroris, pœnitet malè feciſſe, & malè dictorum ſcriptorumque pœnitet, plus ſcripto quàm facto nocuimus. Sed quid agamus ſcriptum & ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta quæ multas inciderunt in manus, & vulgò leguntur. vtinam latuiſſent quæ ſunt edita; nam ſi futuro in ſæculo manſerint, & aut in malignas mentes aut incautas fortaſſe ſcandalum parient. Qui hæc ſcripſit, inquient, in beati tandem Petri cathedra ſedit, & Chriſti Saluatoris vicariatũ geſſit, ita ſcripſit Æneas, qui poſteà ſummũ pontificatum adeptus Pius II. appellatus eſt, nec inuenitur mutâſſe propoſitũ Qui eũ elegerunt, & in ſummo Apoſtolatus verticẽ collocarũt, ab iis ſcripta eius approbata videtur, verendũ eſt ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus obiiciãtur; & quæ fuerũt Æneæ dicantur Pij, atque ab ea Sede authoritatẽ vendicent, aduerſum quam ignorãter latrauerunt. Cogimur igitur, dilecti filij, S. Auguſtinũ imitari, qui cùm aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit, humilis, & probatiſſimi vir ingenij qui ſuas ineptias verecundè cõfiteri ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos fa-

Hæc notent & recogitent Vigorius & Richerius.

cimus: confitebimur ingenuè ignorantias nostras, ne per ea quæ scripsimus iuuenes error irrepat, qui possit in futurum Apostolicam Sedem oppugnare.

Hactenus Pius II, de cuius opinione quam iuuenis pro concilio tenuit non est quod ampiiùs glorietur Vigorius, cùm tam humili summissoque animo, & cum tot lacrymis eam defleuerit & retractauerit. Sed qui secutus est errantem, pœnitenté quæso sequatur. Et hæc de priori opinione in qua paulò latiùs quàm res postulabat exspatiati sumus, vt impudentiã & imposturas Vigorii & Richerii apertiùs refelleremus.

Non est de fide Papam esse supra cõcilium.

Posterior verò sententia qua Pontifex concilio superior statuitur, non est etiam de fide, tum quia satis constat concilium Florentinum authoritatem Papæ supra concilium non definiuisse; nam etsi definiat eum esse Christi vicarium, totius Ecclesiæ caput, & à Christo illi traditam potestatem regendi vniuersalẽ Ecclesiam, hoc tamen nemo eorum qui contrà sentiunt, negat; illius enim potestatem in Ecclesiã vniusalem vbique locorum diffusam admittunt, & omniũ Christianorum patrem & doctorem eum agnoscũt: sed contendunt concilium nõ propterea definiuisse eum in Ecclesiam vniuersalẽ, quatenus est legitimè congregata, & est in concilio aliquo generaliter per suos Prælatos vnita & consentiens potestatem habere; tunc enim (inquiunt) Ecclesia vniuersalis est totũ quoddam in quamlibet sui partem etiam præcipuã qualis est Romana Ecclesia authoritatẽ habẽs. ideo q; cùm nomẽ hoc (vniuersalis Ecclesia) dupliciter sumatur, distributiue quidẽ, id est pro omnibus Ecclesiis per orbẽ diffusis, & collectiuè id est pro conci-

Nec conciliũ Florentinum nec Lateranense Papam esse suprà conciliũ definierunt.

lio generali, priori modo aiunt conciliũ Florentinũ definiuisse summum Pontificem in Ecclesiam vniuersalem habere authoritatem, non tamẽ posteriori: Ad concilium vero Lateranense, quod multo expressiùs loquitur, quàm Florentinum, variæ sunt responsiones. quidam enim aiunt nõ fuisse verè & propriè generale, cùm ei vix centum Episcopi interfuerint. Alii dicunt caput illud 11. in quo de authoritate concilii supra Pontificem mentio fit, à concilio non fuisse discussum, aut examinatum, sed tantùm perlectũ coram Prælatis concilii, qui sine præuio examine illud approbarunt, ideóque dici non posse conciliariter conclusum & definitum, sicut de concilii Constantiensis definitione dictum est. Alii sic rem expediunt, Etiamsi (inquiunt) concilium absolutè fuisset generale (quod adhuc propter Episcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipsam vt decretum fidei Catholicæ non definiuit. nulla enim in verbis concilii nota apparet, ex qua fidei definitionẽ colligamus. nam nec anathema pronũciat in eos qui contra sentient, nec dicit se hoc expresse aut propriè definire, aut esse de necessitate salutis ita credere, vel quid simile ex quo expressa definitio colligatur. Alii denique respondent concilium eatenus authoritatẽ Papæ supra conciliũ definire, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis canonibus manifestè cõstare censetur, ad hæc enim si omnia verba attentè expendantur, vim suæ definitionis, si quæ sit, concilium reuocat: Atqui quòd res illa de fide sit, ex nullo Scripturæ, Patrum, & antiquorũ canonum testimonio constat: igitur non potest illud dici à concilio Lateranensi tanquam de fide definitum.

Neutra opinionũ de authoritate Papæ & cõcilii est temeraria.

Ceterùm non tantùm neutra harum opinionum hæretica est, sed etiam neutra est, erronea & temeraria, saltem temeritate opinionis. Ea enim opinio dicitur erronea, quæ est contra id quod etiamsi non sit expresse à Scriptura aut Ecclesia definitum, tamen ex iis quæ iam sunt definita per euidentem & expressam consequentiam deducitur: atqui neutrā opinionem ita se habere ex solutione argumentorum mox constabit. nulla enim est ratio, nullum Scripturæ, aut antiquorum canonum, aut etiam Patrum testimonium, ad quod vtriusque partis doctores non respondeant: quorũ responsiones etsi non planè satisfaciant, sufficiunt tamen vt neutra harum errorem censeatur continere: neutra pariter est temeraria, quandoquidem ex Melchiore Cano lib. 4. de locis. hæc opinio dicitur temeraria, quæ nullo authore, nullâque ratione probabili, nulla verisimilitudine nititur: atqui primùm opinio quæ Romæ tenetur vacat omni temeritate, cùm totus orbis exceptis pauculis doctoribus eā amplectatur, & præterea rationibus validissimis, cùm ex Scriptura, conciliis & Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmetur. At contraria opinio à nonnullis pariter non contemnendis doctoribus astruitur, & quibusdam rationibus probabilibus nititur. Vrgebis tempore concilii Cōstantiensis Ecclesiæ Patres qui tam in concilio quàm alibi florebant, statuisse & credidisse concilium esse supra Pontificem, nullumque in concilio huic decreto reclamasse, aut in contrarium abiisse. Igitur saltem tempore concilii Constantiensis non nisi temerè Pontifex supra concilium asserebatur. Respondent quidam propositionem

nem posse vno tempore esse temerariam, altero minimè: quinimò cõtraria poterit fieri temeraria, vt patet ex hac propositione; Angeli sunt corporei, siquidem olim talis erat omnium ferè Patrum opinio, Angelos habere tenuia quædam & aërea corpuscula, solumq. Deum esse simpliciter incorporeum; ideoque tunc erat fortè temerarium Angelos incorporeos asserere, nunc verò temeritate non vacat, Angelis corpora aërea licèt & quantumuis tenuia affingere, quia omnes quotquot sunt doctores, eos nunc merè spiritales statuunt. Sic ergo quamuis concilii Constantiensis tempore temerè quis affirmasset (quod tamen non concedimus) Pontificem esse supra concilium: hoc tamen tempore versa vice mortalium, omnibus ferè in contrarium abeuntibus omni vacat temeritate. Secundò & meliùs respondeo, non esse mirum si totus orbis concilij Cõstãtiensis tempore, contra Pontificis authoritatem sentiret, cùm Ecclesia tunc horrẽdo schismate laboraret, nullusque esset qui illud sopitum & extinctum apprimè non desideraret. cùm enim nullũ aliud ad schisma extinguendum remedium suppetere videretur præter concilium generale, à quo qui tũc pro Pontificibus se gerebant, vehementer abhorrebant, omnes tunc à partibus concilij contra Pontificem stabãt: vnde quemadmodum ad testimonia Scripturæ concilianda distinguere tempora plurimùm iuuat: sic ad varias Doctorum sentẽtias inter se componendas operæ pretium est tẽpus schismatis & belli à tempore pacis & vnionis secernere, ne quod contra dubios & incertos Pontifices à nonnullis alioqui piis & eruditis dictum aut scriptũ fuit, id in veros, certos,

Cur concilij Cõstantiẽsis tempore maior pars tenebat conciliũ supra Papam.

ac legitimos Pontifices cum magno totius Ecclesiæ scandalo & damno dictum scriptumque intelligatur. Dixi verò neutram opinionem esse temerariã temeritate opinionis, quia etsi opinio quę stat à partibus conciliorum, in ratione opinionis temeritate vacet, propter rationem quam adduximus; à temeritate tamen inobedientiæ vix potest excusari: fouet enim vt plurimùm inobediẽtiam, & dissidia multa, magnósq. tumultus Ecclesia semper excitauit. Sed cùm neutra opinio hæretica sit, nec erronea, nec temeraria eo saltem temeritatis genere quod nunc distinximus, restat vt quæ vera sit, quæ falsa doceamus.

Vtrùm concilium œcumenicum sit supra Pontificem, vel econtrà.

QVÆSTIO VIII.

GVILLELMVS Okam sub finem primæ partis Dialog. vbi de potest. Ecclesiast disserit, ait sũmè necessariũ fore vt docti & sapientes in Ecclesia iuramentis & horribilibus cõminationibus ad dicendã veritatem adigerentur. Quidam enim (inquit) ita potestatem Ecclesiasticam dilatant, forsitã adulationis causa, vt beneficia & priuilegia obtineant, vt ad actus in destructioné Ecclesiæ eam extendant: sed debebat Okã subiungere quosdam etiam ita potestatem hanc deprimere & imminuere, vt statum Ecclesiæ monarchicum funditùs euertant. Sanè verò cùm me tanti non faciam, vt inter sapiẽtes vnus è paucis haberi velim, & me discipulum potiùs quàm magistrũ fatear, præsentem quæstionem adeo odiosam, & tam ancipitis

aleæ non definiam: ſed vtriuſque partis rationes cum earum ſolutionibus lectori tanquam in tabella exhibere conſtitui, vt quod tutiùs atque conſultiùs videbitur, id liberè quiuis amplectatur. Vigorius hæc in fauorem concilij generalis profert. Primùm: Papa eſt Eccleſiæ filius, Eccleſia enim mater eſt omnium fidelium, ſicut Deus eorumdem pater. Ambroſ. in Symbolo: *Non habebit ibi Deum Patrem, qui noluerit ibi habere Eccleſiam matrẽ*; Atqui filius eſt matre inferior: et ſi ſapiat, cauere debet ne illi honorem & obedientiam deneget. *Stultus homo deſpicit matrem ſuam, & filius ſtultus*, qualis eſt inobediens, *mœſtitia eſt matris ſuæ*. Prov. 10. Cõfirmatur: Papa non eſt Eccleſiæ vniuerſalis pater: ergo eſt eius filius, ac proinde non eſt ſupra eam, vel ſupra concilium œcumenicum à quo perfectiſſimè repræſentatur. Secundum. Damaſus epiſt. ad Epiſcopos orientales in concilio cõgregatos minorẽ ſe iis fatetur: cuius verba (inquit Vigorius) ex Anacleti epiſtola de ordinatione Archiepiſcoporum excerpta ſunt. Tertium. Non eſt veriſimile quemquam ita ſuũ vicarium inſtituiſſe, vt ſponſam ſuam illi ſubiecerit: Atqui Eccleſia eſt Chriſti ſponſa lectiſſima, Pontifex verò eius vicarius. Quartum: Eccleſia habet poteſtatẽ immediatè à Deo, ita vt omnia eius membra, quorum præcipuum eſt ſummus Pontifex, illi vt Chriſto obedire teneantur, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, &c.* quæ verba cùm ad Apoſtolos in plurali ſint directa, de Eccleſia quam ipſi tunc repræſentabant debent intelligi. Quintum. Papa iuriſdictioni concilij ſubiicitur, & ab eo, ſi ſit hæreticus, ſchiſmaticus, aut ſcandaloſus, poteſt põtificatu priuari, imo à

Hæc quæſtio ab authore non definitur, ſed rationes vltro citroque afferuntur.

Argumẽta Vigorij in fauorem concil.

sede Apostol. seu potiùs Ecclesia Romana. Hæc enim nonnunquam supremos Pontifices deposuit & abdicauit. Sextum, appellationes à Papa ad concilium œcumenicum satis supérque authoritatem concilij supra ipsum arguunt. Postremum, Nicolaus I. epist. ad Michaëlem Imp. dicit se vicarium Sedis Apostolicæ; ergo multò magis Ecclesiæ vniuersalis, cuius sedes Apostolica seu Romana Ecclesia tantùm est pars. Hæc sunt quæ Vigorius in patrocinium concilij supra Papam adducit, sed quàm leuia sint & infirma, ex eorum solutione constabit.

3. Reg. cap. 2. Respōsio ad argumēta Vigorii pro concilio.

Ad primum ergo respondeo, non repugnare filium matre sua naturali & legitima superiorem esse, eique propter munus quo in republica fungitur, pro rebus ad rempublicam spectantibus, legem dicere & imperare; hoc olim visum est in Salomone respectu Bethsabeæ matris, quæ eum adiit, eique humillimè supplicauit. Hoc videre est in Regibus & magistratibus qui viuente matre regnant, legésque ferunt, quibus eorum mater adstringitur: hoc etiā in omnibus Episcopis cottidie cernitur, qui matre superstite suæ patriæ gerūt Episcopatum. Itaque nihil obstat quominùs Papa, licèt sit filius Ecclesiæ, vt pote per Baptismum in eius vtero regeneratus, nihilominus propter dignitatem Pōtificiam, qua omnibus Christianis supereminet, Ecclesiam ipsam regat, eiq; tāquam Pastor & pater prouideat, legésque ferat, quæ eam in consciētia arctissimè obligent: vnde vt ad confirmationem respondeam, perperam argumentatur Vigorius, à rebus naturalibus ad res morales & politicas, hæc enim toto cœlo diuersa esse contra Richerium in Elencho

demõſtraui. nam etſi partes naturales per ſe abſq; totius influxu non agant,nõ tamẽ idem eſt de partibus analogicis & myſticis, qualis eſt Papa reſpectu Eccleſiæ, Rex comparatione regni, paterfamilias reſpectu familiæ; hi enim abſque vllo communitatis influxu agunt & regunt. Quamuis ergo in phyſicis & naturalibus vnum eundémque patrem & filiũ eſſe reſpectu eiuſdem repugnet, id tamen in communitate aliqua minimè repugnat: ideòque Papa non incõgruè filius & pater Eccleſiæ dicitur; filius quidem quatenus in ea per Baptiſmum eſt regeneratus, eius fidem inuiolabiliter profitetur, & illius bonis nempe ſuffragiis & orationibus fidelium non minùs quàm quilibet alius participat: pater verò quatenus per paſtoralem prouidentiam eam regit, ab erroribus vindicat,& ſuis legibus in finem ſupernaturalem dirigit. Breuiùs dici poſſet Papam vt eſt priuata perſona, eſſe filium Eccleſiæ; vt verò eſt moderator publicus Eccleſiæ, ſiue Papa, eſſe eius patrem ac principem.

Mala eſt argumentatio à partibus naturalib. ad myſticas & analogicas.

Ad ſecundum reſpondeo inſigniter mentiri Vigorium,tum quia in epiſtola Damaſi non habetur,Epiſcopos Orientis in concilium fuiſſe cõgregatos; tum quia Damaſus ſe minorem Eccleſia (quam hoc Oriẽtis concilium repræſentabat)non dicit, ſed tantùm ſe D.Petro in dignitatis gradu longè inferiorem prædicat: vbi per dignitatẽ intelligit merita, ſanctimoniã, & gubernandi peritiam, vt ex contextu liquidò conſtat. ſic enim habet: *Tametſi à ſancta Eccleſia in qua ſanctus Apoſtolus ſedẽs nos docuit, quo pacto illius gubernacula quæ ſuſcepimus tractanda ſint, nobis primæ partes deferuntur; tamen fatemur nos illo dignitatis gradu longè inferiores*

esse. Quod multò apertiùs ſcribitur in Anacleti epiſt. ad quam nos remittit Vigorius. ibi enim expreſsè Anacletus honore & ſanctitate minorem ſe D. Petro agnoſcit, aitq; ſe propterea feſtinare, vt ad gloriam eius beatitudinis poſſit peruenire. vnde mala fide Vigorius quod ad D. Petrum nunc cum Chriſto regnãtem refertur, ad eius Eccleſiam retulit. Ad tertiũ reſpondeo vitioſam eſſe à rebus naturalibus, qualis eſt ſponſa reſpectu viri, ad res humanas & politicas argumentationẽ. ſunt enim (vt iam diximus) longè diuerſa, præſertim verò cùm in his rebus analogicis conſtet, ſponſas vicariis ſubiici. Rex enim prouinciam proregi ſubiicit, paterfamilias totam familiam œconomo, & interdum vir peregrè proficiſcens vxorẽ certi amici prudentiæ & fidei cõmittit, & quodammodo ſubiicit; atque vt ea ſubiectio ſub conditione ſemper intelligitur, quatenus certus ille viri amicus commiſſæ ſibi vxoris pudicitiam & caſtitatẽ illæſam ſeruet: aliàs è ſua gubernatione & directione excidat: Sic Chriſtus Eccleſiam Pontifici ea cõditione ſubiecit, vt eius pudicitiam & caſtitatem per hæreſim aut ſchiſma non violet, aut commaculet, aliàs locus eſt abdicationi & depoſitioni. Ad quartum: Vt vt ſit de poteſtate Eccleſiæ immediatè à Deo (nam hac de re infrà) inde tamẽ non ſequitur Eccleſiam Pontifice ſummo eſſe ſuperiorem: nam ipſe Pontifex immediatè etiam à Deo ſuam habet authoritatem, & iuxta nonnullorum ſententiam ipſi etiam Epiſcopi; & tamen tantùm abeſt vt ipſi ſint propterea ſupra Põtificem: quinimo ſunt illo multis gradibus inferiores, vt fateri cogitur Vigorius. Ad quintum: Suprà oſtendimus Papam in hæ-

Nõ rectè ex rebus naturalibus inferuntur res politicæ.

resi vel schismate iurisdictioni concilij esse obnoxiũ, eiusq; legibus absolutè teneri, cùm Ecclesiam in tantum adducit scandalum, vt hinc iactura & pernicies sequatur animarum; tunc enim eo inuito & renitẽte potest cogi concilium, in quo accusabitur, & grauiter reprehẽdetur, non tamẽ in eum, si hæreticus & schismaticus non sit, sententia feretur. Ad sextum respondeo appellationes à Pontifice ad concilium futurum esse omninò illicitas, vt ex Bullis Pij II. & Iulij II. ab omnibus receptis abundè constat, sed infrà fusiùs de his appellationibus differemus. Ad postremum, respondeo per sedem Apostolicam cuius se fatetur Vicariũ Nicolaus I. intelligi D. Petrum qui à patribus non raro dicitur adhuc in ea sedere, eamque de cælo regere. vnde cùm se D. Petro longè inferiorẽ agnosceret Nicolaus, eius vel suæ sedis Vicarium se ipsum nuncupare non est veritus, non quòd ab eo potestatem suam mutuaretur, hanc enim iure diuino habebat, sed quia munus quod Petrus in terris exercuit, ipse exerceret. Vel secundò dicit se Vicarium sedis Apostolicæ, quia ad eam regẽdã tanquã ad terminũ ad quẽ omnes eius curæ & solicitudines referebãtur.

Cæterum quia præsens quæstio celebris est, & in Academia Parisiensi nũquã hactenus satis explicata, rationes alias multò difficiliores & grauiores iis quas protulit Vigori⁹, lubet adducere, si priùs in quo cõsistat hæc opinio, quę stat à partibus cõciliorũ explicemus, idq; ex Gersonio eius primario autore & propugnatore acerrimo. Ait ergo supremam potestatem Ecclesiasticam, licèt sit in summo Pontifice tanquam in proprio subiecto, in Ecclesia tamen

Explicatur inquo consistat opinio eorũ qui conciliũ supra Papam adstruunt.

vniuersali, quam generale concilium repræsentat, triplici modo relucere; primò vt in fine, quia Ecclesiastica potestas est in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia: Secundò vt in regulante Papam, eiusque actiones, si quando cõtingat eum à vero deuiare: aliàs Christus optimus legislator & peritissimus architectus in Ecclesiæ constructione & gubernatione parum prouidus fuisset. Tertiò, suppletiuè, quatenus nempe defectum Papæ supplere potest: vt si in amentiã inciderit, si ab infidelibus capiatur, vel denique si vrgente graui negotio, & cui mox sit succurrendum è viuis excedat, tunc tota potestas Papalis ab Ecclesia suppletur. Concludit itaque Gersonius supremam hanc potestatem, quamuis in summo Pontifice tanquam in proprio subiecto resideat, hoc tamen triplici modo Ecclesiæ subiici. Sic ergo explicata hæc opinio variis argumentis præter ea quæ Vigorius attulit confirmari solet. Primùm enim gesta & iudicata per Romanum Pontificem repetita & examinata in conciliis generalibus inueniuntur, vt iudicium Leonis Papæ contra Dioscorum in concilio Calcedonensi act.1.& 3. item eiusdem iudicium pro Theodoreto, in eodem concilio act. 8. iudicium synodicum Martini Papæ contra Pyrrhum & Sergium in concilio generali *6.* & iudicium Nicolai & Adriani Romanorum Pontificum contra Photium in cõcilio generali 8. Ex quibus apertè liquet concilij sententiam sententia Romanorum Pontificum multò fuisse superiorem, quæ nunquam examinata aut retractata legitur. Secundò, Calcedonense concilium de primatu Romani Pontificis quæsiuit, cognouit,

Rationes pro authoritate Põtificis supra concilium.

iudicauit

iudicauit, cum proximo post eum loco Constantinopolitanum Patriarcham reclamantibus Leonis Papæ legatis, constituit, & obstantibus alioqui Nicænæ synodi decretis, quæ Alexandrinum 2, & Antiochenũ 3° loco posuerant, actione 16. huius con. Ergo cõciliũ ipso Papa hac in re fuit superius. Tertiò in 8. concilio can. 21. qui incipit: *Dominicũ sermonẽ*, cuius pars habetur 22. dist. cap. *Definimus* dicitur: *Vniuersalis Synodus cum conuenienti reuerentia quamlibet quæstionem de Romanorũ Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Põtificem dicere.* Ex quo patet concilium œcumenicum esse Põtifice superius, cùm exortam de eius Sede controuersiam extremo iudicio debeat definire & terminare, cum honore tamen & reuerentia, propter põtificiæ dignitatis sublimitatem. Quartò, Augustinus de causa Donatistarũ sic scribit: *Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa ipsa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.* Putauit ergo Augustinus iudiciũ Romani Põtificis per concilij iudiciũ mutari & reformari posse, quod certè Pontificem concilio inferiorẽ arguit. Quintò, Hieronymus epistola ad Euagrium: *Si authoritas quæritur, maior est authoritas orbis quàm vrbis.* Atqui authoritas totius orbis per cõcilium œcumenicum repræsentatur, vel etiam formaliter est in eo. Sextò, Damasus Papa epist. 79. inter epistolas Ambrosij, ait se non posse de causa Bonosi Episcopi cognoscere, de qua posset, si synodus esset integra, nec iudicium aliis commisisset, quæ verba non sunt

ipſius Ambroſij, vt quidã perperã cõtẽdũt, ſed ipſius Damaſi; ſubiungitur enim: *Cùm Epiſcopus Bonoſus poſt iudiciũ miſiſſet ad fratrẽ noſtrũ Ambroſium interdictã ſibi Eccleſiã & rũpere atq; ingredi, reſponsũ eſt ei quod nihil temerandũ foret.* Hoc de ſe, vt cõſtat, non dixiſſet Ambroſius. Perſequitur verò & addit Damaſus: *Ideo primum eſt, vt ij iudicent quibus iudicãdi data eſt facultas, vos enim, vt ſcripſimus, totius ſynodi vice Dei decernitis, nos quaſi ex ſynodi authoritate iudicare non conuenit.* Ex quo manifeſtè patet Damaſum, non ſolùm ſe concilio inferiorem in iudicio ferendo agnouiſſe, ſed etiam ipſis per concilium ad iudicandum Bonoſum deputatis. Septimo Act. 8° *Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* Atqui Apoſtoli Hieroſolymis agentes Eccleſiam, ac per conſequens concilium generale referebant: igitur cùm Petrum Samariã miſerunt, ſuperiores eo fuerunt. Octauo, contulit Chriſtus claues Petro, vt ſigno & figuræ Eccleſiæ. Ergo per amplius, & magis eas contulit Eccleſiæ. Probatur antecedens ex Auguſtino in Ioannem, vt refertur 24ª quæſt 1. can. *Quodcũque: Petrus quando claues accepit, Eccleſiã ſanctã ſignificauit.* & in illa verba: *Tu vocaberis Cæphas; Mutauit Chriſtus ei nomẽ, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à Petra, Petra autem Eccleſia: ergo in Petri nomine figurata eſt Eccleſia.* Ex quo ſequitur Pontificem quicquid agit, nomine Eccleſiæ quam repræſentat agere: igitur Eccleſia per concilium vniuerſale repræſentata maiorem habet poteſtatem, quã Pontifex: quinimo ex verbis Auguſtini clarè colligitur totam eſſe originaliter in Eccleſia; Nam ab ipſa in Petrum eſſe deriuatã haud obſcurè ſignificat. Nono

Christus Matthæi 18. potestatem corripiendi simpliciter fratrem peccantem Ecclesiæ contulit, per hæc verba: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ*: Ergo in casu peccati, Ecclesia seu conciliũ generale eam repræsentãs, est iudex Papæ. hîc enim nomine fratris etiam Papa intelligitur, cùm nobiscũ dicere teneatur, *Pater noster qui es in cœlis*. Atqui si Ecclesia in casu peccati est iudex Papæ, est etiam absolutè illius iudex, in quem idcirco alios actus suæ potestatis, vt imperare, permittere, prohibere, potest exercere. Decimo, si duo de Pontificatu contendant, Ecclesia vniuersalis siue concilium œcumenicum est eorum iudex: ergo in vtrumque habet iurisdictionẽ. Consequentia nota est, nullus enim alterius est ordinarius iudex nisi in eum iurisdictionem possit exercere. Antecedens verò constat ex cap. *si duo*: dist. 79. Vndecimo Papa est mẽbrum Ecclesiæ, igitur est minor & inferior suo toto, quod est Ecclesia: vnde si quid aduersus Ecclesiam moliatur, poterit illũ rescindere & amputare. Duodecimo sicut se habet Capitulum cum Episcopo: sic se habet conciliũ cum Papa qui est caput concilij, can. *ita Dominus* dist. 19. & cap. *Rogamus* 24. quæst. 1. atqui sententia Episcopi non est maior sententia capituli, etiam si secum habeat aliquos de capitulo cõsentientes dummodo maiorem partem non faciant, vt notatur in capitulo *Postulastis*, de concessione prębendæ, & in capitulo *à collatione*: Igitur sententia cõcilij generalis maior est & superior Papæ sententia. Decimo tertio: Naturalis capitis operationes nullæ sũt solutis aut separatis, aut etiã impeditis omnibus aliis partibus & membris, suamque opem capiti denegan-

tibus: ergo in mystico corpore nec debet, nec potest Pontifex quicquam de statu Ecclesiæ, vniuersis aliis membris resilientibus, suumque consensum & opem denegantibus decernere, sicut nec è contra alia mẽbra quicquam statuere repugnante Põtifice aut debent, aut possunt: igitur saltem neutrum horum erit altero maius. Hæc sunt è multis præcipua, quibus authoritas concilij supra summum Pontificem fulcitur & corroboratur, nam quod dici solet de regimine Aristocratico, tanquam omnium suauissimo & optimo; de iure appellationum à pontifice ad concilium, & de legibus conciliorum quibus est obnoxius Pontifex, id partim suprà explicuimus, partim verò infrà multo commodius exequemur.

Respõsio ad argumẽta pro concilio supra Papam.

Ad hæc tamẽ argumẽta, qui partes Põtificis tuentur fortiter respondent. Ad primum, Gesta & iudicata à Põtifice nonnunquã in generalibus conciliis relecta fuisse, & denuò examinata, sed ex ipsius Pontificis voluntate & ordinatione, vt de eius sententia apertiùs constaret, & fideles ei prõptiùs obedirent; solẽt enim homines quæ in plenissima magnatũ congregatione deliberata sunt libentiùs admittere, & diligentiùs obseruare, quàm quæ à solo monarcha, licèt omnimodam habeat potestatem, edicta fuerint. Secundò respondent ea quæ per Pontificem iam fuerant iudicata, non fuisse in conciliis per modum examinis relecta, sed per modum sententiæ iudicialis, cui ceteri Episcopi, vt ex conciliorum actis apertissimè constat, statim paruerunt. Vnde Dioscorus Alexandrinus in concilio Calcedonẽsi propterea fuit depositus, quòd decretalem Leonis Papæ epistolam in concilio Ephe-

ſino legi & acceptari prohibuiſſet. Ad ſecundum, In concilio Calcedonenſi nihil quicquam de primatu Romani Pontificis eſt actum, ſed tantùm de eo qui poſt ipſum inter Patriarchas ſederet; volebat enim cõcilium & de facto ſtatuit vt Patriarcha Conſtantinopolitan. propter honorem ſedis Imperialis quam tunc gerebat, proximo poſt Pontificem loco ſederet. Secundò concilium hac in re grauiter errauit, non ſolùm quod Alexandrino & Antiocheno Patriarchis iniuriam fecerit, alterum qui ne quidem initio naſcentis Eccleſiæ Patriarchatus honore gaudebat, præferendo, ſed etiam quod reclamãtibus legatis Romani Pontificis iſtud decreuerit, & hæretico nedũ falſo & erroneo fundamento ad id decernendũ vsũ fuerit. Dixerunt enim Sedi ſenioris Romæ propter imperiũ ciuitatis priuilegia primatus patres contuliſſe; ideoq; rationi admodum conſentaneum eſſe Conſtantinopolim quaſi nouã Romam iiſdẽ priuilegiis gaudere, & ſecundùm poſt illam ſedere, ex actione 16. eiuſdem concilij. Sed & in antecedente error minimè ferẽdus continetur, conſtat enim ſupremũ pontificatum iure diuino, non humano, aut propter ciuitatis imperium Romanæ ſedi annexum eſſe, vt aliàs docuimus. Ad tertium: Tantùm abeſt vt hoc concilij decretũ quicquam contra Pontificem in fauorem vniuerſalis concilij moliatur, quin potiùs eius primatum apertè confirmet; prohibet enim ne audacter ſententia in Romanum Pontificem dicatur, quamuis quæſtio de eius Sede exorta ſuſcepta fuerit. neque enim per particulã illam (audacter) intelligitur temerè, aut præcipitãter, quandoquidẽ temeritas & præceps feſtinatio in qui-

Conciliũ Calcedonenſe errauit, ſed nõ in fide

buſcumque iudiciis etiam viliſſimorum quorumcũque hominum cauenda eſt: ſed per (audacter) intelligitur ne abſolutè tantùm ſibi arroget concilium, vt ſententiam contra Pontificem dicere audeat: quo fit vt ſi decretum hoc attentiùs & ſine partium vllarum anticipata atque affectata defenſione expẽdatur, plus feriat quàm iuuet ſummi Pontificis aduerſarios. Ad quartum reſpondeo imprimis querelam hãc Donatiſtarum fuiſſe facti, non iuris; cum enim Donatiſtæ obiicerent Ceciliano cum furente & ſæuiente Diocletiano libros ſacros prodidiſſe, ideoque Epiſcopali dignitate excidiſſe, purgauit ſe Cecilianus coram Melchiade Pontifice, & à crimine quod illi obiiciebatur, liberatus rediit & abſolutus: cui iudicio cùm Donatiſtæ non acquieuiſſent, ſed horrendo ſchiſmate ſe ab Eccleſia denegaſſent, dixit Auguſtinus eos non debuiſſe in ſchiſma abire, ſed potius ad vniuerſale concilium in hac facti quæſtione prouocare, nõ quòd appellationes à iudicio Pontificis ad concilium futurum iuſtæ eſſent, aut quòd eas Auguſtinus approbaret, ſed quòd potiùs accommodatè ad hominem (vt aiunt Philoſophi) loqueretur, Donatiſtas ſcilicet potius pro hac quæſtione facti, cuius error in quẽcumque poteſt cadere, debuiſſe prouocare, quàm horrendo ſchiſmate Eccleſiam totam dilacerare. Vtrumque quidẽ malum erat, ſed prius tolerabilius, & reſpectu poſterioris bonum. Secundo & melius reſpondeo, id dixiſſe Auguſtinũ, non quòd abſolutè neceſſe eſſet, poſt iudicium Pontificis, cauſam Ceciliani coram vniuerſali concilio adhuc ventilare & diſcutere, ſed quia ad compeſcendos impor-

tunos hæreticorum cauillos istud necessarium existimabat,& meritò;concilij enim definitio euidẽtior est hæresis condemnatio, & quæ vulgo hominum plenius satisfacit,quàm vnius supremi pastoris decretũ, maximè cùm ab eo generali concilio ipse Romanus Pontifex, vt subindicat Augustinus, abesse non deberet. Quòd autem Augustinus non dubitauerit solius Papæ iudicium, pro hac Ceciliani causa sufficere, constat ex epist.163. *Dedit*(inquit) *Imperator post Melchiadis Romani Episcopi iudicium, aliud aliorum Episcoporum iudicium, non quia iam necesse erat,sed eorum peruersitatibus cedens & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere*. Cui consentit Optatus lib. 1. contra Parmenianum: *Melchiadis* (inquit) *sententiâ finitum est iudicium*. Ad quintum, authoritas totius orbis non legitimè opponitur authoritati vrbis, quia vna eadẽq; est vrbis & orbis authoritas; cum Romanus Pontifex pro suæ potestatis plenitudine, vtrique imperet; quamuis tamen in hoc imperio sit discrimen: nam orbi imperat, vt est generalis totius Ecclesiæ pastor; vrbi verò, & vt pastor, & vt Episcopus, sedes enim Apostolica dignitatem Papalem, Patriarchalem, Archiepiscopalem, & Episcopalem suo sinu complectitur, vt aliàs ostendimus. Secundo respondeo Hieronymum eo loco de fidei determinatione non agere, sed de consuetudine & quæ tantò maioris est authoritatis, quantò generaliùs obseruatur: etsi enim in vrbe quædam consuetudines tractu temporis inualuerint, non sequitur tamen eas reliquo orbe esse obseruandas,itaut fideles vsquequaque diffusos obligẽt. Mediolani, inquit Augustinus non ieiunio etiam

Augustinus quo sensu dixit à sententia Melchiadis posse ad concilium plenarium appellate.

Epistola 117. ad Ianuariũ.

Romæ ieiunetur: & ideo D. Greg. cap. 3. Reſpōſionum ad Aug. noluit eum inter Anglos Romanæ vrbis conſuetudinem in omnibus ſequi , ſed voluit vt ex quacumque regione quod vtile iudicaret liberè ad imitandum aſſumeret.

Ad ſextum, epiſtola cit^a^ non eſt Damaſi, qui multis annis ante concilium Capuenſe, quo Bonoſus damnatus eſt, obierat, viuebat quidem eo tempore Siricius Damaſi ſucceſſor, ſed neque adhuc eius epiſtolæ auctor fuit. Eſt ergo epiſtola Ambroſij Mediolanenſis, vt ex programmate conſtat, *Ambroſius Theophilo & Aniſio.* Quod autem ibi habeatur Bonoſum poſt iudicium miſiſſe ad fratrem noſtrum Ambroſium, dicendum eſt eo tempore fuiſſe alium Epiſcopum huius nominis, qui vnà cum Ambroſio Mediolanenſi florebat, & apud quem poſt ſuam damnationem per literas conqueſtus eſt Bonoſus. Ad ſeptimum: Prætermiſſa reſponſione eorum qui defendunt miſſum eſſe, non neceſſariò inferioritatem reſpectu mittentis arguere; quippe cùm Spiritus Sanctus miſſus ſit à Patre & Filio, quibus tamen non eſt inferior; ideóque quāuis collegium Apoſtolorum Petrum & Ioannem Samariam miſerit, non propterea ſequitur Petrum collegio Apoſtolorum inferiorem fuiſſe; omiſſa, inquā, hac reſponſione, dicendum exiſtimo collegiū Apoſtolorum non ex imperio Petrum & Ioannem, ſed tantùm ex cōſilio miſiſſe: neque enim tūc inter Apoſtolos quicquam per imperium vnius in alterum fiebat: quo fit vt illis duntaxat ſuaſerint cōſultius eſſe vt ipſi Samariam irent, cùm ceteris aliis ſanctitate & miraculis prælucerent, hoc enim de Petro ſaltem, negari

non

nō poteſt; cuius vmbra Act.5. ſanabat infirmos. Hæc autem miſſio per conſilium, non neceſſariò mittenté miſſo ſuperiorem arguit, vt patet.

Ad octauum 1ª parte abundè eſt reſponſum; neque enim claues Eccleſiæ vt à Petro & Prælatis diſtinguitur, conceſſæ ſunt; alioqui cerdones, baiuli, lanij, & quælibet viliſſimæ perſonæ claues regni cœlorū haberent, quod eſt hæreticum: non ſunt etiam ipſi Eccleſiæ, pro vt eſt in concilio congregata conceſſæ, nam nullibi in Euangelio legitur poteſtatem aliquā concilio datam eſſe, ideoque poteſtas quæ in concilio relucet non tam eſt à Chriſto, quam à voluntate prælatorum, qui ex ſeipſis vnam eandemque authoritatem vnumque corpus conſtituere volunt, illudq; ex eo patet, quòd concilium nihil præſtet, quod non poſſint ſinguli Epiſcopi poteſtate ſibi à Chriſto tradita, in ſuis Eccleſiis præſtare. Vnde ad Auguſtinum reſpondetur, Petrum quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificâſſe, eo quòd eas non pro ſola perſona ſua, ſed pro omnibus ſuis ſucceſſoribus, per quos Eccleſia poſterioribus ſeculis regēda erat, acceperit; vel quia ei tanquā capiti, quod in totam Eccleſiam debebat influere, claues ſint collatæ. Vel deniq; quia in bonū & finem Eccleſiæ eas accepit, his enim de cauſis Eccleſiam ſanctam tunc Petrus ſignificauit.

Senſus huius poſitionis Petrus quando claues accepit Eccleſiam ſignificauit.

Inſtat Almaïnus, Auguſtinum velle claues formaliter Eccleſiæ datas eſſe, quia ſtatim ſubdit: *Si hoc Petro tantùm dictum eſt* (puta quodcumque ligaueris) *Ergo nō facit hoc Eccleſia*: id eſt, nec ligat, nec ſoluit, quod tāquā falſum & abſurdum ſupponit Auguſtinus. Reſpondeo Eccleſiam ſoluere & ligare, ſed per prælatos,

& pręcipuè per ſupremum, ſicut communitas dicitur agere ſolo capite operante: non quòd vlla poteſtas in communitate reſideat; ſed quia quæ à capite fiunt toti corpori attribuũtur, & ab eo fieri cenſentur: *Semper enim* (vt inquit author quæſtionum veteris & noui Teſtamenti quæſt. 79. *in præpoſito populus laudatur, aut corripitur*. Ad nonum, reſpondeo infrà me declaraturum per hæc verba, *Dic Eccleſiæ*, Chriſtum nullam Eccleſiæ poteſtatem tradidiſſe, ſed tantùm voluiſſe formam fraternæ correptionis præſcribere; tunc enim Apoſtoli nondum ſacerdotes erant, nondumq; fortè baptiſati, & iuriſdictio tunc ſolùm collata eſt, etiam ex Doctoribus Pariſienſibus, quando Chriſtus Ioan. vlt. dixit Petro: *Paſce oues meas*. Obiicies, datam eſſe poteſtatem corripiendi fratrem de peccato: ergo & Papam qui eſt frater noſter. Reſpondeo nos initio diſputationis aſſeruiſſe Papam in caſu hæreſeos & ſchiſmatis poſſe non tantùm corripi, ſed etiam deponi. Pro criminibus autem ſcandaloſis accuſari poſſe in concilio, & à Patribus, ſeruata moderatione debita, moneri & corripi. Inſtabis, ſi pro his peccatis Eccleſia Papam poſſit corripere: ergo eo eſt ſuperior. Reſpondeo in caſu hæreſeos & ſchiſmatis eſſe quidem eo ſuperiorem: vel enim non eſt tunc ampliùs Papa, ſecundùm multos; vel ſi ſit, poteſt eum de gradu deiicere, & excommunicationis gladio ferire. Sed quia ex Philoſophis à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, non valet cõſequentia; non ſequitur in ceteris criminibus Eccleſiam ſeu concilium generale eſſe ſupra Pontificem. Ad decimum eadem eſt reſponſio. nam cùm duo de pontificatu contendũt iuribus vtrinque

Per hæc verba, dic Eccleſię, nulla eſt data poteſtas.

Almaino de poteſtate Eccleſiæ cap.

Quomodo Papa ſubiectus eſt correptioni.

coloratis, neuter eorum certus est Pontifex. De fide autem est ex concilio Constantiensi sess. 4. concilium œcumenicum esse dubio & incerto Pōtifice superius. Nec dicas vnum eorum verum esse Pontificem, sicq; Ecclesiam in verum Pontificem suam potestatem extendere. Esto enim vnus à parte rei verus sit, tamen quia hoc apud homines est incertum, idem est supposita diligenti iuris vtriusque examinatione, ac si nullum ius haberet. Ad vndecimum: Dispar est ratio Pontificis cum concilio generali collati, & Episcopi cum suo Capitulo: quia Capitulū ab Episcopo robur non accipit, cùm illud iure communi habeat; at verò conciliū œcumenicū totum suum robur à Pontifice sumit. ipse enim est qui illud indicit, congregat, & cōfirmat, aliàs ex cap. *significasti* de electione. in 6. nullius est in Ecclesia roboris. itē Episcopus nihil de iis quæ ad Capitulum spectant eo inconsulto potest statuere: at summus Pontifex pro suæ potestatis plenitudine multa in dies absque concilio generali pro Ecclesiæ regimine statuit. Ad duodecimum respondeo, Ecclesiam seu concilium seorsim à Pontifice spectatū, non esse absolutè aliquod totum perfectum, cùm omnes suas partes non habeat, sed potiori magisq; necessaria nempe capite careat: ideoq; falsam esse hanc propositionem, Papa est minor Ecclesia, vt pars toto. Secūdo, esto Ecclesia à capite seiūcta dici posset totum quoddam: nihilominus quia virtus agēdi in capite, nempe Pontifice, ab essentia totius non fluit, sicut accidit in corpore naturali, cuius partes in virtute totius agunt, sed à Deo qui illi authoritatem tribuit: ideò quamuis Ecclesia esset totum quoddam, non propterea esset

Dispar ratio Episcopi cum Capitulo collati, & Pontificis cum cōcilio generali.

principale agens, sed Deus ipso capite tanquam instrumento vtens: quocirca sententia concilij nunquã præualebit sententiæ pontificis, quia prout conciliũ seorsim à Pontifice sumitur, non fit concursus totius in hanc concilij sentẽtiam, sed tantùm quarumdam partium, cùm ad eam pars præcipua, nempe caput, non concurrat: quo fit vt si quid probet argumentũ, tantùm probet sententiam concilii cum Papa præferendam esse sententiæ solius Papæ, quod vltrò conceditur, cùm sit de fide concilium Papæ adhęrens, errare non posse: non sit autem de fide, sed duntaxat absolutè certum solum Pontificem in definiendo esse infallibilem. Ad vltimum: A corpore naturali ad mysticum & analogicũ non valet consequentia: ideò que quamuis in corpore naturali caput in operando ab influxu partium aliarũ, cordis scilicet ratione spirituum vitaliũ, & hepatis ratione sanguinis, quo vniuersum nutritur corpus, depẽdeat; non tamen idem est iudicium de corpore mystico, cuius caput, nempe Pontifex, non tam à prælatis inferioribus dependet, quam à Spiritus Sancti directione & assistentia. vnde quamuis reliquæ partes Ecclesiæ, aut saltem maior prælatorum numerus in errorem laberentur (quod tamen contingere non posse suprà demõstrauimus) non tamen sequeretur Pontificem in errorem labi, aut Prælatis nihil quicquam agentibus, ipsum nihil posse agere. cùm enim sint partes analogicæ & mysticæ, non ita à se inuicẽ dependent, vt naturales, quæ mutuis stant & seruantur auxiliis. Et hæc est argumẽtorum prioris sententiæ solutio. Argumenta posterioris quæ summum Pontificem non hæreticum, nõ

schismaticum, nō incertum aut dubium supra generale concilium adstruit, nunc proferenda sunt & soluenda.

Primùm, Pontifex non solùm est caput singulorum membrorum, sed etiam totius Ecclesiæ vniuersalis, vt in concilio Constantiensi ante & post electionem Martini V. est definitū; ibi enim damnatur hæc Ioannis Hus propositio: *Petrus nec est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ*: & hæc altera: *Non est scintilla apparentiæ quod oportet esse vnum caput in spiritalibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia militante conuersetur.* Illudque expresse affirmat Hieronymus libro de ortu & obitu sanctorum noui Testamenti, *Petrus* (inquit) *in Christi Ecclesia firmamentum & Cephas corporis Christi principalis & caput est.* & cap. *vbi Periculum* de electione lib. 6. ex concilio Lugdunensi dicitur Pontifex *caput & rector vniuersalis Ecclesiæ, gregisque dominici director*: atqui vniuersalis Ecclesia per conciliū œcumenicum repræsentatur & exprimitur: igitur Pontifex erit illius caput, rector & superior. Confirmatur, Ecclesia enim nomen est collectiuū, vt dicitur de cōsecrat. dist. cap. 1. Ecclesia ergo magis aut saltem æquè Ecclesiam in concilio congregatam quàm diffusam & disgregatam significat: igitur qui eius caput dicitur, non minùs concilii, quàm singulorum membrorum caput, & superior est dicendus. Secundò absque Romani Pontificis authoritate & consensu nullum generale conciliū robur habet, ergo eius authoritas maior est, & superior authoritate concilij. Consequētia manifesta est ex hoc Peripateticorum axiomate, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Antecedēs

Argumēta pro Papa supra conciliū.

verò facilè probatur ex cap. *significasti.* de electione. vbi scribitur: *Concilia generalia recipiunt authoritatem à Papa,* & cap. *ita Dominus*, *ex quo Dominus Jesus Christus munus potestatis clauium ita ad omnium Apostolorum ordinem pertinere voluit, vt in beatiss. Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua in corpus omne diffunderet:* ergo nec concilium, nec quæuis alia persona vlla iurisdictione gaudet, nisi quatenus sibi à Papa conceditur. Tertio: Concilium œcumenicum vel est ouile, vel pastor: non pastor, tum quia soli Petro & nulli alteri dictum est, *Pasce oues meas:* tum quia repræsentās ex principiis Vigorij & sequacium, maius repæsentato nō est, aliàs enim Prorex, vicarius Episcopi, legatus Pōtificis, Rege, Episcopo, & Pontifice quos referunt, maiores essent, quod nemo dixerit: igitur est ouile: atqui ouile supra se pastorem habet, non alium quàm Pōtificem Romanum, propter primatum Ecclesiæ illi à Christo commissum. Dices, concilium agnoscere Spiritū sanctum vt pastorem & directorem, qui legitimis conciliis ne à vero tantillum deuient, semper adest & præest. Respondeo, præter Spiritum sanctum caput inuisibile, aliud visibile prorsus esse necessarium, vt cōtra Nouatores huius sæculi defendunt doctores Catholici. Quarto, duo suprema capita & duo suprema tribunalia non minùs Ecclesiæ repugnant, quàm mundo duo Soles, regno duo reges, & vnicuique arbori duo erithaci: sic enim ad Imperatorem Iustinianum, qui Syluerium de sede expulerat, Episcopus Patharæ rescripsit: *Non sunt in mundo multi Papæ, sicut multi Reges, sed vnus ille est super Ecclesiā mundi totius.* Atqui constat Romanum pontificem esse supremum totius Ecclesię ca-

put,eiusque tribunal cæteris omnibus Ecclesiæ tribunalibus esse augustius & superius, cùm ab eo fas non sit prouocare: ergo concilium maius & superius Pontifice non erit, nec illi etiam æquale, sed inferius. Quintò ante concilium singuli Episcopi Romano Pontifici subiecti sunt,ergo & in concilio: Probatur consequentia,quia collectio in vnum, nouum ius non creat, saltem in Ecclesia,cùm suprema potestas Ecclesiastica,non ab Ecclesia, sed à Deo immediatè pendeat & conferatur. Sextò, non minùs Papa est Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, quàm quilibet Episcopus suæ diœcesis: at Episcopus non tantùm est singulorum subditorum, siue (vt loquuntur) diœcesanorũ, sed etiam totius collectionis eorum in vnum, caput: ergo & Pontifex non solùm singulorum Christianorum, sed etiam vniuersalis Ecclesiæ caput erit.Confirmatur; Episcopus enim primariò est diœcesis episcopus, secundariò verò & ex consequenti suorum subditorum. Igitur summus Pontifex primariò erit caput Ecclesiæ vniuersalis, secundariò verò omnium Christianorum,ac proinde cùm vniuersalis Ecclesia repræsentetur in concilio œcumenico,huius etiam erit caput, & superior. Septimò can. *Nemo 9.* quæst. *3. Nemo iudicabit primã sedem,neq; enim ab Augusto,nec ab omni clero,nec à Regibus,neq; à populo iudex iudicabitur.* & glossa in illo verbo *ab omni clero*, dicit quòd concilium non potest Papam iudicare,nisi in casibus quos supra attulimus. Octauò,Papa est proxim⁹ & immediat⁹ vicarius Christi,&qui oppositũ sẽtit, errat,vt ex articulis in Cõcilio Cõstãtiẽsi à Martino V.dãnatis cõstat:atqui proximo&immediato nihil est proximius&immediatius;

imo nec æquè immediatũ: sic enim essent duo alicui subordinata, æquè proxima & immediata. Et hoc authoritate D. Thomæ abundè confirmatur cap. 66. disputationis contra Græcorum errores: *Christi vicarius suo primatu & prouidentia Ecclesiam vniuersalem tanquam fidelis minister Christo subiectam seruat, & oppositum* (inquit) *est erroneum*. Postremò: regimen Ecclesiæ est Monarchicum, & à Christo non ab Ecclesia institutũ: pluralitas enim principatuum mala ex 12. Metaph, Εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς. ergo in Ecclesia admittendus est supremus monarcha, à quo omnes dependeãt, ipse verò à nullo quàm à Christo depẽdeat. Ad primũ Almaïnus respondet Pontificem non esse Ecclesiæ vniuersalis caput, sed tantùm Ecclesiarum particularium. Neque enim Põtifex est Ecclesię Dominus, sed tantùm minister & seruus, illudque ex Christi verbis colligi ait: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã*, non tuam, est ergo minister & non dominus, ac proinde inferior; *minor enim est qui ministrat, maior autem qui recumbit.* illudque ex cap. *Quamuis vniuersæ* 22. dist. confirmat. *Quamuis vniuersæ per orbem Catholicæ & Apostolicæ constitutæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sint, tamen sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed voce Domini, vbi* (inquit) *non dicitur Ecclesia Romana Ecclesiæ Vniuersali, quæ est Christi thalamus prælata, sed singulis Ecclesiis.* Ex quo colligit quoties dicitur Põtifex vniuersalis Ecclesiæ caput, hoc distributiuè pro omnibus Ecclesiis particularibus quarum caput & superior est Pontifex, esse intelligẽdũ. Sed hæc responsio non probatur sequeretur, enim summum pontificem etiam Ecclesiæ Romanæ aut etiam

Ecclesiarum disgregatarum caput non esse, cùm non sit illarum Dominus, sed minister; nec de iis ad arbitriũ possit statuere. Deinde si esse ministrum harum Ecclesiarum dignitatem capitis earum respectu non impediat, dummodo ex superbia, fastu & tyrannide non imperet: certè esse vniuersalis Ecclesiæ ministrũ supremam eius authoritatem pari iure non impediet. Quòd autẽ Ecclesia dicatur Christi, non Petri, hoc arguit Pontificem duntaxat Vicarium seu œconomum à Christo institutũ, & non caput ipsius pręcipuũ & indepẽdens. ad id verò quod citauit Almainus eum qui recũbit maiorẽ esse, & qui ministrat, minorẽ. Respondeo hoc in omnibus locum non habere, si quidem œconomus familiæ ministrans, super eam dicitur constitutus. Prorex item etsi vicario modo & loco alterius prouinciam regat, super eam tamen à Rege constituitur: quinimo etiam si Christus se ministrum asseruerit, Apostolos verò veluti recumbentes, nemo tamen citra impietatem statuat, Christum Apostolis suis inferiorem: Ideoque & si Papa minister sit Ecclesiæ vniuersalis, hâc tamen non erit minor aut inferior. Vnde ad canonem *Quamuis*, respõsio in promptu est, nempe ideo Pontificem pręlatum esse cęteris Ecclesiis, quia Ecclesiæ vniuersali à Deo præficitur, sicut ideo Episcopus est singulorum subditorum pastor & rector, quia in totam diœcæsim primò ac per se ius & potestatem habet. Secundò ergo respondet Almaïnus; Etsi Pontifex sit vniuersalis Ecclesiæ caput ministeriale, non tamen propterea necesse est quamlibet capitis humani & naturalis proprietatem illi conuenire, cùm Ecclesia non dica-

tur corpus Petri, seu Pontificis, sed Christi. ad Rom. 12 *Multi vnum corpus sumus in Christo.* Tertiò, respondet Papam esse vniuersalis Ecclesiæ pastorem quantùm ad administrationem Sacramentorum & pabuli spiritalis, non quoad iurisdictionis actus, siquidé duo priora à concilio œcumenico præstari non possunt, cum à singularibus personis, non à tota aliqua cõmunitate aut coacta multitudine verbũ Dei prædicetur, & Sacraméta ministrétur: actus tamen iurisdictionis, quales sunt præcipere, prohibere, permittere, punire, & absoluere cócilio optimè conueniunt, sicque in ratione iurisdictionis Põtifex cócilio erit inferior. Verùm hæc respõsio facilè refellitur, cùm Põtifex absq; cócilio actus iurisdictionis legitimè exercere nõ desinat, vt 3ª par. quęst. 1. contra Vigoriũ demõstrauimus. Ideo si quæ harum responsionum verisimilitudinem habeat, hoc secundæ magis quàm primæ & tertiæ cõuenit. Ad 2. respond. vbi concilium est à Pontifice congregatum, immediatè à Deo authoritaté suã accipere, vt in concilio Constantiensi sess. 4. definitur. vnde ex potestate congregandi concilij, quam habet Pontifex, malè infertur eum in concilium congregatum habere authoritatem. Ad tertium, concilium legitime congregatũ seorsim à Pontifice sũptũ, est, & nõ est ouile, diuersa comparatione: est ouile respectu administrationis sacramentorum, quia cõciliũ non ministrat Sacramenta, sed potius ei ministrantur; Prælati enim ex quibus conciliũ coalescit, si peccata habeant ab iis absoluuntur: nõ est vero respectu actuũ iurisdictionis, sed est veluti pastor & rector, cui omnes iurisdictionis actus conueniũt, cuiq; à Christo data est potestas fideles legibus obligãdi: sed quia

Conciliũ quatenus est actu coactum, authoritaté à Deo habere dicit Almainus.

Conciliũ gener. est & non est ouile diuerso respectu.

hi actus à cōcilio regulariter exerceri nō possunt, cum rarò congregetur, uni supposito vice totius Ecclesiæ Christus hāc iurisdictionis supremæ Potestatē cōtulit. Ad 4. nō sunt in Ecclesia propriè duo suprema capita, aut duo suprema tribunalia: est enim vna eadéq; potestas Pontificis & concilij non secus atq; in rebus ciuilibus. Regum enim & comitiorum generalium regia authoritate cōuocatorum potestas nullo planè modo diuersa est, etiāsi in cōcilio (vt inquit Almain.) ad plures actus extēdatur, quàm prout est in Pontifice; potest enim concilium generale leges de dispositione & electione Pontificis sciscere, quas tamen non potest ipse Pontifex, condere. Exemplum affert Episcopi & sacerdotis in quibus eadē est potestas, idemq; numero character, cùm tamen in Episcopo ad nonnullos actus extendatur, ad quos in sacerdote non extenditur. Ad quintum, ex Prælatis totius Ecclesiæ in vnū coeūtibus vna potestas resultat, quæ omnes alias potestates complectitur, & quæ in genere potestatis est totum aliquod integrale, cuius potestas Papalis est pars, eoq; sensu Prælati quatenus in concilio coeunt, nouū ius nouāq; potestatē acquirūt, non quidē pro se ipsis sigillatim sumptis, sed vt inter se cōueniūt. Secūdò respōdeo prælatos distributiuè acceptos nullā in Ecclesiā vniuersalē potestatē habere; at simul & collectiuè sumptos potestatē in illam habere, cuius cùm Ecclesia Romana pars sit, in Romanū Pontificē iurisdictionē etiā habere. Ad 6. respōdet Almain. disparē esse rationem episcopi particularis respectu suæ diœcesis, & Pontificis respectu Ecclesiæ vniuersalis, quia episcopus in ordine ad populū sibi commissum non tantùm vices suæ Ecclesiæ diœcesanæ gerit, sed etiam

Quomodo potestas concilij in pōtificem dicatur extendi.

Ecclesiæ vniuersalis. cùm enim Episcopus particularis aliquem anathemate percellit, priuat eum suffragiis totius Ecclesiæ; quod non faceret si eius vices aliquo pacto non gereret, ideóque mirum non est si Episcopus particularis, sua particulari Ecclesia sit superior, cùm non tantùm illius, sed etiam vniuersalis Ecclesiæ vices gerat: sed quia Pontifex in ordine ad omnes Christianos gerit tantùm vices Ecclesiæ vniuersalis, nec aliquid prętereà in eo reperire est, cuius beneficio Christianos omnes attingat, non potest vniuersalem Ecclesiam superare & præcedere. Ad septimum, omissis variis exceptionibus quas canon ille patitur; Respondet eum in criminibus vulgaribus, quæque generalem Ecclesiæ statum non subuertunt, aut labefactant, locum habere, non autem in his quæ toti Ecclesiæ scandalum afferunt, eiusque statum admodum perturbant. quæ responsio textui consentit, habetur enim, *Nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem.* Sed secus est, quando notoriè & enormiter hæc prima sedes Ecclesiam perturbat & cōmaculat, cuius praxis ex concilio Constantiensi manifesta est, in quo Ioannes II. propter varia scelera & crimina quibus Ecclesiæ dignitas maximè imminuebatur, à Concilio Constantiensi fuit depositus. Ad octauum, Papam esse immediatum & proximū Christi vicariū dupliciter potest intelligi: vno modo quòd immediatè à Christo nullo interueniente actu humano seu consensu subditorum in se vel in gerentibus eorum vices sit electus: quo modo constat nullum fuisse immediatum Christi vicarium in spiritualibus præter D. Petrum: altero modo quòd dicatur imme-

Quo sensu Papa est immediatus Christi Vicarius almaïno.

diatus Christi vicarius, quatenus potestatem immediatè à Christo institutam & Ecclesiæ corpori relictã exercet: quo sensu quilibet Pontifex est immediatus Christi vicarius. hoc tamen non obstat quominus ab Ecclesia dependeat, eiusque beneficio seu mediante ipsa, vt aiunt, papalem potestatem acceperit: exemplum affert Almainus, à Regibus qui iuxta Apostolũ dicuntur ministri Dei in vindictam malefactorum, non quòd singuli à Deo nullo interueniente actu humano, vel populi eligentis, vel naturalis cuiusdã originis Reges sunt constituti, sed quòd potestatem regiam à Deo institutam exercent. hæc tamen responsio refellitur; si enim propterea summus Pontifex diceretur immediatus Christi vicarius, quia Deus immediatè potestatem Papalem instituit, quam ipse exercet, quilibet Episcopi parœchi & Sacerdotes essent eodem iure immediati Christi vicarij, cùm potestatẽ à Christo institutam omnes exerceant, quod tamen contra Concilium Constantiense & Canones citatos apertissimè pugnat, hi enim aliquid amplius in Pontifice quàm in reliquis prælatis & Sacerdotibus, pro hoc immediato vicariatu statuunt. Dices vicariatum Pontificis esse ad totam Ecclesiam, Episcoporum verò & Parœchorum tantùm ad Ecclesias particulares & parœchias. Respondeo canones illos de vicariatu respectu obiecti, nempe Ecclesiæ non agere, sed de vicariatu respectu Christi quẽ dicunt ipsi Pontifici immediatè conuenire. Melius ergo ad argumentum respondebis, si dicas concilium vt & Papam, immediatam suam authoritatem à Deo & Christo habere: qua de re sequẽti quæstione: Ideoq;

ex hoc immediato vicariatu nihil meritò colligi contra authoritatem concilij. Auctoritatem verò D. Thomæ Doctoris licèt angelici, non magni facit Almainus, cum dicta illius, inquit, secundùm literam strictè accepta, fuerint plerisque doctrinæ eius zelatoribus, causa errãdi in hac materia: Io. vero maior notat quasdã D. Thomæ propositiones, quas ab errore nõ putat vindicari posse, vt: totũ realiter à suis partibus distingui, resolutionem fieri vsque ad primam materiam: accidentia quæ erant in corrupto, non manere in genito per potentiam extraordinariam: duos Angelos eiusdem speciei creari non posse. Ad postremum respondet Almaïnus regimen monarchicum non ideò tale esse, quòd vnus sit toto residuo superior, alioqui in ciuilibus, inquit, nullũ esset tale regimen, cùm Reges toto suo regno simul sumpto non sint maiores & superiores, sed ideo dici monarchicũ, quia vnus quolibet alio seorsim sumpto est superior, & cui data est potestas exercẽdi actus iurisdictionis in totum regnũ, quod regulariter seu ordinariè non est congregatum. Quæ responsio si vel mediocri attentione excutiatur, Regib⁹ & Põtificibus est valde iniuriosa. Alij ergo respõdent in cõcilio œcumenico esse Prælatos rerũ agẽdarum & decernendarum peritissimos; in comitiis verò regnorum tales personas non reperiri, cùm à populo qui non adeò sapit, diciq; solet bellua multorum capitũ, deputari soleant; ideoq; etiamsi regimen monarchicum in ciuilibus non tãtùm sit suprà subditos sigillatim sumptos, sed etiam supra comitia generalia: non tamen idem est iudiciũ de regimine monarchico in spiritalibus, vbi monarcha spiritalis singulis dũtaxat prælatis superior erit, nõ tamen iisdẽ in vnũ colle-

ctis Hæc ſunt vtriuſq. ſentētiæ pondera & argumēta, eorūdemq. ſolutiones quas ideò placuit adducere, vt prudens lector quod melius & cōſultius iudicauerit illud amplectatur. Dices, ſcholā Pariſienſem à ſuis pro concilio ſupra Papam aſſerendo exigere iuramētū, ergo me transfugā eſſe, & ſcholæ meæ deſertorē, qui contra illius ſtatutū relinquam nunc quæſtionē indeciſam & indeterminatā, méque idcirco Solonis lege teneri, qui neutrarū partium ciues ſuborta ſeditione damnabat. Reſpond. falſum eſſe ſcholā Pariſiēſem à ſuis tale iuramentū exigere. Interrogetur quæſo Edm. Richerius huius opinionis acerrimus propugnator, an in hanc ſententiā ſolemni ſacramēto iurauerit, vel de eo fuerit à maioribus ſuis interpellatus. & quamuis à baccalaureis eiuſdē ſcholę Theologicas diſputationes habentibus proteſtationes præmittantur, quibus ſe nihil contra ſcholæ decreta velle aſſerere palam & publicè profitentur, nullū tamen ea de re decretū à ſchola vnquā prodiit. Dices omnes & ſingulos Theologos Pariſienſes in articulos contra Lutherum tēpore Franciſci I. Galliæ regis editos iurare: At in his vbi de fidei regulis ſermo eſt, conciliū ſupra Pōtificē adſtruitur, vel ſaltem prius ordine recēſetur. Reſpōd. nō propterea eos qui in hos articulos iurāt, authoritatē concilii ſupra Papam iurare: quandoquidē in his articulis non fit expreſſa huius authoritatis mentio, vt ſatis conſtat: & licèt priùs conciliū quàm Pontifex recenſeatur, ex hoc tamē nō ſequitur illud eſſe prius & maius; poſteriora enim natura tanquam nobis notiora prius à philoſophis pertractantur. & in epiſt. ad Galat. Iacobus ante Petrū, quo tamē erat po-

Schola Pariſienſis non exigit iuramentū à ſuis pro cōcilio ſupra Papā.

sterior, nominatur. Certè vt Melchior Canus priùs de cõcilio quã de Põtifice disseruit, nõ quod illud supra hũc putaret; expresse n. contrariũ docet, sed quia Ecclesiã vniuersalẽ de qua tanquã de toto integrãte sibi dicendũ statuerat expressiùs repręsentat: sic etiã fortè ea de causa priùs conciliũ quàm Põtificẽ schola Parisiensis recẽsuit. Ad legẽ Solonis, quæ ciuem neutrarum partium damnabat, vno verbo dicam, me in hac quæstione non adeò nutasse, vel vt aiunt, amphibium aut amphidoxum fuisse; satis enim clarè mentem meã aperui, cùm dixi tempore schismatis, aut cùm Pontifex publicus est hæreticus, tunc à partibus concilij generalis standum esse: quando verò alta pace fruitur Ecclesia, & verum, certum, nulliusq; hæresis suspectũ sortita est Pontificem, sententiam meam aliter exprimere nolui, quã quòd neutra esset hæretica, neutra erronea, & neutra in ratione opinionis temeraria. Quod mihi consultiùs visum est propter turbas & contentiones nuperrimè in nostra Academia excitatas.

Vtrùm concilium generale suam potestatem immediatiùs à Deo habeat, quàm Pontifex.

QVÆSTIO IX.

VIGORIVS & Richerius partem affirmantẽ tuentur; est enim, inquiunt, Pontifex per & propter Ecclesiam, non è contra: vnde cùm propter quod vnumquodque tale, & illud magis; immediatius à Deo erit Ecclesiæ, quàm Pontificis authoritas. Vt id perspicuè explicemus supponendum est quod 1. parte demonstrauimus, Ecclesiæ vniuersali, aut si mauis, communitati nullam à Christo pote-

Ecclesiæ vniuersali nõ sunt à Christo claues traditæ.

sta-

ſtatem eſſe traditam, tum quia poteſtas eccleſiaſtica in veteri lege nõ erat penes totam Eccleſiæ communitatem, ſed tantùm penes tribum Leui, ex Deuter. 10. tũ quia poteſtas illi iure diuino, naturali aut humano conueniret, non duobus poſterioribus iuribus, quia cùm poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſupernaturalis, tam ex parte finis, nempe æternę beatitudinis, quàm ex parte mediorum, vtpote ſacramentorum, hoc vtroque iure tradita dici non poteſt. neque etiam iure diuino: cum enim Chriſtus ſit illius author, conſtat eum poteſtatem Eccleſiaſticam quibuſdam ſuppoſitis, non autem communitati contuliſſe, vt Petro Ioannis vltimo. *Paſce oues meas:* & Apoſtolis Ioannis. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur.* ex quo ſequitur concilio œcumenico vel nullã à Chriſto immediatè poteſtatem eſſe conceſſam; vel ſi quæ tradita ſit, eam à voluntate prælatorum inter ſe conuenientium, & ex ſuis poteſtatibus vnam totalem & communem ſtatuentium conſurgere. nihil quippe poteſt concilium quod ipſi prælati, licèt ſeorſim ſumantur, in Eccleſias particulares non poſſint, vt, leges ferre, excommunicationes decernere, dubiis emergentibus iuridicè reſpondere, & cetera id genus.

Eccleſiæ vniuerſali nulla eſt poteſtas tradita.

Dices concilium Conſtantienſe ſeſſ. 4. contrariũ definiuiſſe, vt ex contextu apparet, *Conciliũ generale Eccleſiam vniuerſalem repræſentãs immediatam à Deo habet poteſtatem.* Reſpondeo 1° concilium Conſtantienſe hac in parte intelligendum eſſe dũtaxat de tempore ſchiſmatis, & quando Pontifices incerti ſunt & dubij: tunc enim conſtat poteſtatem ſupremã nullo intermedio eſſe in Eccleſia. Secundò reſpondeo cõcilium imme-

diatam authoritatem tribuere concilio œcumenico quatenus Ecclesiam vniuersalem repræsẽtat; certum enim est Christum nullam Ecclesiæ vniuersali potestatem contulisse, sed solis Apostolis, eorumq; successoribus. Cùm ergo dicit cõcilium œcumenicum immediatam à Deo authoritatem habere, hoc intelligitur ratione prælatorum in vnum conuenientium, & ex suis potestatibus quas à Deo acceperunt, vnam quandam communem & totalem statuere volẽtium. Tertiò, si definitio huius concilij attentiùs expendatur, non propriè definit hanc immediatam à Deo potestatem in concilio prout Ecclesiam vniuersalem refert. Sic enim habet: *Concilium generale vniuersalem Ecclesiam repræsentans immediatam à Deo*, &c. vbi videre est hęc quæ de Ecclesiæ repræsentatione dicuntur potiùs esse expositoria & declaratoria, quàm definitiua. Secundò obijcies Christũ Matth. 18. Ecclesiæ potestatem dedisse his verbis: *Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. at nomen Ecclesiæ est collectiuum, communitatem fideliũ quæ apprimè relucet in concilio generali significãs. Verũ omissis iis quæ 1. parte de hoc Matthæi testimonio disseruimus, Respondeo primò vocem Ecclesiæ hoc loco non significare Ecclesiam vniuersalem, quia ad denunciandum fratrem incorrigibilem nec vniuersalis Ecclesia vocari solet, nec debet, neque etiam cogi concilium generale, quod eam referat; non significat etiam quamlibet particularem Ecclesiam, vtpote, Parisiensem, vel Rothomagensem; quia cùm quis peccauit, & emendari non vult, non oportet eius peccatum his Ecclesiis denuntiari: & si quædam particularis Ecclesia hoc loco significaretur,

Quid Christus intellexerit per hæc verba dic Ecclesiæ.

maximè ea cui D. Petrus pręesse debebat, & quæ aliarũ omnium caput futura erat, & de maioribus religionis causis iudicatura: sed hãc etiam non significauit, cùm non sit necesse ad eam pro denuntiatione fratrũ peccantium semper recurrere: ideoque Christus nomine Ecclesiæ (si volumus nomen hoc ad aliud quàm ad prælatum & pastorem extendere, ad quod tamen prima parte referendum esse diximus) significauit Ecclesiam indistinctè & indefinitè, quę ad domiciliũ fratris peccantis determinaretur. Actor enim qualis est denũciator forũ rei sequi debet: ex quo colligitur nihil efficere hunc Matthæi locum pro concilio generali quatenus vniuersalem Ecclesiam repræsentat. Secundò respond. nullã hoc loco Christum authoritatem dedisse, sed solùm supposuisse in Ecclesia ratione prælatorũ futurã authoritatẽ maximè efficacẽ; per quam scilicet excõmunicatus tanquã ethnicus & publicanus habẽdus esset. Tertiò obijcitur Act. 15. conciliũ Hierosolymitanum omnibus Ecclesijs ita rescripsisse: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*: ergo potestas quæ est in cõcilio, immediatè à Spiritu sancto proficiscitur. Respond. conciliũ immediatè à Deo authoritatẽ habere etiã ratione totius; & quatenus est collectio multorũ in vnum: siquidẽ definitiones, anathemata, absolutiones, & quæuis alia nomine totius cõcilij fiunt. cap. *decreuit* 88. dist. *Decreuit sancta Synodus*, nõ Põtifex, vel aliqui prælati. & cap. *Nimis* de iureiurãdo. vbi sũmus Põtifex, authoritate non propria, sed cõcilij decernit: tamen nõ ideò hãc habet authoritatẽ quòd Ecclesiã vniuersalẽ referat, sed quia spõtę & liberè cõueniunt ipsi prælati potestatem immediatam à Deo sortiti.

Concilij potestas immediata à Deo non est vt repræsentat Ecclesiam vniuersalem sed vt cõplectitur singulos Prælatos.

ex quorum potestatibus vna quædam communis & generalis consurgit. Quartò obiicies: Ecclesia potest largiri & concedere indulgentias (dantur enim indulgentiæ de thesauro Ecclesiæ, non Papæ) potest etiã condere canones latæ sententiæ, depositionis, & degradationis, cap. *Placuit*.8.qu.1. *Placuit vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur*. Item potest Ecclesia aliquem destituere & exauctorare, vt patet per cap. *ex gestis*. de clericis non residentibus. vbi Anastasius Cardin. dicitur canonicè depositus, eo quòd parœchiã suam per annos quinque cõtra statuta deseruerit: & sic discurrente per singulos actus iurisdictionis constat apertissimè nullum eorum concilij generalis potestatem excedere. igitur potestas Ecclesiastica primò & immediatè Ecclesiæ vel concilio generali eam repræsentãte data est. Respondeo verum esse omnes actus iurisdictionis coërcentis seu coërcitiuæ & directiuæ cõcilio generali & prouinciali cõpetere, sed eo modo quo diximus, scilic. quia vna totalis potestas ex vnione & aggregatione potestatũ Episcopaliũ, & potissimùm supremæ cõsurgit. Quintò obiiciunt verba Gregor ij can. Sicut sancti. *Vt sanctos quatuor Euãgeliorũ libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor*. & infrà redditur causa: *quia dum sunt vniuersali constituta consensu, se & non illa destruit, quisquis præsumit absoluere quos ligant, aut ligare quæ soluunt*. At authoritas Euangeliorum à Christo & Spiritu sancto immediatè pendet, cum eo dictante aut saltem specialiter suggerente descripta sint. Respondeo cõparationem hanc D. Gregorij in eo duntaxat valere & relucere, quod qua-

tuor generalia concilia æque sint infallibilia ac quatuor Euãgelia. vt enim sacris Euangeliis sic & sacrosanctis illis conciliis ne error vllus in fide obreperet, ad fuit Spiritus Sanctus. Deinde, esto cõparatio fiat in ratione authoritatis à Deo immediatè profectæ, nõ tamen propterea sequetur, quatuor generalia cõcilia eam ideò habuisse quòd Ecclesiam vniuersalẽ repræsentarent, sed potius ex voluntate & consensu prælatorum in vnum eumdemque locum ad cõtrouersias fidei terminandas, aut abusus aliquos tollendos conuenientium. Ex quibus colligitur nullã esse aliam in concilio potestatem, quàm quanta & qualis ex singulis Episcoporum potestatibus, potest consurgere: vnde quæstionem initio propositam facilè est dissoluere, immediatiùs nempe potestatem Pontificis quàm concilii à Deo profectam esse: cùm enim concilium aliam non habeat potestatem quàm quæ ex voluntate prælatorum consurgit, certè non potest æquè immediatè à Deo ac authoritas Pontificis emanare nihil enim inter Deũ & Põtificẽ intercedit in cõcessione potestatis: at verò inter cõciliũ & Deũ interuenit volũtas prelatorum, qua ex omnibus suis potestatibus vnã aliquã totalẽ & integralẽ cõflare voluit. Adde cum potestas cõcilii, quatenus cõcilij, sit iurisdictionis & nõ ordinis, nos verò 1ª parte ostenderimus, quamlibet iurisdictionis potestatẽ à summo Põtifice tanquã à capite, fonte & radice dependere, sequitur profectò Pontificẽ multò immediatiùs à Deo suam habere potestatẽ quàm conciliũ, præsertim cùm nũquam sit legitimum concilium regulariter loquendo, quam provt authoritate Pontificis est indictum

Potestas Papæ est immediatius à Deo potestas concilij.

& coactum. Dices me hoc loco Papã supra conciliũ astruere: nam si in concilio nulla alia sit authoritas quàm ea quæ est patrũ singulorũ, manifestè sequitur concilium non esse maioris potestatis, quàm sit Papa, qui in omnes & singulos patres habet authoritatem. Respondet Franciscus à Victoria relectione 2ª ad solutionem primi argumenti, quòd vndecumque concilium habeat potestatem, siue à repręsentatione Ecclesiæ vniuersalis, siue à singulis potestatibus prælatorum, iure tamen dici potest non esse maiorem in Papa potestatem, quàm in concilio; sicut in concilio prouinciali non est maior in Archiepiscopo, quàm in reliquo concilio: licèt enim in singulas prælatorum potestates habeat summus Pontifex authoritatem, non tamen propterea sequitur quando hæ potestates sunt inter se vnitæ & ex iis consurgit communis aliqua potestas totalis, illum esse his maiorem & superiorem.

Vtrùm decreta Pontificis sint maioris certitudinis, quàm decreta concilij œcumenici.

QVÆSTIO X.

INEXTRICABILIS ferè est hæc comparatio; cùm enim constet Pontificẽ in condendis fidei morumque canonibus absolutè esse infallibilem, itemque concilium legitimè congregatũ, & legitimo modo procedens errare non posse, controuersia est, eaque grauis & ardua; cuiusnam decretum maioris sit certitudinis & firmitatis,

Põtificis ne an potius cõcilij. Id vt faciliùs explicetur, ſcire oportet, bifariam aliquid dici certum & conſequenter quouis altero certius. 1° ratione obiecti quatenus eſt immutabile, firmum, & aliter quàm creditur eſſe non poteſt V. G. poſt hanc vitam credimus iuſtorum beatitudinem, & impiorum damnationem: quæ à parte rei poſita reuelatione diuina, omninò ſunt immutabilia, potiúſque cælum & terra tranſirent quàm iſta non eſſent. 2° ex parte ſubiecti quatenus ſcilicet certò, firmiter & incunctanter ei adhærem⁹: de vtroq; certitudinis modo quæſtio hęc mouetur; an quod à Pontifice definitur ſit certius & immutabilius eo quod à concilio, & an firmius atque conſtantius ei debeamus adhærere, maioremque fidem adhibere.

Aliquid duobus modis poteſt dici certum.

Quod ad primum, qui ſtant à partibus Pontificis multa proponunt. Primùm concilia nullius abſque authoritate ipſius eſſe roboris, illius enim eſt non ſolùm ea indicere, ſed etiam eorum decreta firmare: cùm tamen quæ à Pontifice decernuntur non neceſſariò concilij confirmationem poſtulent. etſi enim nonnumquam contingat ea in conciliis confirmari, illud tantùm fit vt non ampliùs de eorum definitione à Pontifice iam infallibiliter facta dubitetur: atqui propter quod vnumquodque tale, & illud magis: igitur Pontificis decreta certiora erũt, magiſque immutabilia quàm cõciliorũ decreta. Secũdo locus eſt prouocationi à concilio ad Papam, ſiquidem Flauianus à concilio Epheſino, Athanaſius à concilio Euſebianorum, & plerique alij, quos ſupra recenſuimus, à conciliis damnati ad Eccleſiã Romanã

Argumẽta quibus decretum Pontificis dicitur esse certius & infallibilius.

tanquam ad superius tribunal prouocarunt: Atqui id ad quod prouocatur non tantùm superius censetur, sed etiam multò firmius & infallibilius; siquidem iudicium Primatis certius est iudicio Archiepiscopi, & hoc iudicio Episcopi: sicq; deinceps vsque ad supremum Pontificem, qui ex vi orationis Christi est prorsus infallibilis. Tertiò, edictum Papæ statim vt ab eo manauit absque vllo concilij generalis iudicio vim habet: at decreta conciliorum non priùs fideles obligant quàm Pontifex ea cõfirmauerit, & toti Ecclesiæ proponenda censuerit. Quartò: In Scripturis vnum tantùm suppetit pro conciliorum authoritate, seu mauis, validitate testimonium Matth. 23. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* quod testimonium varias patitur exceptiones, quia nec ibi de conciliis Episcoporum sermo est, sed de quauis fidelium congregatione, nec Christus ad quẽcúque effectũ ibi promittit se affuturũ: neque prætere pollicetur se illos ad infallibiliter de fide & moribus iudicandum, directurũ, & adiuturum. Hic enim Scripturæ locus intelligi tantùm debet de iis qui cõgregantur, vt aliquid à Deo obtineãt. Subditur quippe posteà: *De quacumque re petierint, fiet illis à Patre meo.* Sed vtvt sit de hoc testimonio ad conciliorum firmitatem & infallibilitatem assumpto, valet tamen duntaxat ex argumento à minori ad maius, nempe quia si duorum aut trium fortè ad priuatã vtilitatem conuenientium congregationi Christus adest, multò magis concilio œcumenico aderit patribus inibi pro causa fidei aut Ecclesiæ disciplina congregatis. Cùm ergo testimonium quo conciliorum infallibilitas nititur

titur

titur, non adeò sit expressum, totq; & tam varias exceptiones patiatur. Testimonia autẽ Scripturæ quibus Pontificis infallibilitas adstruitur & euincitur, multò sint luculentiora & expressiora: *Oraui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu conuersus confirma fratres tuos:* (quod de successoribus etiam intelligendum esse suprà pluribus demonstrauimus) Pontificis iudicium, non poterit non esse iudicio concilij infallibilius & immutabilius. Quintò, contingit aliquando patres concilij dissentire, vt in cõcilio Nicæno Arius septẽdecim Episcoporum vota sibi suffragantia habuit. Atqui in vno Pontifice hæ dissensiones non exurgunt; idem enim à seipso nũquam diuiditur aut discordat. igitur eius iudicium cùm sit maximè vnum indiuisũ, & à Spiritu sancto directum, erit multò certius quàm iudicium concilij: quod exemplo Caiphæ liquet qui cum esset Pontifex anni illius, solus rem acu tetigit verèque definiuit cùm alij inter se maximè dissentirẽt. Huc pertinet aurea Gregorij Naziãzeni sententia *Quodcunque concilium Episcoporum fugio, quia hactenus nullius vnquam concilij bonum finẽ vidi.* Vbi non solùm de Arianorum conuenticulis loquitur, sed & de alijs Catholicis & legitimis congregationibus, quarum exiguum fructum propter tumultuãtes Arianos viderat, vt nos in Galliâ qui nondum sacrosancti Concilij Tridentini vtilitatem, ob nimiam hæreticorum & schismaticorum libertatem experimur.

Argumẽta quibus suadetur decreta conciliorum esse fallibilia.

Qui pro cõcilijs pugnant, hæc proferunt. Primum quod ait Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 18. & lib. 2. cap. 1. & 9. *Concilij generalis sententia est totius*

Ecclesiæ sententia: Atqui sententia totius Ecclesiæ sententiæ vnius partis licèt præcipuæ præponderat, vt docet ratio naturalis. Secundò certius est iudicium, quod plurimorum sententiis corroboratur dist. 64. can. *Extra conscientiam*: & ex Philosopho in Politicis *Plus vident oculi, quàm oculus*. cui conforme illud est can. *de quibus*. dist. 20. *Facilius inuenitur quod à pluribus senioribus quæritur*. Atqui in concilio non vnus, sed plures, imo omnes post longam & sedulam rei propositæ discussionem iudicium ferunt. Tertiò, illud est certius, quod nequidem à Pontifice potest reuocari: at statuta conciliorum irritari nequeunt 25. quæst. 1. can. *Contra statuta*. ex Zozimo Papa. *Contra statuta patrum aliquid condere, nec huius quidem Sedis potest authoritas*. Quartò ex Gregorio. can. *sicut sancti*. Decreta quatuor primorũ conciliorũ Euãgeliis æquantur: at quæcũq; in Euãgelio literaliter & expresse cõtinẽtur, definitione Pontificis multò sunt certiora; nam vel à Spiritu sancto dictante, vel saltem ita specialiter assistente, vt ne leuissimum quidem mendacium nedum error aliquis obreperet, edita sunt & inspirata. Quæ autem à Pontifice definiuntur, non nisi præuia consultatione definiuntur, neque illis adeò immediatè ac scriptoribus canonicis præsto est Spiritus sancti auxilium. Sed vt nos sententiam dicamus in re ambigua & difficili, sit

Prima conclusio. In decisione seu determinatione doctrinali concilium superat Pontificem, quia plus vident oculi, quàm oculus: vbi multa concilia, ibi salus; &, multitudo sapientũ sanitas est orbis terrarum: neque solum concilium, sed & Theologorum

collegium hoc modo Pontificem facilè ſuperat. hæc enim determinatio ex rerum ſacrarum ſcientia & maturiori iudicio potiſſimùm dependet, in quibus Pontifex à priuatis doctoribus & Epiſcopis interdum ſuperatur. Et hæc concluſio ab ijs doctoribus qui cõcilium ſupra Pontificem ratione diſcretionis & ſecũdùm vim directiuam ſtatuunt, aſſeritur, vt Boëtius Epiſcopus tractatu de prouocatione à Pontifice ad cõcilium: Cordubenſis lib. 1. q. 1. propoſ. 8. & Gimontius tractatu contra Richerium circa medium.

In deciſione doctrinali conciliũ ſuperat Põtificẽ.

Secunda concluſio. In determinatione fidei authoritatiua & iudiciali, vt loquuntur, id eſt, in eorum quæ quiſque tenetur credere determinatione, concilium non eſt ſupra Papam. nam & ſi concilium œcumenicum legitimè congregatum, & legitimo atque canonico modo procedens ſit infallibile, etiam ante Põtificis confirmationẽ, vt diximus, eius tamen decreta fideles poſitiuè non obligant, nec anathema decretis appoſitum quemquam iure ferire poteſt, donec calculus confirmationis pontificiæ acceſſerit. Quare in determinatione iudiciali fidei decretum Papæ concilij decreto præponderat.

In deciſione iudiciali Papa ſuperat cõcilium.

Tertia concluſio. Impoſſibile eſt manente ſtatu Eccleſiæ Pontificem & concilium diuerſa ſentire, & ſibi inuicem aduerſari: ita vt quod Pontifex ſemel cõſtituit, id concilium œcumenicũ legitimè procedens, deſtruat & condemnet. Cùm enim vtrumque etiamſi ſeorſim ſumatur, errare nequeat, & veritas propoſitionis alicuius vna ſit, non multiplex, aut diuerſa, neceſſe eſt Papam & conciliũ idem de re propoſita ferre iudicium; ideò quæſtio hæc, quæ potius ſentẽtia præ-

ferri debeat, quando Pontifex & conciliũ dissentiunt, inanis est & nulla, ex hypothesi merè imaginaria procedens; neque enim id vnquam potest in Ecclesia cõtingere, idémque est de maiori parte concilij iudicãdum (quamuis hoc posterius non adeò constanter ausim affirmare, cùm infallibilitas Ecclesiæ non singulis aut maiori parti sit concessa) quia maior pars moraliter est concilium, nec hactenus in Ecclesia visum fuit maiorem partem concilii legitimo modo procedẽtis, falsum definiuisse. Hæc igitur comparatio vana est, & planè superuacanea, tantúmque scrupulos & scandala fidelibus præbet. Si tamẽ cõtingere posset (quod non credimus) inter vtrumque contrarietas, cùm certum sit Pontificem seorsim à concilio vi orationis Christi priuilegio infallibilitatis gaudere, neque verò tam certò constet maiorem concilii partem contra minorem in definienda veritate præualere, tunc sententiæ Pontificis contra concilii maiorem partẽ omninò adhærendum ac firmiter stãdum esset. siquidem vt disertè monuit Melchior Canus lib. 5. de locis cap. 5 *Vbi de fide quæstio est, non ita oportet plurimorum sequi iudicium, nec in conciliis sententiam ex numero suffragiorum metiri, sed potiùs ex pondere & grauitate eorumdem; vsu enim frequenter euenit, vt maior pars vincat meliorem.* Certè quemadmodum sapientes paucissimi, stultorũ verò infinitus est numerus: ita in rebus fidei disquirẽdis & definiendis, plures à recto deuiare, & paucos scopum attingere sæpius contingit Quadringẽti prophetæ Achab mẽtiti sunt 3. Reg. 22. Et ex ore Micheæ solius inter alios propterea contemptibilis veritas egressa est. Ideo Damasus ad Episcos per

In conciliis fidei non psemer est attendenda maior pars suffragiorũ.

Illiricum constitutos scribens, numerum concilii Ariminensis facilè contempsit, tantæque multitudini Vincentium opposuit & alios paucos qui huic concilii sententiæ contradixerant & reclamauerant. & Leo I. cum Anatholius decretum Calcedonensis synodi pro primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ sexcentorum triginta Episcoporum consensione iactaret, *Quasi*, inquit, *refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, nulla sibimet de multiplicatione congregationis concilia blandiantur. Nec trecentis illis decem atque octo copiosior numerus Sacerdotum comparare se audeat, vel præferre, cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur; omni penitus authoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.* hactenus Leo. Ex quo manifestissimè constat sententiam maioris partis contra minoré in veritate decernéda non semper præualere, vbi præsertim minor pars legatis Pontificis adhæret & consentit, vnde si fidei definitionem instar actionum, & iudiciorum quæ inter homines fiunt, ex numero suffragantium metiamur, ruet prorsus fides nostra. Vt enim stella quæ magis illuxit duxitque ad præsepium, simulatque Hierosolymam ingressi sunt, & ab hominibus vbi Christus natus esset, quæsierunt, visa est extingui, & humanũ quęrentes auxilium, diuinum amiserunt: sic cum humanis coniecturis, qualis est hæc suffragiorum pluralitas, in rebus fidei definiendis nitimur, & Ecclesiæ negotium, quod est omninò diuinum, reddimus humanum tunc supernaturale Spiritus sancti auxilium. amittimus, aut illud quodam modo videmur con-

temnere. Adde secũdũ conciliũ generale ex centum quinquaginta Patribus coactum, quod Gregorius Euangelii loco habet ac veneratur: & quartũ nempe Calcedonense ex sexcentis & triginta patribus constans in pari veneratione & honore haberi ab vniuersa Ecclesia: Imo si inter hæc duo cõcilia fiat cõparatio, in nulla re Ecclesia à secundo generali discessit: à quarto tamen pro dignitate Ecclesiæ Constantinopolitanæ (quod tamen fidei decretum non erat) dissensit: neque illius decretum D. Leo eiusque successores ducentis annis confirmare voluerunt. Quamobrem Põtificis grauitas & authoritas tanti in conciliis ponderis esse debet, vt si ea adsit, pauci ad verè & iudicialiter definiendum sufficiant: si desit, nulli quãtumlibet multi, satis esse possint.

Comparatio 2. concilij generalis cũ quarto.

Atenimverò, inquies, si in concilio vniuersi patres contra legatos Pontificis sentiant, eritne tunc concilii totius verbis decretisque standum neglectis legatis? Respondeo primùm talem contradictionem nunquam in Ecclesia contigisse. ad id enim quod refertur de concilio Ephesino secundo, in quo sentẽtia Dioscori pro Eutychianis, legatis reclamantibus, approbata est: dicendum est hoc concilium, licèt legitimè congregatũ, legitimo tamen modo non processisse, fuisseque potius latrocinium quàm conciliũ, & quicquid in eo accidit, arte, minis & terroribus Dioscori accidisse: sicut & in cõcilio Ariminẽsi (quod iam notauimus) Valẽtis & Vrsatij dolo & fraudibus, vbi illud ὁμοούσιον damnatum est, & confirmatum ὁμοιούσιον. Si tamen contingeret (quod moraliter est impossibile) vbi concilium est verè œcumenicum le-

Quid agẽdum cum omnes patres dissẽtiunt à legatis,

gitimè congregatum, & in cuius progreſſu nemini ſit fraus, vis aut iniuria, nulluſque adſtantium animi motu aut paſſione præpeditur; ſed omnes veritatis amore ducuntur) diſtinguendum eſt; vel enim legati à Pontifice cum præuia inſtructione miſſi eſſent, & tunc in hac contradictione mallem cathedræ Petri cum Hieronymo, Auguſtino, cæteriſque antiquis patribus adhærere, quàm ab ea minimùm recedere; vel eſſent abſque inſtructione miſſi, & tunc cohiberem aſſenſionem meam, donec Pontifex mentem ſuam ex cathedra aperiret, & in iſto interuallo hæc ſuſpenſio iudicii ad meritum potius quàm ad culpã eſſet referenda. Dices, hoc cum tertia concluſione pugnare; Dixi enim contrarietatem in decernendo inter Pontificem & cõciliũ generale oriri non poſſe, cùm vtrũque à Deo infallibiliter adiuuetur, atque ad verum & bonũ dirigatur. Reſpondeo, cùm legati à patribus concilii diſſentiunt, tunc non eſſe integrũ concilium, ſemper enim vt integrum ſit & omnibus ſuis numeris abſolutum, cum Pontifice ſaltem per legatos præſidente, debet accipi: Ideoque vbi legati diſſentiunt, ſiue inſtructionem Pontificis habeant, ſiue non, tunc non eſt perfectum concilium.

Vtrùm ſummus Pontifex legibus conciliorum ita teneatur, vt de iis diſpenſare nequeat.

QVÆSTIO XI.

VIGORIVS cap.3. num.4. conferens monarcham ſæcularem cum ſummo Põtifice, illũ quidem ſupra leges ciuiles conſtituit, hunc verò ſub legibus conciliorum cum generalium tum

particulariũ, quæ principes authores habuerunt. Expressus textus eſt (inquit) can. *de capitulis*. diſt. 1. qui eſt Leonis ad Lotharium Auguſtum: *De capitulis & præceptis imperialibus veſtris* (loquitur de capitularib⁹ Caroli magni, & Ludouici Pij, *veſtrorumq; Pontificũ prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſeruandis quãtũ valuimus & valemus Chriſto propitio: & nũc & in æuũ nos cõſeruaturos omnibus modis profitemur, etſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus eſt, ſciatis eũ pro certo mendacem.* Verùm de hoc ſchiſmatico dogmate ſaltẽ quod ſpectat ad leges conciliorum particulariũ quæ principes authores habuerunt, cùm iam ſatis 3ª parte & alibi diſſeruerimus, non eſt neceſſe plura hoc loco enotare, aut in eo iam refutato diutius immorari: ad Leonis textum duntaxat reſpondeo, Leonem profiteri ſe legem ſeruaturum, & fateri ſe eſſe illi obnoxiũ, longè eſſe diuerſa: vnumque optimè poſſe abſque altero reperiri. Reges quippe leges à ſe conditas ſe obſeruaturos profitentur. *Digna vox eſt maieſtate regnantis, ſe legibus ſubditum ſentire, & iuſta*, ex Iſidoro 3° Sẽt. cap. 52. *Vocis regum eſt authoritas, ſi quod populis prohibent ſibi licere non patiantur*: Nemo tamẽ propterea dicet Reges eſſe ſuis legibus ſubditos. Quamuis ergo Leo Pontifex ſe capitula & præcepta imperialia ſeruaturum profiteatur, non ideo ſequitur eum illis eſſe obnoxium & alligatum. Chriſtus legem veterem in rigore obſeruauit, licèt illius eſſet Dominus, nõ ſubditus Matth. 12. *Dominus ſabbathi eſt filius hominis.* De quo propterea prædixerat Iſaias: *cuius Imperium ſuper humerũ eius.* id eſt, vt habet Paraphraſtes Chaldaïcus, *ſuſcepit legem ſupra ſe vt ſeruaret eam.* Virgo etiam Deipara

Aliud eſt profiteri ſe legem ſeruaturũ & aliud eſt eſſe illi obnoxium.

para legi Purificationis non erat obnoxia, quam tamen ad euitandum ſcandalum, & ad obedientiæ & humilitatis exemplum perfectè obſeruauit.

Tantum itaque hoc loco reſtat inueſtigandũ, an Pontifex legibus conciliorum generalium ita teneatur, vt eas non tantùm ipſe obſeruare debeat, ſed etiam cum nullo de iis diſpenſare poſſit. Vt quęſtionem definiam admonuerim imprimis leges cõciliorum eſſe triplicis generis: aliæ ſunt iuris naturæ, vt prohibitio fornicationis, vſuræ, duellorũ, magiæ, & ſimilium; quæ quia in nonnullis hominibus lumen naturæ aut eſt penitus extinctum, aut ſaltem admodum obſcuratum, nouis quibuſdam decretis refricari debent, vt in memoria altiores agant radices. Aliæ ſunt iuris diuini vt quæ ad fidem & ſacramenta pertinent, & in conciliis, ne quis earum ignorationem cauſetur, nõnunquam explicantur & ſtatuũtur. De his legum generibus nulla eſt controuerſia; omnes enim ad vnum, fatentur ſummum Pontificẽ illis eſſe non minùs obnoxium, quàm fideles omnes, atque adeò de illis non poſſe quoquomodo diſpenſare. ex D. Thoma 1ª 2æ quæſt. 88. art 10. *In his quæ ſunt de lege naturæ & in præceptis diuinis non poteſt cadere diſpẽſatio.* Notandum tamen eſt his legibus non adſtringi Põtificẽ, vt ſunt à cõciliis latæ, ſed vt ab authore naturæ, nẽpe Deo; vel authore gratiæ, ſcilicet Chriſto-ſancitæ ſunt & impoſitæ. Aliæ deniq; ſunt iuris merè Eccleſiaſtici, de quibus nõ mediocris cõtrouerſia eſt. Qui enim cõciliũ ſupra Papã ſtatuunt, cõſequenter affirmãt de cõcilij legibus Papã nõ poſſe diſpenſare, niſi fortè in caſibus, in quibus cõciliũ ipſũ, ſi pręſens

Tria genera legum cõciliariũ.

esset, dispensaret: aiunt verò isti concilium ita posse Pontificis potestatem restringere & limitare, vt aliquem ab eius potestate & iurisdictione ex causa rationabili possit eximere. quod vltimũ minime ferẽdũ absq; præuio authore quẽ sciã, affirmauit Gersoni, ex Victoria relecti, quarta proposit. 16. Qui verò ẽ contra Papã supra concilium adstruũt, absolutè negant Pontificem legibus conciliorum teneri, ipsumque de iis, si merè sint Ecclesiasticæ, posse ex causa cum quouis Christiano dispensare. Nos clarè & ingenuè mentem nostram aperiemus, & quidem siue concilium supra vel infra Papam cõstituatur; neutri enim parti contradicere intendimus.

Non spectat ad subditos definire quid Papa possit, & quid non.

Prima conclusio, quam defendunt Victoria loco citato, & Cordubensis quæst. 7. de potestate Papæ, §. 3. non spectat ad subditos definire quid Papa possit, & quid non, & quibus casibus illi sit parendum, vel non. primùm, quia sacrilegium est, de Principis potestate disputare 17. quęst. 4. can. *Si quis* §. *Committunt*: at Papa est princeps & Monarcha. *Simon Petre, antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam principem te constitui.* Secundò determinatio potestatis alicuius, ad quid nempe & quantum iure possit extendi, vel non, est actus iurisdictionis, & pars quodãmodo gubernationis quam certum est subditis respectu superiorum minimè conuenire. Tertiò, si hæc determinatio subditis permitteretur, magnũ inde potestatis Ecclesiasticæ damnũ sequeretur, si quidẽ subditi libertatis amore, excœcati potestatẽ Pontificis indies minuerent, eamque despectui haberent, & in rebelliones atque seditiones facilè

degenerarent; quiſque enim poſſet dicere Papam hoc aut illud non poſſe, ſicque tota Eccleſiaſtica hierarchia funditus euerteretur. Quarto, Magiſtratus in Gallia non permittit vt ſubditi de ſui Regis potentia diſputent & determinent: ergo pari iure non eſt in Eccleſia ferendum, vt priuati de poteſtate Papæ ſupremi Eccleſiæ paſtoris tam liberè tamque audacter diſputent & definiãt. hæc tamẽ concluſio, vt monet Cordubenſis, de determinatione iuridica, non autem doctrinali, ſaluo honore Pontificis facta intelligenda eſt.

Secunda concluſio. Poteſtas Papæ non poteſt per concilium ita limitari, reſtringi, aut impediri, vt ſi de aliqua lege Eccleſiaſtica diſpenſet Papa, diſpenſatio non valeat, & hanc diſpenſandi poteſtatem non tantùm habet in ſimplicibus conciliorum decretis, ſed & in iis in quibus hæc clauſula (quamlibet diſpenſationem etiam Papalem irritans) continetur. Prior pars concluſionis probatur: primùm, quia neceſſe eſt in Eccleſia dari quandam poteſtatem diſpenſandi de legibus Eccleſiaſticis pro varietate locorum, temporũ, & perſonarum. can. *Regula* diſt. 19. *Regula ſanctorum patrum, pro varietate temporum & locorum temperatur.* Atqui hęc poteſtas in ſolo concilio eſſe nequit, aliàs maxima in Eccleſia perturbatio ſequeretur. cùm enim diſpenſationes ferè indies ſint neceſſariæ, vt experientia conſtat, & concilium, ad quod recurrendum eſſet, vix ac ne vix quidem in vno ſeculo ſemel congregetur, nullæ vnquam aut pauciſſimæ fierent diſpenſationes. igitur neceſſe eſt poteſtatem diſpenſandi de his legibus in ſummo Pontifice reſidere, ad

Poteſtas diſpenſandi Papæ nõ poteſt per conciliũ limitari.

quem cùm opus est facilè recurritur. Secundo, Pontifex est supra omne ius positiuum vndecumque sit, siue à conciliis generalibus, siue à suis prædecessoribus. cap. *Significasti.* de electió in 6. cap. *Cum dilectio.* &cap. *Quia.* de consanguinitate& affinitate: quod etiã expressè docet D. Thomas opusculo contra impugnantes religionem. *Omnia statuta SS. Patrum dispensationi Papę relicta sunt, vt possit ea mutare, vel de iis dispensare secundùm temporum & negotiorum opportunitatem.* Et Hincmarus Rhemẽsis vt Gallos Galli Episcopi testimonio confundamus: *Facultatem* (inquit) *temperandorum siue mutandorum canonum potestati summi Pontificis adiacere non dubitamus.* Tertiò, Pontifex est generalis Christi Vicarius, in plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ assumptus Matth. 16. *Quodcumque solueris:* & Ioannis vltimo. *Pasce oues meas.* & cap. *Proposuit.* de concessione præbendæ. Igitur, vbi ad Ecclesiæ bonũ, aut animarum salutem dispensatio necessaria iudicatur hãc legitimè potest Pontifex concedere, quæ semel concessa in vtroque foro tam externo, quàm interno, recipitur & valet. Quartò, concilium à quo lex manat, potest legatum vel Vicarium constituere (loquimur hîc ex sententia eorum, qui concilium supra Papam adstruunt) qui de lege opportuno tempore & ex causa rationabili & iusta dispẽsabit: at absurdum est hunc legatum seu Vicarium plus posse circa legum concilij dispensationem, quàm possit summus Pontifex immediatus Christi Vicarius, cui vniuersaliter dictum est; Quodcũque solueris, solutum erit. Postremò, impedimenta matrimonium dirimentia, quales sunt quidam affinitatis & consan-

Cõcilium potest Vicarium creare ad dispensandum.

guinitatis gradus, sunt à cōciliis præscripta, cap *Non debet.* extra. de consanguinitate & affinitate. quod in concilio generali sub Innocentio III. decretum ratumque fuit; & tamen quotidie de iis Papa dispensat, saltem de tertio & quarto, nec vllus in Ecclesia de vi aut valore dispensationis dubitat.

Et huic conclusioni non solùm ad stipulantur ij qui partes Pōtificis tuentur, sed etiā qui stāt à partibus cōciliorū generaliū. Ex his autem quæ hactenus docuimus, facilè infertur Papā posse legē cōcilii, vel in toto vel in parte abrogare. Quamuis enim abrogatio dispensatione sit difficilior & iuris maioris, quia dispensatio legem non tollit, sed in aliquo casu propter causam rationabilem & iustam ab eius obligatione aliquem soluit; abrogatio verò legem istam cum sua obligatione omninò reuocat & rescindit: nihilominus quando in bonum Ecclesiæ vniuersalis talis, abrogatio vtilis aut necessaria iudicatur, & concilium difficillimè potest congregari, Pōtifex pro suæ potestatis plenitudine legem illam potest pœnitùs abrogare. Nemo enim negauerit Pontificem tantum posse & multò plura quàm consuetudo possit: at consuetudo leges quaslibet conciliares abrogat, vt inter alias, legē illā in cōcilio Hierosolymitano latā de abstinentia à sanguine & suffocato; iādudū enim hæc abstinētiæ lex per totam Ecclesiam consuetudine in contrarium abeunte cessauit, planeq; exoleuit.

Differentia inter abrogationē legis & dispēsationē.

Potest Pōtifex legis conciliorum abrogare.

Posterior pars conclusionis: videlicet summum Pontificem dispensare posse in illis etiam conciliorum legibus, quibus hæc clausula (quamcunque dispensationem etiam Papalem irritans) est apposita,

haud difficulter confirmatur, & quidem manendo intra limites eorũ qui conciliũ ſupra Papam adſtruunt. Primum quia papa non eſt concilij generalis vicarius, nec ſuam diſpenſandi poteſtatem ab eo habet, ſed à Chriſto Matthæi 26. & Ioannis 21. vt toto ferè libro latiſſimè probauimus: ergo non poteſt conciliũ quacumque clauſula appoſita poteſtatem Pontificiam diſpenſandi, reſtringere, aut impedire. Sicut enim ideo nullus nedum concilium œcumenicum poteſtatem ordinis ſacerdotalis limitare, aut impedire poteſt, quominus vbi debito ſubiecto applicatur in actũ non exeat, quia ordo ſeu character qui ab hac poteſtate non differt, eſt à Chriſto, non à concilio: Sic neque poteſtatem Pontificiam diſpenſandi poterit vllo modo reſtringere aut impedire concilium, quia hanc vni Chriſto, non ipſi concilio acceptam refert, debetque ipſe Pontifex. Dices, poteſtatem diſpenſandi eſſe iuriſdictionis, & non ordinis. Eſto, ſed in vtraque hoc eſt commune, quòd in Pontifice vtraque ſit à Chriſto & non à concilio, & ideò ſi vna ſuſpendi non poſſit aut limitari, ita nec altera. Secundò, vel leges conciliorum iuriſdictionem Papæ ſuperant, vel non; ſi non excedant, ergo de iis poterit legitimè, non obſtante clauſula irritante, diſpenſare. fruſtrà enim clauſula hæc reſpectu Papæ erit addita. Si excedãt, ergo quãtumuis clauſula irritans non fuerit appoſita, nullomodo de iis diſpenſare aut eas abrogare, vel in toto vel in parte poterit: Atqui ſuprà oſtendimus hoc eſſe abſurdiſſimũ, & Eccleſiæ valde pernicioſum; neceſſe enim eſt, vt in Eccleſia ſit aliqua poteſtas de legibus conciliaribus diſpenſandi, & quidem in altero

Poteſt papa diſpenſare de legibus cõciliorum nonobſtãte clauſula irritãte.

quam in concilio, cum concilium rarò congregetur. Ille autem alter Pontifex est, supremus Ecclesiæ vniuersalis pastor. Tertiò ex supradictis liquidò constat Pontificem respectu legum conciliarium, non minùs posse, quàm possit consuetudo. At consuetudo potest ea etiam decreta quibus clausula irritans aut impediens quamcumque dispensationem, est apposita, antiquare, irrita reddere, & omnem eorum obligationem penitùs tollere. Si enim maius possit, nempe legẽ ipsam penitus tollere, vt supponimus, & omnes fatentur; minùs certè poterit, nempe clausulam hanc irritantem prorsus abrogare. Quartò, concilium adhibens clausulam irritantem, ipsi sibi manus ad dispensandum non ligat, tum quia sic idem in seipsum actione corrũpente, vt loquuntur, ageret; tum quia cuius est legem condere, eiusdem est absolutè de eadẽ, si causa iusta subest, dispensare. Atqui vt potest per se dispensare, ita per vicarium specialiter deputatum idẽ poterit. Hæc enim potestas cùm sit iurisdictionis, alteri potest delegari. Hunc autem vicarium alium esse à summo Pontifice nõ repugnat. Quòd si hoc possit vicarius, non possit autem ipse summus Pontifex, erit in Ecclesia vnus aliquis maiori potestate pollens quã Pontifex. quod certè nemo verè Catholicus vnquã dixerit, cùm hinc sequatur subuersio & ruina Ecclesiasticæ hierarchiæ. Quintò eadem ratione per clausulam irritantem posset concilium prohibere, ne Põtifex indulgentias plenarias largiretur, ne à censuris pro hoc aut illo crimine absolueret: posset etiam aliã quamcumque iurisdictionis potestatem adimere, sicque Pontifex ampliùs non esset Pontifex, aut vniuer-

Pontifex non potest minus quã consuetudo.

salis Ecclesiæ pastor, saltem in actu secundo. & si in actu primo semper Pontifex remaneret, igitur siue Pontifex sit supra vel infra concilium, eius tamen potestas limitari & impediri per vllam clausulam minimè potest. Obiicies, decreta cōciliorū ex Gregorio can. Sicut. dist. 15. tanquam quatuor Euangelia à fidelibus esse suspiciēda, *& se, non illa destruere, quisquis præsumit absoluere quos ligant, aut ligare quos soluunt.* At Pōtifex nihil quicquam de Euangelio potest immutare: igitur nec de Ecclesiasticis conciliorum œcumenicorum decretis, iis præsertim quibus clausula irritans est à patribus apposita. Respondeo, D. Gregorium de fidei decretis loqui, non de iis quæ ad Ecclesiasticā disciplinam & ad ius merè Ecclesiasticum spectāt. Quod autem non alia fuerit mens Gregorij, manifestè ex eo constat, quòd canonem concilij Calcedonensis (quod cum aliis tribus conciliis tanquam Euangelium suspiciebat) quo Patriarcha Constantinopolitanus proximus post Romanū statuebatur repudiaret, quem sciret ex ambitione Patriarcharum & fastu Imperatorū profectum esse Rursus obiicies: si ita sit vt in conclusione asseruimus frustra, imò contra rationem, eiusmodi clausulam irritantem adhiberi. si quidem non apponitur vt Episcoporum dispensatio excludatur. constat enim Episcopos de simplicibus conciliorum decretis dispensare non posse, cùm sint eo multò inferiores. inferioris autem non est de lege superioris, si facultas ei specialiter non cōcedatur, dispēsare. Deinde non apponitur vt concilij sequentis dispensatio excludatur. Nam cùm rarò congregetur, & incertum sit tempus congregationis, non est magnopere hæc dispen-

Exponitur dictū D. Gregorii leges conciliorum esse velut Euangelium.

Ad quid apponitur clausula irritans si Papa possit dispensare.

dispensatio metuenda. Item, cùm parem habeat potestatem ac præcedens, si præcedens per clausulam irritantem non ligetur, ita nec sequens: restat ergo vt ad excludendam ipsius Papæ dispensationem apponatur. Respondeo, hac clausula potestatem Pontificis minimè ligare, nec tamen propterea frustra apponi. Ideò enim eã apponit conciliũ, vt significet sæpius periculosam & perniciosam esse decreti dispensationem, & nonnunquam Pontificem in dispensando grauiter peccare, quia causa qua nititur & fundatur dispensatio, non est satis iusta; & (vt loquuntur) rationabilis; nec bonum quod ex inuiolabili legis obseruatione nascitur, adæquat: hoc verò sequenti conclusione liquidò demonstratur.

Quarta conclusio. Summus Pontifex dispensans in lege cuius inuiolabilem obseruationem Ecclesiæ omninò necessariam iudicauit concilium, errare potest & peccare. sic D. Thomas 1. 2. q. 97. art. quarto. & opusc. 19. contra impugnantes religionẽ. Panormit. in cap. *Non debet* de affinitate & consanguinit. Syluester verbo *Papa*. cap. 10. Victoria proposit. 6. 7. & 8. Cordub. quæst. 8. de potestate Papæ, & meritò. Neque enim Pontifici licèt in Ecclesiæ seu conciliorum generalium legibus, etiamsi nihil iuris diuini aut naturalis contineant pro arbitrio absque iusta & rationabili causa dispensare. leges enim conciliorum ad regimen Ecclesiæ ita conducunt, vt absque illis ius diuinum ritè seruari nequeat. Si ergo Papa per frequentissimas dispensationes easque temerarias & sine causa graui concessas tollat, vel saltem multùm eleuet earum obseruationem, grauiter peccat: cum hoc in

Pontifex dispẽsans in legibus conciliorum interdũ errat & peccat.

magnum Ecclesiæ detrimẽtum cedat. Concipiamus enim quæso Ecclesiam absque humanis legibus, sed duntaxat cum lege naturali & Euangelica, certè nonnisi confusionem Babylonicam, rerumque omnium ἀυταξίαν, & perturbationem videbimus. cum enim neutro iure, diuino scilicet & naturali sit determinatum baptismi; suscipiẽdæ Eucharistiæ, & confessionis faciendæ tempus, neque sint indicti ieiuniorum, festorum, & vigiliarum dies, neque ritus in Sacramẽtorum administratione instituti, si summus Pontifex totum ius Ecclesiasticum vel omninò abrogaret, vel per frequentissimas dispensationes illud veluti aboleret, & fideles in solo iure naturæ & diuino relinqueret; certè quisque pro arbitrio suo in Ecclesia viueret, nec vllus esset fidelium inter se consensus: sicque Ecclesia cum vniuersa Religione breui corrueret; quo fit vt promiscuè de legibus Ecclesiasticis dispensando à peccato immunis esse non possit Pontifex, iuxta illud Isaïæ: *Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum.* Secundò, sicut lex fertur in bonum commune subditorum, ita respectu omniũ eam æqualem esse oportet: atqui si absque legitima causa ab eius obseruatione eximerentur nõnulli, ipsa inæqualis esset, si quidem alij lege soluerẽtur, alij eius iugo premerentur, quod esset iniquissimum & innumeris clamoribus & querimoniis obnoxium. Sicut enim si legislator legem nouam ponens alios eximeret, alios adstringeret, iniuriã istis inferret: sic sanè cũ lege æqualiter in omnes lata Pontifex pro libito cum nonnullis dispensat, iniuriam facit iis quos à lege non excipit. Tertiò, non licet Papæ in legibus à se ipso la-

Lex nunquã debet inæqualis esse, sed ad omnes indifferẽter extẽdi.

tis absque causa iusta & rationabili dispensare, ergo nec cum legibus conciliorum. Antecedens patet ex D. Thoma 1ª 2ᵃᵉ quæst. *96*. art. *5*. ad *3*. quia licet princeps non sit suis legibus quo ad pœnam & vim coactiuam obnoxius, iis tamen in foro conscientiæ, & quoad vim directiuam tenetur, ext. de constitutionibus. cap. *Cum omnes*. & Matth. *21*° *Imponunt aliis onera grauia, digito autem suo nolunt ea mouere:* imo suis dispẽsationibus ita frequẽtibꝰ faciũt vt aliis leges aut difficillimæ & prorsus intolerabiles videãtur. cùm enim quis alterũ à lege liberum, se verò ei obnoxiũ videt, magis à lege grauatur premiturq; , quã si generaliter & indiscriminatim ab omnibus obseruaretur; est enĩ leuamẽ & solatium quoddam oneris, habere consortes. Quartò, istæ dispẽsationes nulla rationabili causa fultæ, statum Ecclesiæ turbant & dissipant, suntque potius, vt ait Bernardus lib 3. ad Eugenium, dissipationes, quàm dispensationes: Christianis etiam dant scandala; si quidem Pontifices tanquam acceptores personarum, aut pecuniis inhiantes accusant, neque hoc scandalum passiuum & acceptum dici potest, sed actiuum & datum, cùm dispensatio rationabili & iusta causa niti semper debeat, nec à solo legislatoris arbitrio dependere. Postremò, licet abrogatio legis ab eiusdem dispensatione differat, & maius sit legem abrogare quàm de ea dispẽsare, nihilominus, indifferẽs & ordinaria dispẽsatio, quãdo scilicet nulli petẽti denegatur, moraliter abrogationi æquipollet, cùm idẽ ferè sit vtriusque effectus: atqui sũmus Põtifex non potest leges Ecclesiæ absque causa iusta & rationabili penitus tollere & abrogare; ergo nec absque

Frequentissimi; dispensationes lecna multorum malorum.

causa de iis dispensare. Quāta enim, quæso, Ecclesiæ perturbatio & decoloratio contingeret, si leges de gradibus prohibitis ad matrimonium, de irregularitatibus ex homicidio voluntario, bigamia, & cæteris id genus Pontifex abrogaret? Adde leges hac dispēsandi libertate reddi omninò ridiculas & inutiles. quid enim profuit bigamos & homicidas à Sacerdotio remouisse, consanguineos à matrimonio cum consanguineis ineundo, & iuniores viginti septem annis ab Episcopatu, si promiscue cum quibusuis petentibus dispēsaretur? lex lata est, non vt de eo quod per eam præcipitur & prohibetur licentia petatur; sed vt id quod ab ea præscribitur, adimpleatur. hæc enim est natura legum vt regulariter & vt plurimùm obseruentur: dispēsatio autem & relaxatio iuris, non nisi raro & ex iusta causa detur, cùm sit veluti legis interpretatio pro casibus, quos legislator prouidere non potuit. igitur contra naturam legis pugnat dispensationum creber & promiscuus vsus. Postremo idem Basilius in regulis breuioribus apertè significat. *Oportet*, inquit, *hominem quicunque ille sit, subiectum esse præceptis Dei aut hominis, propter præcepta Dei, quoties in præcepta Dei incidunt, aut illa adiuuant, quia malè facit qui eis non paret, etiamsi sit supremus Apelles.*

Potest dari in Ecclesia lex in qua nullomodo expedit dispēsare.

Quinta conclusio, quam inter alios habet Victoria relectione citata, potest talis lex in Ecclesia esse, in qua nullomodo expedit dispensare, quia ex hypothesi ita est ad Christianæ religionis & Ecclesiasticæ disciplinę obseruationem necessaria, vt etiam si dispensatio aliquando circa particularem hominem videatur iusta & rationabilis, multò tamen vtilius sit Ecclesiæ, vt lex

inuiolabiliter seruetur, quàm vt dispẽsationis via aperiatur: ex quo enim semel in aliquo facta est dispensasatio, in altero eam posse adhuc fieri non sine probabilitate coniicimus. Exemplum affert Victoria de statuto omnis vtriusque sexus quo præcipitur, vt semel in anno & quidem Paschate fiat confessio, & Eucharistia à confessis, & nullius peccati consciis sumatur. Quantumad tempus, constat præceptum istud esse solius iuris positiui. *Non est dubium* (inquit Victoria) *quin sit multò melius de huiusmodi præcepto nunquam dispensare; quia si semel data sit dispensatio, periculum est ne per ambitionem aut gratiam magnatum, multiplicentur dispensationes in maximam animarum perniciem.* Exẽplũ multò efficacius est de statuto quo pueri ab Episcopatu & Sacerdotio arcentur: casus interdum potest contingere vt æquum iustumque videatur cum aliquo dispensare, nihilomimus cùm talis dispensatio in dedecus Ecclesiæ cedat, & contra officium Episcopi pugnare videatur, expedit sanè vt nunquã de tali statuto dispensetur. Secundò interdum videtur expedire, vt in lege diuina cum aliquo dispẽsetur, exempli gratia, vt quis primam vxorem deserat, & secundam ducat, quia hinc pax & tranquillitas totius regni conseruabitur, quod aliàs atrocissimo bello funditus euertetur; Itẽ quòd aliquis mẽdaciũ officiosũ in reipublicæ vtilitatem committat: at Deus propter has vtilitates nunquam dispensat, nec Ecclesiæ dispensandi potestatem hac in re Pontificibus commisit. Item leue admodum fuit, si literam spectes, veteris legis præceptũ de non edenda carne suilla, in qua tamen antiquitus nunquam est dispensatum: sed neque in lege noua

Cum pueris pro Episcopatu nũquã est dispẽsandum.

cum aliquo Christus vnquam dispẽsauit, vt vel non baptisaretur, vel de commisso peccato non confiteretur, cùm tamen occurrerent causæ iustæ & rationabiles ad dispensationem obtinendam. ergo etsi in legibus Ecclesiasticis appareat iusta ratio concedendi dispensationes, non è vestigio sequitur expedire vt eæ concedantur. Tertiò, à viris piis & doctis commẽdantur Carthusienses, qui etiam in periculo mortis ab esu carniũ pro sui ordinis abstinent cõsuetudine, licèt alioqui medicus carniũ vsũ ad vitandã mortẽ necessariũ iudicet. Sanctius enim existimant religiosissimi homines nunquam ea de re dispensare, quàm sui statuti, vel saltem piæ suæ consuetudinis rigorem tantillum remittere, aut relaxare. Quartò, vt ad salutem reipub. ciuilis interdum expedit, priuatos quosdam ciues euidenti mortis periculo exponere: ita & in Ecclesia satius erit, & sanctius, nonnullos particulares absque dispensatione relinquere, quàm de rigore iuris ad salutẽ Ecclesiæ pertinentis, vel minimũ quid per dispẽsationẽ remittere; leuius enim est incõmodum istos particulares aliquatenus grauari, quàm viã sternere ad dispensationes cũ tãto Ecclesiæ detrimento. Rectè enim dixit Arist. 1°: Rethoricorũ præstare lege determinari quæcunque commodè possunt, quàm ea iudicis arbitrio relinquere. Si quidem ex D. Thoma quæst. 95. art. 1°. legislator fert legem in vniuersum, amicorum gratia non mouetur, importunitate petẽtium non flectitur, non denique oblato pretio corrũpitur, sed solum Dei honorem & reipublicæ bonum spectat; at verò in casibus particularibus multa occurrunt, quæ etiam iudicem optimũ & incorruptum

Carthusiensiũ abstinẽtia à carnibus.

Præstar lege determinari quæ commode possunt ea iudicis arbitrio relinquere.

ab æquo & bono poſſunt dimouere; ideò cùm princeps ſeu concilium ad ferendas leges maiori libertate gaudeat quàm gaudeat iudex ad iudicandum & diſpenſandum in factis particularibus: è re Eccleſiæ eſt, vt eiuſmodi leges in conciliis ſciſcantur de quibus ita prohibeatur diſpenſatio; vt ſi Pontifex diſpenſet, graue peccatum committat.

Cæterùm ſi ſalus animæ cuiuſdam ob ſeuerã hanc & exactam legis obſeruationem periclitaretur, non negamus quin tunc poſſet Pontifex diſpenſare, iuxta vulgatam Bernardi regulam, *Quod eſt inſtitutũ pro charitate, non militat cõtra charitatem*: quamuis in hoc caſu dicatur Pontifex potiùs legem interpretari, quàm de ea diſpenſare: non negamus item quin caſus aliquis ſemel in mille annis ex hypotheſi poſſit contingere, in quo abſque peccato poſſit Pontifex diſpenſare, dũmodo diſpenſando expreſsè caueatur, ne in poſterum quis ſimilem ſibi diſpenſationem debitam eſſe putet aut præſumat. Ex his ergo duabus poſterioribus cõcluſionibus conſtat ſummum Pontificem nonnunquam errare & peccare cùm de legibus merè Eccleſiaſticis, & à concilio aut à ſe ipſo latis diſpenſat.

De præcepto & diſpenſatione.

Sexta concluſio, Etſi erraret, peccaretque Pontifex, de his conciliorum legibus ad Eccleſiæ gubernationẽ neceſſariis diſpenſando: nihilominus facta ex hypotheſi diſpenſatio vim ſuam haberet, iuxta vulgatam hanc iuris regulam, *multa prohibentur fieri, quæ ſi fiant obtinent robur firmitatis*. Primum, quia decretum concilij quo diſpenſatio prohibetur, ex ſe non impedit, quominùs Papa de lege validè diſpenſet: ſed tantùm obſtat quominus licitè & abſque peccato id præſtet.

Etiamsi Pontifex peccet interdũ dispensando tenet tamen dispensatio.

Neque enim, vt iam ostendi, concilium œcumenicũ potestatẽ Papæ limitare aut irritare potest. Secundò, quicquid potest concilium ad Ecclesiasticam iurisdictionem spectans, necesse est Pontificem illud idem posse. Cùm enim rarò cogantur concilia generalia, & iurisdictionis actus ordinariè in Ecclesia debeant exerceri, non satis Christus Ecclesiæ suæ consuluisset, si potestatem concilio saltem æqualem summo Pontifici non tribuisset: atqui cõcilium suis decretis quacunque clausula irritante adhibita, non ita ligatur, vt si dispenset, factum (vt loquuntur) non teneat; ergo neque Pontifex. Tertiò, si Papa decretum ederet cum arctissima prohibitione, ne quis de eo vnquã dispensaret, sequens tamen Papa validè posset dispensare: neque enim successor antecessoris legibus astringitur, cùm par in parem non habeat potestatem aut imperium. atqui edictum concilij non est maioris roboris quàm edictum Papæ cui suprema in Ecclesiam potestas regulariter conuenit. ergo illius dispensatio valida est, etiamsi non adsit iusta & rationabilis causa, & dispensandi potestate interdicatur: exemplum est in gradibus consanguinitatis vel affinitatis matrimonium dirimẽtibus, de quibus cum Principibus & nobilissimis personis habita ratione principatus aut nobilitatis nonnũquã dispensat summus Pontifex. qua in re nemo dixerit inualidam esse Papæ dispensationem. Vbi obiter dicam vt prædicta dispensatio sit valida, non sufficere generalem omnium obstantium derogationem, nisi etiam specialiter prædicto canoni seu statuto à concilio edito derogetur.

Septima conclusio. Si Papa cum insigni Ecclesiæ detri-

detrimento dispensationem concederet, subditi fideles ei minimè tenerētur obedire, quamuis propterea ei non deberent per vim resistere, nec per viam appellationis ad futurum concilium eius mandatum subterfugere & declinare. Prior pars conclusionis ex eo probatur, quòd certum sit iniustum Papæ mandatum aut eius iniquam dispensationem non obligare; igitur possumus & debemus ei non obedire. Actuum 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Exempli gr. si concilium generale decreuisset dispensationem cū pueris aut coniugatis ad Episcopatum promouendis esse Ecclesiæ perniciosam planè & illicitam, & nihilominus Papa puerum aut coniugatum ad Episcopatum eueheret, subditi talem Episcopum possent iure non recipere, & apposita quacumque pœna Pontifici non obedire: quod de aliis iniquis dispensationibus est etiam dicendum; tunc enim credēdum est, vt frequenter aiebat Bernardus, in eiusmodi dispensationibus & prærogatiuis bonum nostrum Pontificem aut fuisse importunitate victū, aut subreptione pręuentū.

Papæ dispensanti cum euidenti Ecclesiæ dāno licet non obedire.

Refert Thomas à Kempis in vita Gerardi Magni.

Posterior pars probatur, quia magna supremæ authoritati fieret iniuria & opprobriū, si cuique priuato priuata sua authoritate mandatis pontificiis liceret resistere, præsertim cùm hoc erga Episcopum Papa multò inferiorem minimè liceat, cuius mandato quā-uis iniusto, propria authoritate nemo debet obsistere: ideò si manifestè constaret mandatis aut dispensationibus Pontificis necessariò esse obsistendū, id authoritate publica, nō priuata fieri deberet: hac forma, vt nempe Episcopi in cōcilio prouinciali cum debita reuerentia inter se conuenirent, & Pontifici significa-

Non est resistendū Papæ in mandatis iniustis authoritate priuata.

rent se quidem illius supremã potestatem agnoscere, & mandatũ ab eo profectũ humili ac demisso animo suscipere; eius tamẽ executionẽ suis subditis præcipere noluisse: vel quia est euidenter iniustũ, vel quia in perniciem Ecclesiæ & religionis cedit, atque adeò se illum obnixè rogare, vt mandatum istud reuocare & rescindere dignetur. cap. *Si quando. de rescriptis.* vbi huius formulę expressa fit à Doctoribus mentio. quòd si hoc non sufficiat, sed Pontifex mandati sui executionem vrgeat, dicunt Victoria & Cordubensis locis anteà citatis, posse in hoc casu subditos ad brachium seculare confugere, vt eius authoritate & potentia, licitis semper & honestis artibus ac modis talis executio impediatur. Cùm enim iure naturæ vim vi liceat repellere, illudq́; ius adeò sit generale, vt nec à Christo quidem in lege gratiæ nedum ab vlla republica siue Ecclesiastica siue seculari sit reuocatum, profectò vbi Pontifex per iniquissimas dispensationes grauẽ quibusdã ecclesiis infert iniuriam, licebit tunc subditis, vt pote Episcopis sapienter resistere, Ecclesiasq́; suas ab iniquo Pontificis mandato liberare & vindicare. Nec obstat quòd executio dispẽsationis sub pœna anathematis, aut interminatione maledictionis æternæ præcipiatur; cùm enim iniquum sit mandatum, excommunicatio quæ illius gratia ponitur, non poterit non esse iniustissima: Accessorium enim (vt aiũt) sequitur naturam principalis, ideó nullo modo timenda erit, quippe quæ decernentem liget & feriat magis quàm subditum: quæ tamen ita velim accipienda, vt ipse Papa eiusq́; suprema authoritas nullo modo condemnetur, neque cum eo irreuerenter agatur. & hæc

conclusio sic explicata ab omnibus doctoribus approbatur, non tantũ ab iis qui concilium supra Pontificem statuunt, sed etiam ab aliis qui contra sentiũt, quìque multò expressius ea de re loquuntur quàm priores. Sic enim Paludan. tract. de potest. Papæ: Turrecremata lib. 3. de Ecclesia, cap. 106. dist. 40. can. *Si Papa.* & dist. 23. can. *In nomine Domini.* & 70. can. *Si trãsitus.* Iacobatius lib. 8. art. 3. in 6° remedio. & art. 12 disertè asserunt quòd si Papa thesaurum Ecclesiæ, aut patrimonium illius suis propinquis & aliis pro suo priuato commodo dare vellet, aut modis illicitis alienare, vel Ecclesiam S. Petri subuertere, vt domos ibidẽ & hortos sibi suisq; propinquis ædificaret, tunc illi obediendũ non esse, sed potiùs seruato moderamine resistendum. Idem sentiunt Innocentius, Hostiensis, & Anthoninus cap. *Quanto.* de consuetudine. asserentes si Pontifex omnes Episcopos totius orbis deponere aut tollere vellet, & aliquid aliud facere vnde status Ecclesiæ perturbaretur, aut insigniter decoloraretur, vt si clericis priuilegium fori atque canonis vniuersaliter adimeret, vel successorem citra casum quẽ 3ª parte quæst. de electione Pontificis assignauimus, sibi deligeret: vel Quadragesimam, omnésque dies festos abrogaret: aut denique Missam absque vllis ceremoniis aut vestibus sacris celebrari præciperet; in his & similibus non esset ei obediendum, sed resistendum. Siluester verb. *Papa.* §. 15. *Quòd si Papa* (inquit) *sine causa vellet ius positiuum abrogare, aut si suis deprauatis moribus Ecclesiam destrueret?* Respõdet non esse ei in malis obediendum, sed per honestam reprehẽsionem resistendum; *quia* (inquit) *in destruendo nihil potest: & vbi*

Casus re-ceniẽtur in quibus est resistẽdum.

de destructione constat, resisti potest. Caietanus opere in ipso quo Papam concilio superiorem facit, cap. 27. post pleraque alia ita loquitur: *Resistendum ergo est in faciem Papæ publicè dilaniantis Ecclesiam, v. g. si nolit dare beneficia Ecclesiastica nisi pro pecunia, aut commutatione officij: & cum omni obedientia & reuerentia neganda est possessio talium beneficiorum ijs qui emerunt, & alleganda est causa Simoniæ cum Papa commissæ, quæ omnia* (inquit) *loquimur, non quòd aliquis possit esse iudex Papæ, aut authoritatem habeat in illum: sed per modum defensionis; cuilibet enim est ius ad resistendum iniuriæ, & impediendum defendendumque,* Simanchas de hæreticis cap. 3. §. 3. & cap. 44. §. 31. *Si Papa* (inquit) *concederet aliquod rescriptũ quo hæreticos absolueret à pœnis hæreticorum in præiudicium officij sanctæ inquisitionis, & periculum fidei, non est exequẽdum, sed vt dictum est, supplicandum vt reuocare & emẽdare dignetur. quòd si aliter quàm per vim mandatis & dispensationibus iniustis non possit quis obsistere, tutò potest se hoc modo aduersus ista protegere, & defendere, comprehendere etiam & punire horum mandatorum executores, dummodo moderamen hoc in negotio requisitum seruetur.* vnde Panormitanus in cap. *Sicut secundo.* de iureiurando ait propter hoc Imperatorem *posse non* quidem Ecclesiæ Romanæ, *sed personæ Papæ Ecclesiam destruẽti fortiter obsistere, pro Ecclesiæ & religionis deffensione.* Absurdum enim est Pontifici plus authoritatis in Ecclesiam tribuere, quàm regi in regnum, & imperatori in imperium, cùm vtrobique status sit Monarchicus: atqui si rex præ iniquitate manifesta & constanti suorum mandatorum toti regno grauissima damna inferat, possunt subditi regiis his mandatis obedientiam de-

negare, possuntque supremi magistratus qui hoc in negotio populi partes sustinent, talium edictorũ approbationem & verificationem recusare, eisq; constãter obsistere; duo tamen in his omnibus animaduertenda sunt: prius, vt maxima cum reuerentia agatur cum summo Pontifice, sicut & cum principe, tantúmque obedientia in hoc quod est iniquum & iniustum denegetur, in aliis verò promptè & alacriter præstetur. Si enim authoritas Pontificis semel minuatur, labascat & opprimatur, breui schismata fient & dissensiones in Ecclesia. Posterius, vt in his omnibus scandalum caueatur, & ne Principes seculares dominationis plus æquo interdum auidi quicquam sibi in Pontifices hac interposita resistentia arrogent; tunc enim salubrius multò esset iniquis Papæ mandatis obedire, quàm cum tanto Ecclesiasticæ dignitatis periculo resistere. & sicut in statu Reipublicę ciuilis populus principis iniquitate grauatus & oppressus, ad remedia interdum multò perniciosiora malis quæ à Principe patitur recurrit; ita profectò in Ecclesia longè plura interdum ex resistendi audacia, quàm pio obediendi officio obueniunt incommoda.

Duo obseruanda in resistẽdo mandatis Papæ iniquis.

Vtrùm à sententia Pontificis ad concilium futurum liceat appellare.

QVÆSTIO POSTREMA.

TAMETSI huius quæstionis tractatio lubrica sit & periculosa; cum tamen Vigorius per appellationes à Pontifice ad concilium futurum sibi pro imminuenda Papæ authoritate ef-

ficax argumentum suppetere arbitretur: citra cuiusquam offensionem & sine iniuria opinionis eorum qui concilium supra Pontificem statuunt, eam pertractare necessarium duxi. Est igitur ante omnia intelligendum cùm quæritur an à iudicio Pontificis ad concilij tribunal liceat prouocare, concilium seorsim ab ipso Pontifice qui iam de re ipsa iudicium tulit, non esse sumendum; sed vt in eo vel per se, vel per legatos præest: aliàs sicut concilium tunc legitimũ non esset, sic etiam eo solo nomine illegitima & nullo pacto admittenda esset appellatio, quod apertè innuit Augustinus Epistola ad Glorium & Eleusium, vbi de iudicio Melchiadis Papæ quo Cecilianus absolutus fuerat, & condemnati Donatistę, inter cætera ait, *Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ iudicârunt, nõ bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersalis Ecclesiæ concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.* quibus verbis cõstat Augustinum noluisse à plenario concilio eundem Melchiadẽ seu ipsos iudices, qui iã Romæ de causa Ceciliani iudicauerãt excludere. Secundò sciendum est conciliũ ad quod prouocationem posse fieri nonnulli contendunt dupliciter spectari posse, vel vt futurum, vel vt præsens, quod necessario ad planiorem totius rei explicationem distinguendum venit. Nam etsi quæuis appellatio ad concilium quouis modo spectatum reprobetur, magis tamen damnanda est ea appellatio quæ fit ad concilium futurum, quàm ad præsens vt mox apparebit.

Si appellaretur à Papa ad cõciliũ ab eo nunquam ipse Papa deberet abesse.

Sit ergo prima conclusio. Quià sententiâ summi

Pontificis, ad futurum concilium prouocāt, non solùm rem illicitam faciunt, sed etiam excommunicationem incurrunt, ex constitutione Pij II. data in dieta seu congregatione Mantuana Cardinaliũ, prælatorũ & diuini atque humani iuris interpretũ. Quã cõstitutionem Iulius II. speciali diplomate renouauit; *Licet*(inquit)*olim Pius Papa II. prædecessor noster matura priùs & graui præmissa discussione, & de congregatorũ vnanimi concilio & assensu, ac ex certa scientia prouocationes ad futurum concilium efficacissimis & palpabilibus rationibus tanquam erroneas ac detestabiles damnauerit, ac sub excommunicationis latæ sententiæ & interdicti pœnis præceperit; ne qua persona cuiusuis dignitatis, siue etiam vniuersalitas, aut collegium, quouis quæsito colore, ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis quibuscumque, eius ac successorum suorum appellationem huiusmodi interponere auderet, & contra facientes vna cum fautoribus suis, &c. non solùm pœnis & censuris prædictis, sed etiam iis quæ læsæ maiestatis & hæreticæ prauitatis reis imponuntur obnoxios esse statuerit. Nos igitur attendentes quanta sit eorum peruersitas, qui propriis innixi commodis, & nefariis cupiditatibus mancipati, salubria decreta patrum & superiorum iussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere, aut etiam scissionis causam præbere contendunt, & Ecclesiæ vnitatem diuidere, prædictę sanctæ Sedis Apostolicæ principatum tollere, & cõtra tot SS. Patrum & sacrorum conciliorum decreta tenere, & damnabiliter magna audacia obedire non erubescunt, & contra facere non verentur,* &c. *opportunã tam immani & periculoso morbo medelam adhibere volentes, hac generali & in perpetuum valitura constitutione, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine de venerabilium fratrum nostrorum con-*

cilio promulgata; sancimus constitutionem Pij prædecessoris præfatam tam vltra quàm citra montes, & in vltramõtanis partibus quoad omnes tam Ecclesiasticas quàm sæculares personas, etiam regali dignitate & Cardinalatus honore fulgentes, capitula, vniuersitates, communitates, collegia, congregationes, Synodos, & Parlamenta valuisse, & perpetuò valituram declaramus. hactenus Iulius Papa. Sed ante has duas constitutiones iamdudum huiusmodi appellationes fuerant condemnatæ. can. *cuncta* 9. quæst. 3. ex Gelasio. *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia de omnibus fas habet iudicare, nec cuiquam licet de eius iudicare iudicio; siquidem ad illam de qualibet parte mundi appellandum est, ab illa nemo appellare permissus est.* Item. *Sedis Apostolicæ iudicium, cuius authoritate nullum est maius, à nemine est retractandum.* & can. *Ipsi sunt.* ead. quæst. *Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sanctæ Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa verò nunquam prorsus appellari debere sanxerũt.* Nec valet quorumdam nugatorum & valdè imperitorum respõsio, non esse scilicet ad vllum alterum Prælatum, aut Patriarcham appellandum, optimè tamen ad concilium œcumenicum, tùm quia cùm iura absolutè & simpliciter loquantur, omnem ad quodlibet aliud tribunal appellationem prohibent; tum quia nullus vnquam in Ecclesia dubitauit, an à summo Pontifice ad alium Prælatum liceret appellare, cùm semper summus Pontifex omnium quorumcumque Prælatorũ supremus sit habitus. Ergo appellationẽ ad concilij tribunal iura ipsa prohibent, nõ autẽ eam quæ ad prælatos posset interiici. Tertiò à maiori ad minus, vel à superiori ad inferius prouocare nõ licet, aliàs ordo iustitiæ tam in ci-

in ciuilibus quàm in Ecclesiasticis violaretur. At in quacunque Doctorum de authoritate concilij sententia concilium futurum inferius est Pontifice, siquidem concilium futurum nondum est in rerum natura, Pontifex verò actu est; ergo ad concilium futurũ nullo modo potest appellari. Confirmatur. Non tantùm non est concilium futurum, sed etiam non potest esse saltem absque maximis & grauissimis Ecclesiæ incommodis, laboribus, expensis & cæteris id genus. Quartò per has appellationes cursus iustitiæ præcluditur, lites redduntur immortales, opprimuntur innocentes, & crescit audacia apud improbos & sceleratos; cùm vt iam diximus, concilium generale nonnisi rarò & ægrè soleat congregari. Dices, hoc quidem fortè arguere quod in rebus leuissimis, vtpote priuatis nunquam liceat à Pontifice ad concilium proucare: at in grauissimis, vt iis quæ ad Reges & Principes spectant, aliter esse iudicandum, omninò enim licet appellare. Respondeo si in aliquo casu liceat prouocare, non esse cur in quolibet casu etiam leui quo Pontifex alicui inferret iniuriam, aut dubium esset an reipsa inferret, idem non liceat. Quod sic ostenditur, vel enim hæc à Pontifice prouocatio iure diuino præscribitur, vel solo iure positiuo: si iure diuino, cùm ius illud inter causam grauiorem & leuiorem non distinguat, & nos itidem distinguere non debemus. Si iure positiuo cum illud pariter causarum qualitatem non distinguat: si in causa grauiori licèt prouocare, etiam in leui & priuata licebit. Instabis in ciuilib⁹ iudices pedarios, & subalternos causas leuiores extremo iudicio terminare, & nõnisi in grauissimis rebus ad supremos iu-

In rebus grauissimis & publicis non licet à Papa ad cõcilium futurum prouocare.

dices dari recursum & prouocationẽ. Respondeo id à Rege fuisse sancitum, ne partes pro rebus exigui valoris, & momenti litigando bona sua exhaurirent & cōsumerent: hoc tamen non obstat quominus ad senatū pro vtrisque causis ex se prouocare nō possent, si rex edicto non prohibuisset. Atqui iure diuino aut positiuo nulla talis causarū distinctio exstat ideoq; si in vno valet, & in altero pariter valebit: eam ob rē parum caute minusque prudenter, nonnulli Doctores pro rebus grauissimis & non pro leuissimis has ad concilium appellationes admittunt.

Secunda conclusio. Non minùs sunt illicitæ appellationes ad præsens concilium, quàm ad futurum, quāuis his appellationibus non sit annexa censura, & pœna quæ est in appellationibus ad futurum concilium. Primò, quia in causa appellationis appellās à potestate & iurisdictione eius à quo appellat, eximitur, c. *proposuit*. & c. *cùm teneamur*. & c. *ad hæc*. de appellationibus. At in nullo casu potest quis à iurisdictione & potestate Romani Pontificis eximi, alioqui non esset ampliùs illius ouis, ac per consequens nec Christianus, cùm Christus in quoscumque Christianos Petro dederit potestatem his verbis: *Pasce oues meas*, non has aut illas, non huius aut illius regionis, sed in vniuersum, oues meas, id est, omnes qui Christianæ religioni nomen dederunt, vt elegāter 3. de consider. ad Eugenium docet Bernardus. Secundò, per appellationẽ recedit appellans ab obedientia & communione eius à quo appellat: atqui nulli Christiano in quacumque dignitate sit constitutus, ab obedientia summi Pontificis & cōmunione cum eius sede licet recedere. *Quisquis extra*

Illicitæ sunt appellationes ad præsens conciliū, sed illis non est annexa excommunicatio.

hanc domum agnum comederit, prophanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. vbi Hieronymus Damasum sedis Apostolicæ Rectorem & detentoré alloquitur. Tertiò à rege, quoties de re aliqua iudicauit, nemini licet ad aliud tribunal prouocare, vt satis constat: ergo nec à Romano Pontifice. Patet cõsequentia, ideo enim à Rege non licet appellare, quia ipse est monarcha & monarchico modo, id est extremo iudicio iudicat: at Pontifex est supremus Ecclesię monarcha, extremo igitur iudicio quaslibet causas ita terminabit, vt fas amplius non sit, ad vllum aliud tribunal prouocare. Dices, tribunal concilii à tribunali Pontificis non distingui, ergo quando ab eo ad concilium prouocatur, ad aliud tribunal non dicetur fieri prouocatio, præsertim cum supra docuerimus Põtificem à quo prouocatur à concilio ad quod prouocatur nunquam abesse debere. Respondeo si conciliũ non sit aliud tribunal, appellatio à Pontifice erit ad ipsummet Pontificem, quod certe est omnino ridiculum, nisi fortè velis fieri appellationem à Pontifice per subreptionem, vt aiunt, præoccupato & non satis informato ad eum melius informatum. Verúm hoc non est propriè appellare, sed fraudé ex priori iudicio factam retegere & declarare: sicque emédationem prioris iudicij procurare. Non est autem opus vt pro hac fraudis factæ declaratione, ad concilium recurratur, cum eam ipsimet iudici, aperire sufficiat. Quartò iudex à cuius iudicio prouocatur, iudicé ad quem fit prouocatio parti condénatæ dare aut designare nõ debet. Sic enim ageret in seipsum, abiretq; in rem iudicatã, contra cõmunem iuris regulã: atqui

est solius Pontificis concilia œcumenica indicere, cõgregare, & confirmare, vt eorũ decreta authoritatem in Ecclesia habeant: Ergo si ab eius iudicio ad concilij tribunal sit prouocatio, debebit ipse Pontifex contra seipsum agere, in rem à se absque fraude sibi facta, iudicatam abire, arma quibus emendetur & corrigatur suppeditare, & quod amplius est, ista omnia contra se suumq; iudicium definita nouo suo calculo confirmare. quod certè vniuersum iustitiæ ordinem, præclarissimamq; harmoniam omninò peruertit & destruit. Maneat itaque hoc ratum & constans, omnem à summo Pontifice ad cõcilium siue futurum, siue præsens, appellationem esse prorsus illicitam; idque siue Papa sit infra, siue supra concilium, cùm rationes allatæ in vtraque sentẽtia concludãt. Dices, Principes & respublicas grauiter nonnunquam conqueri se à Pontificibus graues iniurias pati; nullumque ad has depellẽdas efficacius remedium esse præter prouocationem ad concilium generale. Respondeo non licere propterea ad concilium prouocare, cùm principes sibi suisque rebus possint alia via consulere, scilicet non obediendo mandatis Pontificis, imò si aliter non possint sibi succurrere, strenuè prudentérque resistendo, & cum ea moderatione quam superiori quæstione, vbi de iniquis & Ecclesiæ perniciosis dispensationibus assignauimus. Sed iam tempus est vt contraria Vigorij argumenta refellamus: primum ex appellationibus à nonnullis hactenus interiectis sumitur. *Notæ sunt* (inquit) *appellationes ad futurum concilium Ioannis Teutonici, primi Decreti glossatoris, à Clemente IV, Michaëlis de Cæsano generalis ordinis Minorũ, à Ioãne 22° Sigismundi Ducis*

Incõmoda quæ nascuntur si à Papa ad conciliũ appelletur.

Vigorii argumẽta pro appellationibus ad futurum conciliũ.

Austriæ, & Gregorij Heiburgi Archiepiſcopi Moguntini, Friderici Comitis Palatini ad Rhenum, & Friderici Marchionis Brandeburgenſis, à Pio II: Platinæ à Paulo II. Sed & Scholæ Pariſienſis à Bonifacio VIII, Benedicto II, Pio II, Leone X. Notantur à Probo in additionib. ad gloſſam Pragmaticæ ſanctionis, duæ appellationes à Papa ad conciliũ; Prima, Jacobi de Brueil electi Archiepiſcopi Bituricenſis aduerſus Cardinalem Turnenſem; altera Uniuerſitatis Pariſienſis de publicatione Concordatorum, quæ eſt à Leone X. Hæc Vigorius. Reſpondeo primùm enumeratas appellationes non eſſe iura, ſed facta, ad quæ non reſpondet Iuriſconſultus, & quæ nullam vim habent, niſi quatenus iure fieri conſtat, quod tamen hîc non demonſtrat Vigorius, qui cum litibus diiudicandis magnam ætatis partem conſumpſerit; non poteſt, opinor, ignorare, litigantes ſæpiùs pro iniuſtis & friuolis appellationibus ære mulctari. Sed quis in hoc futili argumento non videt hoſtilem eius animum in Pontificem, qui prudens, ſciens, & de induſtria ignobilium aliquot perſonarum & quaſi de fæce populi, appellationes profert, quales certè fuerunt Gloſſator ille Ioannes Teutonicus, ſi tamen adhuc verum ſit eũ appellaſſe, Michaël Ceſanus Minorita, Platina Abbreuiator, & Iacobus de Breuil canonicus Bituricenſis, quaſi iſtorum ſi non viliſſimorum, ſaltem priuatorũ hominũ cauſa concilia œcumenica cum tãtis Eccleſiæ laboribus & ſumptibus debeãt cõuocari, & nõ potiùs pro ſua temeritate grauiter puniri. Sed hæc appellantiũ exẽpla ſigillatim expẽdamus, & importunũ magis quàm eruditũ Vigoriũ refellamus. Ioannes nomine &

natione Teutonicus (de eo enim hęc tãtùm comperta habeo) Glossator decreti fuit, Episcopus Bocinẽsis in Hungaria, vt tradit post Anthoniũ epitome Gesneri bibliothecæ, hic enim cùm cessionẽ Episcopatus petiisset (vt scribit Anthonius Florẽtinus 3. parte Chronicorum tit. 23. cap. 12. ad ordinẽ Dominicanorũ reuersus est, vnde electus magister generalis in capitulo generali Parisijs celebrato, quem renitentem & se Pótificali exemptione defendentem bulla Domini Papæ Gregorij statim in medium producta, compulit ad acceptandum officium. continebat enim quod hoc ipso quod ab onere Episcopali eum absoluerat, obedientia ordinis officiis & laboribus supponebat. hic fuit bonitate conspicuus, aspectu & affatu gratiosus, multiplici idiomate eruditus. idem S. Anthoninus testatur Clemẽtem IV. erga ordinem S. Dominici benè semper affectũ fuisse, nec vnquam memini me legere apud historicos occasionem datam appellandi ab eo ad futurum concilium. Blondus Foroliuiensis, Fasciculus temporum, Massonius de Episcopis vrbis, res gestas Clementis 4. persequuntur, sed de hac Ioannis Teutonici appellatione, quam comminiscitur Vigorius verbum nullum habent. Michael Cesanus præpositus generalis ordinis Minorũ à Ioanne 20. vulgo 22. ideo prouocauit, quòd extrauagante quæ incipit *Ad Condttorem*, aduersus suorum prædecessorũ Põtificum decretum definiuisset in rebus quæ vsu consumuntur ipsum ius vtendi, ab earumdem dominio non distingui, & Franciscanos in his rebus verum sibi dominium vendicare, qua in re si fortè Ioannes Papa errasset, malè tamen Michael ad futurum conci-

Ioannes Teutonicus nũquã à Papa appellauit.

Sesanus iniustè appellauit à Ioanne.

lium appellauit, tum propter rationes quas supra adduximus, tum quia hæc Ioannis definitio ad fidem non pertinebat, vt expresse in extrauagante dicitur. vnde etiamnum diuersæ Doctorum sententiæ de hac vsus & dominij distinctione circunferuntur, nec minùs iniquè Sigismundus dux Austriæ & Gregorius Archiepiscopus Moguntin⁹ à Pij II. sentētia prouocarunt, quippe qui iustè ab eo damnati fuerant; ille quidem quod S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem non sine magna sedis Apostolicæ & sacri collegij iniuria, in vincula cōiecisset, neq; ad iussū Pōtificis multorūque Principū supplicationē eū dimittere voluisset; hic verò, quia cùm de fide nō recte sentiret, periculū erat ne si dignitati Archiepiscopali diuti⁹ fuisset relictus multos, in suum errorē pertraxisset. idēq. est iudicium de vtroque Friderico, Palatino scilicet & Brandeburgēsi, qui Ecclesiam Romanam crudeliter diuexabant, & cum infensissimis illius hostibus ad perturbandam totam Italiam fœdus inierant. Sed quis ferat Vigorium quem appellationis Platinæ abbreuiatoris plebeii hominis & obscurissimo loco oriundi non puduit meminisse? is enim Platina ob insolentissimā epistolam (in qua propter abbreuiatorum exauthorationem Paulum II. iniuriis conuiicisque impudētissimè exceperat) iustè in carcerem protrusus fuit. sed quod de Platina qui vitas Pontificum scripsit, & in notandis eorum, si quæ fuerunt, vitiis plus æquo diligens & perspicax olim circunferebatur, (Platinæ quis non ignoscat si sit iratus) idem in Vigorium aptissimè transferri potest, siquidē aduersus summos Pontifices tanto odio tenetur, vt quauis libelli sui pagina

Iniquè Sigismūdus & Gregorius Moguntinus.

Vterque Palatinus duali à Pō tifice appellauit.

De iniqua appellatione Platinæ.

hostilem in eos animum prodat. Quod spectat ad Scholam Parisiensem, quam sæpe contra Pontifices appellationem interposuisse iactat Vigorius: nego primùm Academiam à Bonifacio VIII. appellasse; solus enim Rex Philippus Pulcher, cum tribus Galliæ ordinibus prouocauit, non quidem ad Concilium, vt ille mentitur, sed tanquã ab abusu, vt synchroni scriptores testantur. Vel vt aiunt nonnulli (ad Deum) à quo solo sceptrum regni Gallici habebat, appellauit. quæ tamen appellatio nomen appellationis siue prouocationis sortiri non debet; est enim potius quædam supplicatio, qua à Deo petitur, vt cor Pontificis de cogitata & prætensa iniustitia, ad iustitiam flectere dignetur. sicut de Ioseph Genes. 43. precatus est Iacob. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscum hunc fratrem vestrum & eum quem tenet in vinculis. Adde quod quamuis Philippus Pulcher à Bonifacio VIII. ad conciliũ prouocasset (quod tamen non legitur) nihil tamẽ propterea sequeretur in fauorem appellationum, de quibus agit Vigorius; siquidẽ tunc, vt testatur Guaguinus in Philippo Pulchro, Bonifacius VIII. cædis & hæreseos accusabatur, quod cũ (etiãsi falsum) Rex crederet, aut suspicaretur, omnesque cum illo Galliæ ordines à Bonifacio ad concilium iure prouocârunt. à Papa enim quem iustè putamus hæreticum, licèt falsò, ad futurũ concilium fas est prouocare, vt supra annotauimus. A Benedicto II, falsum est etiam scholam Parisiẽsem prouocâsse, tum quia vitæ sanctitate atque miraculis claruit, tum quia in Academiam Parisiensem fuit propensissimus, collegium enim & templum Cisterciensium

De appellatione Philippi Pulchri cõtra Bonifacium octauum.

Schola Parisiensis nec à Bonifacio 8. nec à Benedicto II. prouocauit.

ſium ædificauit,& fundauit; tum demum, quia cognita Philippi Pulchri cauſa eum abſoluit,& Columnenſibus qui ab eius partibus conta Bonifaciũ ſteterant, clementer indulſit. Perperam ergo & ſine vllo teſte hanc Scholæ Pariſienſis prouocationem ad futurum concilium cõminiſcitur Vigorius. A Pio II. ex Guaguino lib. 10 Schola Pariſiẽſis ne Pragmatica Sanctio aboleretur, ad Eccleſiæ concilium prouocauit; quod fortè in cauſa fuit, cur hic Pontifex conſtitutionem contra eiuſmodi prouocatores ediderit; Locus verò aliquis eſt excuſationi pro ſchola: nam etſi peccauerit ita appellãdo, cùm aliâ viâ Pragmaticam Sanctionem tueri poſſet, minùs tamen fortè peccauit, Pij conſtitutione nondum edita & promulgata, quàm cùm à Leone X. propter publicationem Concordati in locum eiuſdem Pragmaticæ Sanctionis ſubſtituti prouocauit; nec enim tantum ab eo appellauit, ſed etiam à concilio Lateranenſi, quod iuxta melioris notæ doctores, œcumenicum fuit; in eo ſiquidem cum Pontifice congregati erant Patriarchæ orientales, magnus numerus Cardinalium,& centum quatuordecim Epiſcopi. & ne putet Vigorius nos vt ille ſolet iſtud fingere & comminiſci, appellationis formulam lubet tranſcribere. *Nos Rector & Vniuerſitas Pariſienſis grauatos, læſoſque & oppreſſos eſſe ſententies, idcirco à Domino noſtro Papa non rectè conſulto iam dicti ſacri Baſileenſis concilij & ei adhærentis Pragmaticæ Sanctionis ſtatutorum abrogatione, nouorum ſtatutorum editione, conſenſus præſtatione, ad futurum concilium legitimè congregatũ prouocamus & appellamus,* &c. *inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè proteſtantes hanc ap-*

Recenſetur appellatio ſcholæ Pariſiẽſis à Leone X.

pellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, iniquitatis, vel iniustitiæ & aliàs, pro vt melius poterimus, optione nobis reseruata, &c. cum tamen priùs concilium Lateranense tanquam illegitimum, & contra fidem Catholicam procedens, damnâssent, his verbis: *Leo X. in quodam cœtu in Romana ciuitate quæ contra nos est, nescimus qualiter, non tamen in spiritu Domini congregato, &c.* Quæ omnia tantùm abest, vt Vigorio suffragentur, quin si hæc Scholæ appellatio legitima & iusta habeatur, à conciliis generalibus non minùs quàm à Pontifice fas sit prouocare: sed indulgendum hac in parte scholæ nostræ, quæ per Concordatum amplissima sua iura tolli videbat & abrogari. Quod ad Henrici magni appellationem à Gregorio XIV, potiùs Sixto V. ad futurum concilium interiectam, ea etiam Vigorio non fauet; siquidem Henricus ille ter maximus, quo generosiorẽ & maiorẽ Gallia nunquam habuit, nondum hæresim Caluinianã exuerat, quam tamen posteà maximo non solùm Galliæ, sed totius Ecclesiæ bono abiecit, & constantissimè detestatus est. Quare mirum non est, si tunc suasu hæreticorum qui iuuenilibus eius annis illudebant, ad futurum concilium prouocauerit; Sed hanc prouocationem abiuratâ hæresi ei minimè gratam fuisse, ex hoc vno liquet, quod ad Ecclesiam Catholicam postliminiò reuersus non priùs quieuerit, quàm spreta sua appellatione, cum summo Pontifice tanquam Principum Christianissimus reconciliaretur, misso in eum finem illustrissimo & reuerendissimo Cardinale Perronio, qui totum negotium fidelissimè, & ex magni Regis voto gessit, transegitque.

De appellatione Henrici magni à Xisto V. ad futurũ conciliũ.

Secundò vrget Vigorius, epiſtolam Auguſtini ad Glorium, & cæteros Donatiſtas, cuius verba iam antè retulimus: *Ecce putemus illos Epiſcopos non bonos iudices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Vniuerſalis Eccleſiæ concilium: vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari, vt ſi malè iudicâſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur.* Verùm, ſuprà reſpondi, quæſtionem de qua tractat Auguſtinus, eſſe facti, non iuris; ſiquidem à Donatiſtis obiiciebatur Cecilianum ſequiente Diocletiano ſacros libros prodidiſſe, ſicq; à dignitate Epiſcopali excidiſſe. Notum eſt autem & ab omnibus ſcitum queſtiones facti ſemel iudicatas poſſe denuò recognoſci & iudicari, quia error facti in Pontificem poteſt cadere, ideòque meritò pro hac Ceciliani queſtione dixit Auguſtinus: Reſtabat adhuc plenarium vniuerſæ Eccleſiæ concilium, in quo denuò cauſa poterat agitari. Secunda & melior reſponſio eſt (quoniam à iudicio Pontificis ne quidem in cauſa facti ad concilium futurum prouocare nemini licet) Auguſtinum ad hominem, vt vocant, tantùm loqui, & argumentari; itavt voluerit ipſos Donatiſtas potiùs ad concilium plenarium, poſt iudicium Melchiadis Pōtificis prouocare, quàm horrendū illud ſchiſma, quo tota Aphricana Eccleſia miſerrimè deperiit, accendere; non quòd eos à Melchiade Papa prouocantes à peccato excuſaret: ſed ſolùm quòd prouocatio fuiſſet malum leuius & minus ipſo ſchiſmate quod excitarunt. Tertia eſt, Melchiadem Pontificem ad inſtantiam Imperatoris, & tāquam ex eius delegatione causā Ceciliani cognouiſſe, tractâſſe, iudicaſſe, vt exeo cōſtat, quòd Donatiſtæ poſt Melchiadis iudicium ad

Quatuor reſpōſiones ad dictum Auguſtini reſtabat adhuc plenarium concilium.

ipsumuis Imperatoré prouocauerint. licitũ autẽ est à Pontifice, qui instante & vrgente tantùm Imperatore iudicat, ad plenarium & vniuersale concilium prouocare; quia hoc non tam est à Pontifice quàm ab Imperatore appellare. Quarta responsio est, Augustinum, Pontificem cum concilio vniuersali non comparâsse, sed prouocationem ad concilium cum prouocatione ad Imperatorem, tantũque voluisse, quòd si putassent Donatistæ, eos qui Romæ iudicauerant, malos iudices fuisse, Donatistas ipsos ad conciliũ vniuersalis Ecclesiæ potiùs quàm ad Imperatorem qui de numero laïcorum erat, debuisse prouocare; eamq; ob causam Constantinus, cùm de hac appellatione iudicasset, veniam ab Episcopis petiit, quasi falcem in messem alienam misisset, vt suprà ex Ruffino notauimus. Sub finem sui Commentarij profert Vigorius sess. 15. concilij Constantiensis, qua inter cætera refertur Ioannem Hus variarum hæreseon accusatum, & conuictum, appellationem ad Dominum IESVM CHRISTVM, tanquam ad summum Iudicem relictis Ecclesiasticis medijs interposuisse. cum tamen, inquit Vigorius, à Papa tantùm appellasset, ideoque Ecclesiasticum medium (quod ipse Huz heresiarcha omisit) fuit concilium generale, ad quod iuxta hanc Constantiensem definitionem à Papa immediatè prouocare debebat. Respondeo hîc insigniter mentiri Vigorium, falsum quippe est Ioanem Huz (vox autem Hus, vt obiter dicam, Bohemico idiomate Anserem significat) à Papa ad Christum prouocasse; à multis enim congregationibus aduersus ipsum eiusque errores habitis & cele-

bratis, ad Christum appellauit, nec non à concilio generali, Romæ habito sub Ioanne XXIII. vt refert Cocleus lib. 2. Historiæ Husitarum his verbis. *Non fuit concilium Constantiense principaliter ob eam hæresim, vel indictum, vel celebratum, hæresis enim illa satis superque confutata & condemnata, iam olim fuerat in multis conciliis contra Berengarium celebratis; deinde in diuersis conciliis & Romanorum Pontificum decretis ac SS. Patrum determinationibus.* & paulo post, *tum in Anglia per conciliũ prouinciale, & per determinationem clarissimæ vniuersitatis Oxoniensis & Parisiensis in qua ferunt, ducentos quadraginta articulos eius doctrinæ damnatos fuisse, tum Romæ in concilio generali sub Ioanne 23. & Parisiis per almam facultatem Theologicam, atque etiam Pragæ nominatim quadraginta quinq; articuli.* & paulo post: *Quid ergo opus erat nouum propter antiquitus damnatos, & nuper publicè præiudicatos articulos indicere conciliũ, maximè cùm Hus & sectarii complices sui, contemptim dicerent conciliorum decreta humanas esse constitutiones, & traditiones.* Vbi ni prorsus cæcutiat facilè videt Vigorius ab iis omnibus congregationibus, tam publicis quàm priuatis, tam generalibus, quàm particularibus, & à sententiis tam ab Episcopis quàm à Pontifice Romano latis Ioannem Hus ad Christũ prouocasse. Instabit fortè Vigorius. Quorsum ergo Constantiense conciliũ dãnauit, quòd omissis Ecclesiasticis medijs, appellationẽ ad Christũ, interposuerit? Respõdeo duas ob causas hanc Ioannis Huz appellationem meritò damnatam fuisse. 1. quia cùm à congregationibus in celeberrimis quibusque orbis Christiani scholis & Vniuersitatibus habitis, necnon à conciliis quibusdam prouin-

De prouocatione Ioan. Huz ad Dominũ Iesum Christũ.

cialibus fieret: ordinem iuris Ecclesiastici quo vel ad concilium generale, vel ad Papam appellatur, solemnesq; formulas non obseruabat. Secundò, quia agebat hæresiarcha sic prouocãdo, contra media Ecclesiastica, iudicium nempe à Deo institutum, & ordinem illius, imò contra Deum ipsum appellabat, quia diuinæ voluntati & ordinationi, qua omnem animam potestatibus sublimioribus voluit esse subiectam, obsistebat, & de Dei iustitia confidenter nimiùm præsumebat, eratq; de eorum numero, de quibus in epistola ad Romanos scribitur, quærentes suam iustitiam statuere iustitiæ Dei, non sunt subiecti. Verum quippe est ordine iudiciario ad Deum prouocari non posse, sed tantùm per viam supplicationis, nimirum innocentiam suam significando, & toto cordis affectu Deum orando, vt eam custodire dignetur; Deus enim non friuolis illis & importunis appellationibus, sed piis precibus ac votis flectitur.

Hæc habui quæ de summi Pontificis & Concilij mutua comparatione in his temporum fluctibus, & in hac extrema vereque ferrea ætate pro Catholici doctoris officio scriberem, satis multa piis omnibus, nimis fortè multa hæreticis & schismaticis, quos (heu malum) ignaui patimur sacrum illud sempérque augustum Ecclesiæ vniuersæ caput & Monarcham impunè ferire. Sed quovsque tandem id feret diuina patientia certè nescio. Hoc vnum scio tandem obtinere iustitiam, & rarò antecedentem scelestum pœnam (etsi pede claudo) deserere. Sanè verò vt video cogi has schismaticum nubes & libellorũ flatus

ac ventos idētidem exoriri, vereor ne breui dent tempestatem, Ecclesiamque Dei percellāt. Auerte omen, Christe Deus, opemque tuam, si placet, interpone; vt nomen tuum voce concordi sub vno illo Romano Præcentore, quem nobis totique Ecclesiæ præfecisti, celebremus. Ego quæcumque apologetica hac dissertatione scripsi, ad maiorem tui nominis gloriam, ad sanctæ sedis Apostolicæ defensioné, & ad regni Galliæ Christianissimi saluté, conseruationem & splēdorem scripsi: de quo hoc vnū multis iam retroactis seculis prædictum esse tradunt, tamdiu scilicet illud duraturum, & liliorum suorum puritatem ac candorem seruaturum, quamdiu D. Petri Vicarij Christi, summique in terris Ecclesiæ dictatoris cathedræ iungetur, ac Pontificiæ dignitati fideliter adhærebit.

AMEN.

Laus Deo Virginique Matri.

Pax erit, & toto florebit Gallia mundo,
Donec adhærebunt lilia Pontifici:
Pax erit, & puro fulgebit Gallia flore,
Dum claues cingent lilia Pontificis.

Hæc Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, nec non sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio summissa sunto.

INDEX RERVM QVÆ IN HOC opere continentur.

A

D

R

eandem

MMmm

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 13. linea 22. *Mariæ* lege miris. Pag. 21, lin. 11. *spirita le.* leg. temporale. Pag. 48. lin. 19. leg. qui secuti sunt. Pag. 54. lin. 11. *dum*, leg. eam Pag. 68. lin. 1. *cum*, leg. eum. Ibid. lin. 11. 11. leg. 22. Pag. 57. lin. 5. pro 55. leg. titulo. Pag. 77. lin. 23. *sed* leg. &c. Pag. 99. lin. 15 lege: Quod autem vulgò refertur canone, &c. Pag. 109. lin. 1. *Christi*, leg. Petri. Pag. 117. lin 17. *adde* velit. Pag. 121. Ex lege de. Pag. 132. *humanis*, leg. humanæ. Pag. 206. leg. morti. Pag. 244. lin. 24 *illius*, leg. illic. Pag. 251. lin. 4. leg. eum. Pag. 264. lin. 5. pro *&* leg. etiam. Pag. 310. lin. pen. Richerio. Pag. 376. lin. 10. *tum*. leg. cum. Ibid. lin. 17. *licet*, leg. scilicet. Pag. 404. lin. 1. pro *schismaticis*, lege scholasticis. Pag. 407. lin. 28. *Vigorium*, leg. eum. Pag. 414. lin. 2. *impedimentum*, leg. impedimenta. lin. 16. leg. restituitur. Pag. 450. lin. 3. *quod*, leg. cum. Pag. 467. lin. 21. *tam* leg. iam. Pag. 488, lin. 16, leg. Cardinales non Episcopos. Pag 492, lin. *dele* enim. Pag. 541. lin. 4. dicatur.

Si quæ alia offendant, lector benignus excusare dignabitur.